

Exercitia spiritualia



SCS #1574

T.T. Corrigan

SCS #1574



S. IGNATIUS DE LOYOLA.

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII DE LOYOLA

VERSIO LITTERALIS

BIBLIOTHECA ASCETICA

EDITA

FRANCISCO BREHM

SACERDOTE

II

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII DE LOYOLA

VERSIO LITTERALIS

RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET

S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII DE LOYOLA



VERSIO LITTERALIS
EX AUTOGRAPHO HISPANICO
NOTIS ILLUSTRATA

AUCTORE
R. P. JOANNE ROTHAN
PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS JESU

EDITIO ALTERA



RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET

S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGR.

ALIÆ DOMUS: ROMÆ, COLONIÆ, VINDOBONÆ

NEO EBORACI, CINCINNATI: FRED. PUSTET COMP. INC.

MCMXX

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 3 Augusti 1920.

v. n. Kiefl.





R. P. JOANNIS ROOTHAAN

PRAEPOSITI GENERALIS SOCIETATIS JESU
LITTERÆ ENCYCLICÆ

AD PATRES AC FRATRES EJUSDEM SOCIETATIS
DE SPIRITUALIUM EXERCITIORUM

S. P. N.

STUDIO ET USU.

Sæpe ac multum cogitanti mihi, Patres ac Fratres carissimi, immo vero assidue animo volventi (*necessitas enim mihi incumbit*; quippe cui per Apostolum dicitur: *Qui præest, in sollicitudine*) assidue, inquam, animo volventi, quam maxime ratione in renata paucis abhinc annis ac sensim adolescente Societate spiritus ille vel exsuscitari, ubi opus sit, vel conservari, foveri, promoveri possit, qui ejus olim tum primordia tum incrementa tam læta reddidit Ecclesiæ Dei, tam fructuosa ad innumerabilium hominum salutem; illud jamdudum occurrebat, nihil fore *ad convertenda corda Patrum in filios*, ad filios, inquam, Patribus reddendos quam fieri posset simillimos, ap-

tius atque efficacius, quam Sancti Patris nostri Exercitiorum Spiritualium diligens studium et accuratum usum. Etenim cum primos illos Patres nostros, et qui eos dein subsecuti sunt, non alia re magis quam horum Exercitiorum opera in alios plane viros mutatos fuisse constet, perque ipsos alios deinceps atque alios iisdem hisce spiritualibus Exercitiis excultos, e vitiorum laqueis expeditos, non virtutis modo, verum etiam eximiæ sanctitatis studio incensos fuisse et in concepto semel ardore spiritus ad mortem usque per multos labores et ærumnas perseverasse; quid est, quod iisdem Exercitiis nos rite utentes non eundem spiritus fructum in nobis fidenter exspectemus? Equidem, Patres ac Fratres carissimi, dum hoc argumentum, quod dudum meditabar, tractandum apud vos suscipio, brevi compendio ad omnem vocationis nostræ perfectionem, ad omnium vitiorum et imperfectionum victoriam, ad omnium virtutum exercitationem efficacissime vos adhortari mihi videor; atque ita existimo, si studium admirabilis libri Sancti Patris nostri, si diligentem et accuratum ejus usum vobis persuasero, renovationem spiritus in universa Societate lætissimo nostrum omnium profectu consecuturam.

Ac de Exercitiorum quidem laudibus, de eorum excellentia atque efficacia apud vos

disserere, Patres ac Fratres carissimi, supervacaneum existimo. Donum ea esse singulari Dei beneficio Sancto Patri nostro Ignatio concessum et per illum Societati proprium nemo vestrum ignorat. Ab his potissimum ipsum hunc Societatis Parentem suam illam hausisse eximiam sanctitatem, in his Societatis formandæ ideam divinitus eum concepisse, hæc Socios ei peperisse in Christo, in his proinde conceptam fuisse Societatem, ex his natam, his adolevisse, his præcipue altam ac sustentatam fuisse; hæc unum ex præcipuis esse instrumentis, quibus ad duplicem vocationis nostræ finem, ad propriam scilicet salutem ac perfectionem et ad salutem ac perfectionem proximorum conniti debeamus, et quæcumque Societas adhibet ad finem suum consequendum media, in omnibus suis ministeriis, in omnibus operibus zeli ex his haurire vim et efficaciam debere in comperto est. Quod si Societas hisce Exercitiis in primis Parentem suum acceptum referre debet, his ejus primos Socios (quales quantosque viros!), his Constitutiones suas, cœlestis plane sapientiæ opus, his se totam suaque omnia; non est profecto, quod pluribus verbis demonstratur, quanti eorum tractatio momenti sit ad Societatis nostræ conservationem et incrementum.

Et vero tractantur illa a Nostris, et, prout Constitutiones legesque nostræ præscribunt,

tractantur frequenter. Per solidum mensem in Tirocinio primum singuli iterumque per mensem integrum post studia peracta in tertio Probationis anno; quotannis item per octo vel decem dies iisdem ex præscripto vacamus omnes. Eorum usus etiam apud externos ita jam communis est, ut passim in omnibus fere Monasteriis, in Ephebeis, in Scholis, ad Populum etiam publice tradantur ea frequentia, qua fortasse nunquam magis. Ast fateri vel inviti cogimur, licet fructus quidem salutaris existere nunquam non soleat, raro tamen jam Exercitia eos producere effectus eximiæ illius sanctitatis, quæ olim vix non perpetuo eorum tractationem consequeretur. Atque ut de aliis, qui Exercitiis spiritualibus excoli solent, nunc non agamus; de nobis ipsis, Patres ac Fratres carissimi, hic mihi sermo est. Neque enim est, quod ita nobis blandiamur, ut non plane videamus longo nos intervallo distare ab eximia illa Patrum nostrorum virtute, quam in annalibus nostris legimus et admiramur. Ut enim, quæ Dei misericordia est, recti bonique desiderium vigeat passim in omnibus, idque ipsum hisce spiritualibus Exercitiis potissimum debeamus; non est tamen, quod hac quacumque bonitate vitæ contenti esse possimus, si vocationis nostræ altitudinem consideremus, si formam nobis in Constitutionibus propositam contemple-

mur. Viros enim non communi quodam modo, sed eximie spirituales et insigniter orationi deditos et, quod majoris est momenti, viros abnegationis perfectæ, perfectæ mortificationis, zeli perfecti, qui animo vere magno et generoso *expugnantes omnem carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani affectum*, ut S. Patris N. verbis utar, Christum quam possint proxime sequantur, Christum unice ament, unice spirent, Christum imitari per ærumnas ac ludibria, per mille mortes ardentem exoptent, quales olim prodiisse plerosque ex Exercitiis spiritualibus accepimus, rariores jam esse non sine intimo dolore nec sine pudore fateri debemus. Magna illa et præclara et heroica in codicibus legimus frequenter, oculis cernimus rarius nec fere nisi in paucis.

Neque tamen is ego sum, qui ab omnibus omnia præstari aut posse aut debere existimem. Scio, Patres ac Fratres carissimi, non eandem gratiæ mensuram omnibus tribui, nec sine præsumptionis periculo futurum, si nobis omnia imitanda proponeremus, quæ in Patribus nostris fuere eximia, quos ut *primitias spiritus habentes* largiore manu Divina bonitas donis suis cumulaverat. Immo vero præclare nobiscum agi arbitrabor, si, ut in illis servis suis Dominum *mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriari* possimus. Sed tamen, si nobis

centesimum ferre fructum, ut Patribus nostris, datum non est, num *trigesimo* aut etiam *decimo* contentis esse nobis licet, cum fortasse *sexagesimum* saltem ferre daretur, si conatum intenderemus?

Itaque sic existimo ac plane sentio, si spiritualia Sancti Patris Exercitia a nobis magis accurate usurparentur, majora nos incrementa spiritus veræque sanctitatis absque dubio capturos. Quod autem dico, ita intelligi velim, ut ipsius libri Sancti Patris nostri studium et usum in nobis magis vigere summopere cupiam.

Multi sane, Patres ac Fratres carissimi, multi prostant libri titulum Exercitiorum spiritualium præferentes, qui fuse Exercitiorum Sancti Patris argumenta pertractant. Sed nimirum, qui, dum vacat Exercitiis, hujusmodi libris utitur, præsertim si nullam ipsius libri Sancti Patris cognitionem, nullum usum habeat, is magis fere lectione pascit intellectum, quam meditatione veritates illas intime penetrat; cum tamen is sit præcipuus Exercitiorum fructus, ut gravissimæ illæ veritates rite perceptæ animo alte defixæ inhæreant inque omni vita ad earum normam actiones nostræ omnes exigantur. Quid? quod plurimi ex illis qui Exercitiorum conscripsere libros, mentem Sancti Patris Ignatii vix obscure assecuti sunt? Quid? quod plerique nec sensa Sancti Patris nec verba ser-

varunt? Quod utinam saltem fecissent semper omnes ac solum superaddidissent quædam quisque de suo! Sed multi sua plerumque sensa sensis Ignatii substituerunt et in multis scilicet vim Exercitiorum enervarunt, ut vere dici possit in tanta hujusmodi librorum copia: *inopes nos copia fecit*, et sacer ille ignis veluti sub cinerum cumulo obrutus ac pene deperditus jaceat.

Quam multi ergo etiam inter Nostros, qui, cum hujusmodi libros Exercitiorum tempore adhibere soleant, exiguum ac fere nonnisi transitorium capiunt ex Exercitiis fructum! Quam multi nunquam librum ipsum Sancti Patris usu gustuque probavere! Quam multi vix eum, ut ita dicam, de facie norunt! Et aliqui fortasse ne regulas quidem illas memoria et usu tenent, quas partim *Annotationum*, partim *Additionum* nomine Sanctus Pater noster præscripsit, et in quibus ille maximam semper vim ad fructuose meditandum posuit, et posuere quotquot recte Exercitia tractarunt. Ergo illud plerumque evenit, ut qui libris illis, quos modo dicebam, Exercitiorum tempore utatur, lectione magis quam meditatione in sacro secessu occupetur; ut quæ absque multa mentis et cordis applicatione percurrit, sine multa quidem animi defatigatione, sed etiam sine magno fructu percipiat; ut denique id fere agat, quod ii plerique, qui diffusos audiunt de

veritatibus illis sermones; legentium enim et audientium hic ferme eadem est ratio, quæ longe certe ab Exercitiorum spiritualium usu, qualem Ignatius intellexit, abest. Ille quidem, quid sint Exercitia spiritualia in ipso libri sui limine explicaturus, similitudine utitur Exercitiorum corporalium, quæ agere illi scilicet dicuntur, *qui ambulant, iter faciunt, currunt*. At vero qui solum audit, vel legit, quæ ab aliis fuse per modum meditationis proposita sunt, et ita se Exercitia spiritualia facere existimat, similis mihi videtur illi, qui dum alios ambulantes, iter facientes, currentes, multa quiete sedens spectaret, se Exercitia facere corporalia diceret; cum id de iis solum, qui ipsi ambulant, ipsi iter faciunt, ipsi currunt, vere dici posse nemo non videat.

Poterunt ergo plerique illi Exercitiorum spiritualium libri utilitate sua non carere, si quis illis extra Exercitiorum tempora utatur, si eos identidem pro lectione spirituali assumat, si eos adhibeat, dum ad Populum dicendum est, ut inde apta ad auditorum animos illuminandos et excitandos argumenta depromat: sed dum quis Exercitiis spiritualibus vacat (non jam de illitteratis, de rudioris ingenii tironibus loquor, sed de iis potissimum, qui Magistri divinæ hujus artis esse debent, quales ut evadant, omnibus Sacerdotibus nostris curandum est, ex regula

ipsorum 7.), equidem unicuique auctor sum, ut ipso Sancti Patris libro potius quam alio quovis utatur. Quod si quis, propter nimis exiguum vel potius nullum ejus libri usum adhuc factum, sibi jejunum fore nimis et aridum existimet, ejus se studio ex animo dedat et experimentum vel semel faciat, velim; et profecto plura latere sub paucorum verborum cortice reperiet, quam prima specie videbatur, illudque ei fortasse continget, quod plerisque cordate idem opus aggressis contigisse experti novimus, qui abundantiam rerum in eo tantam, Deo scilicet piis conatibus adspirante, invenerunt, ut nullum alium deinceps librum pro Exercitiis spiritualibus præter ipsum illum Sancti Patris requirerent, et quoties eo uterentur, toties novam inde se luminis practici copiam magno suo bono percepisse profiterentur.

Atque utinam omnibus vobis, Patres ac Fratres carissimi, studium in primis, tum usum admirabilis hujus libri persuadere possem! Epistolæ angustiis prohibeor equidem, quominus singillatim thesauros ingentes in eo contentos enumerem et exponam. *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Dei* Ignatius litterarum etiam tum plane expers, quæ divino Spiritu suggerente didicerat, primum sibi, tum aliis conservare ac Deo animum ejus manumque regente chartæ tradere constituit.

Methodos orandi facillimas itemque efficacissimas docet, quibus utentes quam plurimos, etiam illitteratos Fratres adjutores, horas integras nullo tædio, fructu maximo orationi impendere consuevisse novimus. Et vero quid facilius quam animi facultates, memoriam, intellectum, voluntatem certo servato ordine ad veritates fide cognitatas applicare? Quid item facilius quam vitæ passionisque Christi Jesu mysteria per contemplationem distinctam personarum, verborum, actionum meditari? Quid ad sui cognitionem, ad vitiorum emendationem aptius utroque illo examine, quod tanta verborum simplicitate a Sancto Parente propositum, tam facile ab omni homine, qui modo bonæ sit voluntatis, in praxin reduci potest? Jam vero, si præcipua vitæ spiritualis documenta, quæ in libro Sancti Patris admirabili ordine tradita sunt attingere velim, finem non inveniam.

Quid enim ego de sublimi illa philosophia dicam, quæ in ipso, quod primum proponitur, *Fundamento* continetur, quaque Sanctus Pater docet hominem in rebus suis rerumque creatarum usu non affectu quocumque sed ratione duci, ut, quid demum sit *hominem esse* et *ut hominem decet agere*, intelligat? Quid de peccatorum gravitate cognoscenda ac detestanda in utroque *de Peccatis* exercitio? Quid de præclara illa *de*

Regno Christi meditatione, ubi jam non hominem qualemcumque, sed Christianum erudit et ad majora provocare incipit? Quid de *duobus Vexillis*, ubi apostolicæ vocationis finem, media et excitementa sane potentissima non magis menti intelligenda, quam oculis ipsis spectanda proponit? Quid de eligendarum rerum cognitione deque animi dispositione, quam tum descriptis *tribus Humilitatis modis*, tum propositis *tribus hominum Classibus*, seu tentat et explorat, seu suavissime simul et efficacissime provocat et excitat ad æmulanda charismata meliora? Quid de cœlesti illa sapientia ac prudentia, qua omne bonum desiderium cum propriæ imbecillitatis cognitione ita semper conjungit, ut divinæ gratiæ auxilium et ad cognoscenda, quæ recta sunt, et ad eadem voluntate amplectenda necessarium esse assidue moneat semperque eam postulare, et qua ratione postulanda sit, doceat? Quid vero dicam de quibusdam ignem spirantibus sentiis, quibus refertus est aureus iste ac divinus plane liber, quasque in plerisque Exercitiorum spiritualium libris, quod incredibile videatur, frustra requiras?

Quo in genere ut unum alterumve exemplum adferam, quid, quæso, ad sui ipsius cognitionem propriæque miseræ atque indignitatis sensum aptius, quam quæ a Sancto Patre cogitanda, meditanda et animo vol-

venda proponuntur: dum vel *animam nostram in hoc corpore veluti ergastulo constrictam hominemque ipsum in hac miserice valle inter bruta animalia exulantem repræsentat*; vel per quosdam veluti gradus meditantem deducens cogitare jubet, *quid sit homo unus ad ceteros homines omnes comparatus; quid deinde mortales vel omnes comparati ad Angelos ac Beatos; quid postea Angeli ac Beati omnes, et quidquid est creaturarum, comparatum ad Deum Creatorem; quid proinde, quantulus, quam fere nihil, unicus homuncio ad illam supremam Majestatem; atque inde jubens meditantem descendere ad considerandam primum corporis fœditatem, deinde animi pravitatem, cogit eum tandem concludere, nil aliud denique se esse nisi *ulcus quoddam et apostema* atque adeo pestilentem orbis luem ob commissa peccata?*

Quid iterum suavius et ad inflammandos animos erga piissimum Redemptorem potentius, quam cum in colloquio, quo tremendam illam de triplici Peccato meditationem concludit, *Christum e cruce pendentem jubet veluti coram spectare; ac deinde ex nobis ipsis quærere, cum ipse Dominus tanta faciat ac patiatur nostra causa, quid tandem illo dignum nos egerimus, quid agamus pro illo, quid agere debeamus in posterum?* vel cum item in contemplatione de

Christi Nativitate cogitare jubet, *qui summus ille Dei Filius in extrema nascatur paupertate, ut vitam illam tot inter ærumnas, in fame et siti, in æstu et frigore, per injurias et ludibria transactam, in crucis patibulo tandem consummet, et hæc omnia propter me?*

Prætermitto alia his similia quam plurima. Verum hæc, cum præsertim in conspectu Dei, animo jam ad compunctionem per ipsum sacrum secessum et præcedentia Exercitia composito, considerantur, quem, quæso, non commoveant, non feriant? cujus cor non urant, non inflamment? Iterum dicam: experiatur quisque, velim, et serio se hujus libri studio dedat; et si quem unquam hujus suscepti studii pœnituerit, me dati parum opportuni consilii incuset, non repugnabo. Profecto dolendum maxime sentio et vero etiam pudendum, quod liber hic Sancti Parentis multis etiam ex Nostris ita parum cognitus sit, ut *liber fere clausus* ipsis habeatur. Ergone thesaurum hunc tantum possidebimus veluti in terra defossum? Ergo præclarissimum hoc cœlestis harmoniæ organum in manibus nostris mutum erit, sine voce ac mortuum, quod qua ratione tangendum sit, ut sonos suos edat, ignoremus? Ergo præstantissimis hisce *armis spiritualibus*, ut ea Sanctus Pater vocabat, instructi *ingredi ad pugnam non poterimus*, quia non

usum habemus? Studeamus, quæso, Patres ac Fratres carissimi, studeamus diligenter insignem hunc, divinum hunc Exercitiorum librum intelligere ejusque usum familiarem nobis reddamus; neque enim absque diligenti studio usuque frequenti ejus intelligentiam assequemur. Quod cum omnibus nostris Sacerdotibus commendatum esse cupio, tum præsertim Superioribus rerumque spiritualium Præfectis, qui suæ curæ commissos in hac scientia Sanctorum acquirenda non sibi relinquere, sed ducere ac dirigere debent; tum vero omnium maxime tironum Magistris et Instructoribus tertiæ Probationis, cum inter utriusque Probationis *experimenta* ab Instituto præscripta illud sit, sin minus semper tempore, at certe dignitate ac necessitate *primum*, ut Exercitia spiritualia integra a singulis, qui probantur, fiant. Et sane ex his discendus orandi meditandique modus et usus quotidianus; ex his examinandæ conscientiæ ratio petenda et methodus exstirpandi vitia et acquirendi virtutes; ex his omnis vitæ nostræ spiritualis documenta certa ac tuta; ex his regulæ ad inimici seu apertas tentationes seu tectas artes ac fraudes cognoscendas ac superandas, ne quis forte specie boni deceptus a vero bono divellatur; ex his denique omnis vitæ nostræ vocationisque ratio potissimum petenda est, nec unquam futurus est aliquis

verus Societatis filius, nunquam ejus spiritum habebit, nisi hinc, e Sancti Patris inquam Exercitiis, hauserit.

Neque enim studium libri Sancti Patris ejusque usum dum tam multis verbis commendo, studium ejus, ut aiunt, mere *speculativum* commendare me, vos ipsi, credo, satis intelligitis. Absit, Patres ac Fratres carissimi, ut librum hunc manibus assidue versantes ac tantæ admiratione sapientiæ capti, eum veneremur tantum, laudemus aliisque commendemus. Absit, ut, quemadmodum de Joannis Baptistæ admiratoribus Christus Dominus aiebat, quod *ad horam ejus splendore delectati essent*, quin tamen ex ejus prædicatione verum cepissent fructum: ita nos pulcherrimis Sancti Patris documentis capti ac delectati manum operi ad moveri in nobismetipsis negligamus. Quis enim nescit, omnem hic fructum ab applicatione pendere? Quæ quidem omnis practica est seque in universam vitæ nostræ rationem et in omnes actiones nostras et in actionum omnium modos, in intima demum sensa omnia et cogitationes omnes sese diffundat necesse est; cujus proinde vis et efficacia tam late patet, ut terminum in his invenire non sit, neque adeo dicere unquam possimus: *sufficit*.

Illud vero præcipue animadvertamus oportet, ac præ oculis semper habeamus, in veræ

perfectæque abnegationis propriæ studium omnem spiritualium Exercitiorum doctrinam resolvi. Hoc enim qui non intelligat, periculum est, ne, ut in Constitutionum nostrarum, ita in Exercitiorum studio vehementer erret eoque perniciosius, quo propter sapientissima vitæ documenta doctior sibi ac spiritualior videri posset. Spiritualium enim rerum intelligentia, nescio quomodo, animis non raro illudit, ut jam vere spiritualem se esse quis existimet, propterea quod in rebus spiritualibus versatus optime sibi videatur; quæ, si qua alia, tentatio periculosissima est.

Ad propriam itaque abnegationem omnia demum referuntur, idque ex universo Exercitiorum libro manifestum est. Non tradit Beatus Pater sublimis cujusdam orationis et singularis unionis cum Deo modos aut præcepta. Ad hanc docet quidem animos disponere; at dispositionem omnem præcipue in illa, quam dixi, abnegatione sui constituit. Quis Exercitiorum finis? Audi ex ipsa libri inscriptione: *Ut homo seipsum vincat vitamque suam disponat absque ulla affectione, quæ recte ordinata non sit.* Qua vero ratione vita omnis recte ordinabitur? Nempe proposito nobis *fine* puro purissimo unius Dei gloriæ nostræque salutis. Hoc in *Fundamento*, hoc in *Electionibus*, hoc passim ubique repetit, inculcat. Quomodo vero id assequemur, ut tam recte, tam pure agamus?

Si tollamus quidquid in nobis ipsis impedi-
menti est. Et quodnam illud? Quidquid
proprie est *voluntatis*, quidquid est *amoris*
proprii et mundani. Hoc sibi quisque *per-*
suadeat, inquit, *tantum se in studiis spiri-*
tualibus promoturum esse, quantum ab
amore sui ipsius et proprii commodi af-
fectione sese abstraxerit. In hoc tam con-
stanter insistit Beatus Pater per totum libri
decursum, ut, et ubi de *Victu recte tempe-*
rando agit, et ubi de *Pœnitentiarum usu*
determinando, et ubi doctrinam tradit de
Electione, et ubi de *vitæ Reformatione*, et
ubi de *Eleemosynarum distributione*, idem
diversis licet verbis assidue ingerat: *eo me-*
lius futurum, quo longius ab amore nostri
ipsorum recedamus. Ad hoc in meditatione
de Regno Christi, ad hoc in altera *de duo-*
bus Vexillis, ad hoc in proponendis *tribus*
hominum Classibus tribusque Humilitatis
modis admirabili arte nos erudit et invitat
et impellit; ubique naturæ repugnantiam im-
pugnare docet ac superare. Quod si ex
animo, si strenue, si constanter agamus, et
vitam omnem recte ordinabimus, et virtutum
possessionem facile consequemur, et vero
etiam ad unionem cum Domino beatissimam
nosmetipsos ejus opitulante gratia dispone-
mus. Hac, non alia via Patres nostri, quod
sane notatu dignissimum est et ex annalibus
nostris constat, hac, inquam, via Patres no-

stri, qui primis illis temporibus ad religiosam in societate vitam non aliis fere institutionibus nisi Exercitiis spiritualibus instruebantur, vi et animo in illis concepto, cum se abnegationi propriæ generose exercendæ dedissent, brevissimo plerique tempore ad eximiam vitæ perfectionem eluctati sunt et fructus in Ecclesia Dei fecerunt uberimos, quibus nos etiam nunc, post unum, alterum, tertium sæculum gaudemus et fruimur. Scilicet hoc illi vitæ spiritualis axioma in Exercitiis intime perceptum, alte impressum animo gerebant suoque confirmabant exemplo: *quantum quisque a se ipso recedat, tantum appropinquare Deo; et cor, quo magis vacuum sit amore proprio, eo magis Dei spiritu repleti.*

O Patres mei ac Fratres dilectissimi, si spiritum Dei habuerimus, si vere spirituales fuerimus, quam bene nobis, quam bene Societati erit universæ! Quæ pax, quanta unio animorum inter nos! quanta alacritas ad laborandum pro gloria Dei et animarum salute, et ad patiendum etiam quæcumque adversa quanta promptitudo! Quam bene fluent nobis omnia! Quanto illa ipsa externa ministeria, quæ pro nostræ vocationis ratione tractamus, nobis ipsis primum, tum aliis plurimis uberiores adferent utilitates! In ipsa litterarum scientiarumque tractatione, quam procul aberunt contentiones, æmulationes,

præoccupati in particularibus propriisve opinionibus animi aliæque hujusmodi miseriam, quæ et intellectum obscurare solent, nec studiorum minus progressui quam virtuti ac perfectioni nocent plurimum! Erit in Superioribus zelus disciplinæ sine asperitate, suavitas non remissa; erit discretio, erit prudentia, simplex tamen semper et ab omni specie odiosæ illius, quam omnes merito detestamur, *politice* longissime remota. Erit in Subditis obedientia integra, prompta, hilaris, constans, perfecta, executionis, voluntatis et iudicii etiam, qualem maxime cupit Beatus Pater in suis. Denique universa Societas vero suo vigentique spiritu efflorescet, qualem illam Sanctus Pater Ignatius juxta formam, non terrena, sed cœlesti sapientia inventam ac descriptam, condidit.

Quapropter oro vos, Patres ac Fratres carissimi, per Sancti Patris Ignatii reverentiam, cui, post Jesum et Virginem Matrem nos nostraque debemus omnia; per amorem Societatis, cujus incrementa et successus, non a quibuscumque naturalibus aut humanis præsidiiis, non a splendore doctrinæ aut eloquentiæ, non ab hominum quorumcumque favore, sed ab ejus vero in nobis conservato renovatoque spiritu pendent; per salutem ac perfectionem cujusque propriam, quæ nobis omnibus summopere cordi esse debet, quippe quibus in hac vocatione bonis

piisque Christianis esse profecto non sufficit; per Ecclesiæ sanctæ necessitates tantas, quibus aliquam a nobis adferri opem suo jure Mater optima postulat et exspectat; per animarum pretiosissimo Christi Jesu sanguine redemptarum salutem, quibus juvandis sacramentum in hac Christi Ducis militia diximus; oro vos atque obtestor, ut tam præclarum, tam efficax ad tanta bona consequenda subsidium, quod nobis in Sancti Patris Exercitiis traditum est, et studiosa complecti mente et diligenter adhibere, documentaque in iis tradita ad effectum usumque perpetuum et quotidianum in vobis ipsis deducere, quanta possitis industria et conatu, ad Patrum nostrorum imitationem, satagatis. Et quoniam non in industriis nostris nostrisque conatibus, sed in divinæ gratiæ auxilio potissimum hujus tanti boni consequendi spes sita est; juxta ipsorum Exercitiorum doctrinam, divina hæc auxilia studiose et ardentem petamus: ad Virginem scilicet gratiæ Matrem confugientes, et per Mariam ad Jesum *Mediatorem Dei et hominum*, et per Jesum denique ad Deum Patrem benignissimum accedentes petamus, postulemus, flagitemus cum certa fiducia impetrandi. Neque enim timenda repulsa est in tam justa petitione, modo ne ipsi nobis desimus. Etenim, si peteremus *sedere ad dexteram vel sinistram in Regno ejus*, si


quæcumque speciosa aut minime ad finem nostrum necessaria postularem, respondere nobis posset Dominus, ut olim filiis Zebedæi: *nescitis quid petatis*: at dum id ab eo efflagitamus, quod ipse maxime a nobis requirit, et sine quo ei placere non possumus; dum nostræ conscii miseræ atque inopiæ misericordiam et opem imploramus; dum denique non aliud petimus nisi *spiritum bonum, dabit utique petentibus se* misericors ac benignus *Pater noster cælestis*; ac bonus hic spiritus, verus inquam spiritus Societatis Jesu, *fiet in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam, venientque nobis omnia bona pariter cum illo*. Quem ut et mihi, qui omnium maxime illius egeo, concedere Dominus dignetur, vestris me ss. SS. et orationibus enixe commendo,

Reverendi Patres ac Fratres carissimi.

Romæ, die 27. Decembris 1834.

Vestrum omnium servus in Christo

JOANNES ROTHAN.





PROLOGUS

AD PATRES EXERCITIORUM SPIRITUALIUM
PRÆCIPUE STUDIOLOS.

In hac nova, quam videtis, RR. PP., Exercitiorum spiritualium S. P. N. editione adornanda, quid consilii fuerit, paucis accipite.

Inde a viginti eoque amplius annis, tum in secessu annuo, tum extra illum evolventi mihi librum Exercitiorum in vulgata versione latina, dudum incesserat desiderium inspicendi aliquando ipsum textum hispanicum, quo idiomate a Sancto Parente nostro conscriptum fuisse librum nemo ignorat. Videbam enim duplicem quidem versionem oblatam fuisse censoribus, quibus Paulus III. librum, antequam illum Apostolica auctoritate approbaret, examinandum commiserat, et utramque, *ne vocula quidem mutata*, probatam fuisse; ut habet Orlandinus noster Hist. Soc., lib. VIII. n. 1, utque ex iis, quæ in omnibus fere libri editionibus exstant, summorum illorum virorum testimoniis comprobatur: at ex duabus illis versionibus eam fuisse selectam ac typis editam, quæ latinior visa erat, et sensum potius sensui reddebat; omissa altera, quæ verbum pene verbo reddiderat. Videbam subsequentibus tempo-

ribus auctoritate V. Congregationis Generalis eamdem illam versionem recognitam et cum autographo hispanico collatam, variis in locis, quæ obscuriora videbantur, fuisse notis aliquibus adjectis seu illustratam seu emendatam. Videbam eosdem Patres, qui versioni vulgatæ cum autographo conferendæ præfuerant, non dissimulasse, alia quædam præterea se reperisse quidem, sed, quod minoris momenti visa essent, prætermisisse. Hæc omnia et quod aliqua etiamnum obscuriora viderentur, fortasse ex hispanico dilucidanda, et præsertim (hanc mihi veniam date) peculiaris quædam erga S. Patrem resque ejus omnes reverentia ac devotio, desiderium ardens cognoscendi ipsum S. Patris textum excitaverant.

Itaque, cum paucis abhinc annis hispanicum exemplar, diu frustra quæsitum, nactus tandem essem, eo lætus uti cœpi, illudque legere cupidissime atque attentissime. Inde inter ipsum annum secessum iterum iterumque librum textu hispanico meditare volvens atque revolvens deprehendi scilicet non pauca, quæ mihi quidem notatu dignissima esse, et sive ad majorem perspicuitatem sive ad majorem spiritus unctionem non mediocriter conferre posse videbantur. Ergo quæ observaveram, cum sedulo adnotare cœpissem, et cum quibusdam Patribus in Exercitiis spiritualibus studiosius versatis communicassem, his etiam digna visa sunt, quæ non ignorentur a Nostris; ne minutis licet illis, pretiosissimis tamen tanti thesauri particulis, quæ in vulgata versione excidisse et quo-

dam modo deperditæ jacere videbantur, No-
stri passim carerent.

Ac primum quidem non alia mens erat,
nisi ut præcipua quædam in nova Exercitio-
rum editione adjectis adnotatiunculis designa-
rentur. Sed cum in rerum notandarum se-
lectu sæpe hæreret animus, et illa etiam
recurreret identidem cogitatio, quod fortasse
ea, quæ mihi fere nullius viderentur mo-
menti, aliis majore instructis lumine non in-
utilia nec negligenda videri possent; in illud
demum consilium deveni, ut quam fieri pos-
set maxime litteralem versionem totius libri
adornarem, ex qua illud etiam nasceretur
commodi, quod illa nativa simplicitas ac sim-
plicitatis socia unctio, quæ Sanctorum non
sensa modo, sed et verba comitari solet,
conservaretur facilius, et a legentibus seu
meditantibus potius (nam meditate legi totum
hunc librum omnesque ejus partes necesse
est) aliquo saltem modo etiam in versione
percipi posset.

Atque hunc ego laborem eo etiam luben-
tius suscipiendum mihi existimavi, quod cum
hiscæ temporibus tantum operæ impendi pas-
sim ab hominibus litteratis videamus, ut non
modo veterum, sed aliorum etiam sæpe re-
centioris ævi scriptorum novas editiones ac-
curatissimas concinnent, variantium, quas vo-
cant, lectionum diligentissime habita ratione
in iis etiam, quæ nullius esse momenti videri
possunt, cum vel minimos apices inobserva-
tos relinquere sibi nefas illi putent (quam
quidem diligentiam, ubi operæ pretium est,
nemo improbaverit, nemo reprehenderit);

majore profecto jure, majore certe utilitate quam in plerisque ex illis, quos dicebam, auctoribus, libro huic S. P. N. curam hujusmodi impendendam nobis esse arbitrabar.

Ergo ad opus me accinxi, et subsiciva tempora huic labori, qui mihi quidem suavissimæ quietis loco plerumque fuit, impendi. Quo vero accuratius in eo ac certius progrederer, hispanica libri editione quacumque non contentus, eo usus sum exemplari, quod antiquissimum ms. in hoc romano Archivo nostro asservatur, et in cujus margine variis in locis correctiones aliquæ ipsa S. P. manu notatæ conspiciuntur. Atque hoc ipsum est, quod a Congr. V. *Autographum* vocatur. Nam exemplar manu propria S. P. totum exaratum ne tunc quidem exstabat, certe repertum non fuit. Adhibui item et cum autographo hispanico perpetuo comparavi antiquam versionem latinam, pariter ms., fere quidem et ipsam litteralem: quæ an eadem illa sit, quæ censoribus simul cum altera, quæ vulgata est, oblata fuerat, non constat; at est certe antiquissima, conscripta videlicet anno 1541, ut in calce hujus codicis ab amanuensi adnotatum legitur; eaque ipsum S. P. Ignatium usum fuisse, colligimus ex hisce verbis in exteriori ejus folio manu S. P. exaratis: *todos exercicios* *) *breviter, en latin*. Cete-

*) *Breviter*. Non quod brevius in hac versione quam in Autographo hispanico; sed quia textus libri non nisi *breviter* Exercitia continet, ore tenus scilicet fusius explicanda.

rum ista versio, quæ currenti calamo facta fuisse videtur, ejusmodi est, ut mirum non sit, visam non fuisse typis edendam, sed alteram, quæ P. Andreæ Frusii erat, præferendam.

In hac itaque nostra editione habetis, PP., in primis quidem vulgatam versionem integram plane atque intactam,*) ob reverentiam, quæ ei merito debetur semperque debebitur, subjectis tantum suis in locis asterisco notatis illis correctionibus, quas olim V. Congregationis auctoritate P. N. Claudius ei addendas curavit: tum ex adverso versionem nostram litteralem textui vulgato perpetuo respondentem; in qua, ut primo statim intuitu appareat, ubi, quibusve in vocibus aliquod habeatur a versione vulgata discrimen, voces hujusmodi, plures, pauciores, distincto caractere expressas videtis. Si quid interdum, vel ad sensus plenitudinem, vel ad dubiæ significationis vim conservandam, necessario visum fuit textui latino inserendum, id uncinis inclusum reperietis. Denique temperare mihi non potui, quin locis quibusdam adnotationes aliquas adjicerem, quibus vim textus autographi aliquantum illustrari posse existimabam. Ceterum latinæ ratio in hac versione alia habita non fuit, nisi quantum intelligentia rerum requirebat; neque

*) *Versioni vulgatæ* quamvis maxima debeatur reverentia, tamen in hac nostra editione usui magis practico destinata a versione vulgata juxta litteralem ponenda abstinendum esse censuimus, cum litteralis præ vulgata certe majorem Sancti Spiritus spiret unctionem. (Nota Editoris.)

enim stili correctio quærenda erat, sed fidelitas in verbis ipsius autographi, quam fieri poterat, accuratissime reddendis. Commodius quidem verti ad verbum vel gallice vel italice potuisset, ob harum linguarum idiotismos hispanico idiomati plerumque magis affines; sed plurimum utilitati consulendum fuit.

Jam quæ mihi cogitatio sæpe in mentem venit textum hispanicum cum vulgata versione conferenti, eadem vobis versionem cum versione comparantibus fore ut non semel incidat, nullus dubito: ut scilicet quæritis vobiscum ipsis, qui factum sit, ut versio, quæ tam multis in locis vel a propria et ingenita vi hispanici textus differre, vel certe ea tanto esse inferior cernitur, sub ipsis S. P. oculis typis mandari potuerit. Ad quam ego quæstionem quid mihi ipse responderem, nihil inveni probabilius, quam quod S. P., qua erat humilitate, quidquid esset rerum suarum, id aliorum plane curæ permitteret. Certe de verbis eum fuisse in Exercitiorum libro minus sollicitum vel ex eo patet, quod cum a se conscriptus esset rudi calamo, ut erat tum litterarum plane expers, cumque multi in eo et linguæ minime correctæ errores, et in sententiarum nexu quædam non raro anacolutha occurrerent, horum nihil sibi postea corrigendum existimaverit, sed omnia plane, sicut ea pro animi sensu primo illo tempore scripserat, porro scripta reliquerit, additis dumtaxat aliquibus identidem verbis ad explicationem majorem vel ad confirmationem propositæ doctrinæ iisque paucissimis. Qui ergo tam parum

curavit autographum suum, quid mirum, si versionis curam aliis omnem reliquerit? Adde, quod cum non tam scripto primis illis temporibus, quam vivæ vocis explanatione Exercitiorum series omnis ac methodus traderetur, parum intererat, aliqua esse in versione latina minus accurate ad hispanicum autographum exacta, cum eorum usui ederetur in lucem, qui vim rerum vel ex ore ipsius S. P. hauserant vel certe ex iis, qui hanc ab ipso acceperant. Hac vero tempestate, postquam et lapsu temporis et multo frequentatissimoque Exercitiorum usu factum est, ut pauci omnino S. P. formam servare consueverint, plurimum referre putavi, si quam accuratissime et sensus S. P. et verba cognoscerentur. Quod si hæc qualicumque opella nostra aliquid etiam conferat ad Exercitiorum spiritualium studium ex ipso S. P. libro diligentius persequendum, operæ pretium me fecisse ad majorem Dei gloriam non pœnitendum existimabo.

Quæ in omnibus passim libri S. P. N. editionibus præmitti solent, in hac nova non fuere prætermittenda. Sunt autem quæ sequuntur:

I. *Pauli III. Pont. Max. Litteræ Apostolicæ, quibus Exercitia Sancti Patris approbantur et commendantur.*

II. *Testimonia eorum, quibus libri censura a Paulo III. commissa fuerat.*

III. *Monitum primæ editioni præmissum.*

IV. *Alterum monitum de emendationibus in nova edit. an. 1596, textui vulgato subjectis.*



I.

PAULUS PAPA III.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

PASTORALIS officii cura in universum Christi gregem Nobis commissa et divinæ gloriæ ac laudis amor facit, ut ea, quæ salutem animarum et spiritualem earum profectum juvant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fovere et nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, a Nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum ergo (sicut dilectus filius, nobilis vir Franciscus de Borgia, Dux Gandiæ, Nobis nuper exponi fecit) dilectus filius IGNATIUS DE LOYOLA, Præpositus Generalis Societatis Jesu, per Nos in alma Urbe nostra erectæ, et per Nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam documenta sive Exercitia spiritualia ex sacris Scripturis et vitæ spiritualis experimentis elicita composuerit et in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum redegerit; illaque Christi fidelibus ad spiritualem consolationem et profectum magnopere utilia et salubria esse, non solum fama ex plurimis locis allata prædictus Franciscus Dux didicerit; sed etiam experimento manifesto cum Barcinone, tum Valentia, tum Gandiæ id compertum habuerit; quare idem Franciscus Dux Nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta et spiritualia Exercitia prædicta, quo latius eorum fructus pateat, et plures Christi fideles majori cum

devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere; et si approbatione et laude digna inveniremus, approbare et laudare aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui documenta et Exercitia hujusmodi examinari fecimus, et quæ testimonio ac relatione dilecti filii nostri Joannis Tit. S. Clementis, Presbyteri Cardinalis, Burgensis Episcopi ac hæreticæ pravitatis Inquisitoris, et venerabilis fratris nostri Philippi, Saluciarum Episcopi ac dictæ Urbis nostræ in spiritualibus Vicarii generalis, nec non dilecti filii Ægidii Foscararii, nostri sacri Palatii Magistri, Nobis desuper facta, pietate ac sanctitate plena, ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus; debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos IGNATIUS et ab ipso instituta Societas præfata in Ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immerito habentes: hujusmodi supplicationibus inclinati documenta et Exercitia prædicta ac omnia et singula in eis contenta auctoritate prædicta tenore præsentium ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus ac præsentis scripti patrocinio communimus; hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et Exercitiis uti et illis instrui devote velint; nec non concedentes, ut hujusmodi documenta et spiritualia Exercitia imprimi a quocumque biblio-

pola per prædictum IGNATIUM eligendo libere et licite valeant; ita tamen, ut post primam editionem sine consensu ejusdem IGNATII vel successorum ejus nec ab hoc nec ab alio omnino sub excommunicationis et 500 ducatorum piis operibus applicandorum pœna imprimi possint; ac mandantes nihilominus universis et singulis locorum Ordinariis ac personis in Ecclesiastica dignitate constitutis et cathedralium ac metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis et eorundem Ordinariorum Vicariis in spiritualibus, generalibus et officialibus, ubilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios cuius de Societate prædicta vel aliis quorum intererit, in præmissis spiritualibus Exercitiis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate Nostra illos dicta concessione et approbatione pacifice frui et gaudere: non permittentes eos per quoscumque contra præsentium tenorem quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et pœnas ecclesiasticas ac alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo: invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris Nostri de una et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres aliquis auctoritate præsentium non trahatur; et quibusvis aliis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, sus-

pendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium litterarum transsumptis, manu Notarii publici subscriptis et sigillo alicujus Prælati seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis plena fides ubique habeatur, et illis stetur tam in judicio quam extra, ac si originales litteræ exhiberentur et ostenderentur.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die ultimo Julii millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Pontificatus nostri anno XIV.

BLO. EL. FULGINEN.

II.

TESTIMONIA

EORUM QUIBUS CENSURA EXERCITIORUM
EST COMMISSA.

IN PRIMA TRANSLATIONE.

Legimus omnia in volumine hoc digesta, nobisque valde placuerunt, et ad animarum salutem in primis conducibilia sunt visa.

CARDINALIS BURGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc, omni laude dignum, et Christianæ professioni valde proficuum, imprimatur.

PHILIPPUS VICARIUS.

Non poterunt tam sancta Exercitia non maximum commodum præstare cuilibet studioso. Ideo obviis etiam ulnis amplectenda sunt.

F. ÆGIDIUS FOSCARARIUS,
Magister Sacri Palatii.

IN SECUNDA TRANSLATIONE.

Legimus spiritualia hæc Exercitia, placentque nobis valde, et digna judicamus, quæ ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus recipiantur et magni fiant.

CARDINALIS BURGENSIS.

Concedimus, ut opus hoc omni laude dignum et Christianæ professioni valde proficuum imprimatur.

PHILIPPUS VICARIUS.

Cum nequeat subsistere diu Christiana religio sine exercitiis et meditationibus aliquibus spiritualibus (in meditatione enim, inquit Vates, exardescit anima mea), nullas arbitror magis opportunas his, quæ procul dubio ex Scripturarum studiis et longo rerum usu natæ sunt.

F. ÆGIDIUS FOSCARARIUS,
Magister Sacri Palatii.

III.

QUIDAM DE SOCIETATE JESU
DEVOTO LECTORI EJUSDEM SOCIETATIS
SALUTEM IN DOMINO.

Hæc documenta ac spiritualia Exercitia, quæ non tam a libris quam ab unctione Sancti Spiritus et ab interna experientia et usu tractandorum animorum edoctus noster in Christo Pater Magister IGNATIUS DE LOYOLA, Societatis nostræ Institutor et Præpositus Generalis (ut præmissum est) composuit, ab idiomate hispanico in latinum duobus modis sunt versa: altera versio non solum sensum sensui, sed pene verbum verbo, altera (quæ visa est præferenda) sensum tantum sensui sed fideliter reddebat. Cum autem Exercitia hæc, ut satisfaceret quorundam et præcipue illustrissimi Ducis Gandiæ Francisci de Borgia devotioni, qui optabat approbari ea Sedis Apostolicæ auctoritate, quæ jampridem et spiritualis plurimorum omnis generis et conditionis hominum profectus (qui per ea spiritum Domini vel hauserant vel mirum in modum auxerant) ubique approbaverat: cum, inquam, ante approbationem summi Pontificis destinatis censoribus videnda proponerentur, utraque translatio eis est oblata; et licet omnino liberæ censuræ eorum subjicerentur, ut adderent, minuerent, mutarent, prout in Domino videretur: tamen ne verbo quidem mutato utramque versionem (quod testimoniis eorundem in archetypis exem-

plaribus patet) approbarunt. Quod ad impressionem attinet, hoc te, pie lector, monitum velim non iis, qui tantum lecturi Exercitia, sed qui facturi, vel potius aliis tradituri sunt, esse hoc laboris et operæ impensum. Cum enim ad fructum uberem capiendum parum sit legisse, nisi strenue quis in eis se exercuerit et magistrum in rebus spiritualibus versatum sit nactus; constat non eo animo impressa esse, ut passim in vulgus emanarent; sed cum laboriosum nimis esset nec sine magno temporis et impensarum dispendio, tam multa exemplaria manuscribere, quibus ad Societatis ipsius usus opus erat, et ut varietate et erratis plurimis (quæ in manuscriptis deprehendi solent) devitatis indubitatae fidei exemplaria suppeterent, typis hoc opus excusum est: sed omnia excusa volumina in potestatem Societatis, ad ipsius, ut diximus, usum (ita ut nec vendi nec excudi ullibi possint) sunt redacta. De his te monere, pie lector, (si forte minus innotuerant) cum perspecta mihi sint prædicta omnia, officii mei esse duxi. Vale in Domino.

Romæ, VI. Idus Augusti MDXLVIII.

IV.

LOCA QUÆ EX DILIGENTI CUM HISPANICO
AUTOGRAPHO COLLATIONE ADNOTATA SUNT
IN HAC POSTREMA EDITIONE.

Ea Patrum deputatio, quæ in V. Generali
Congregatione pro recognoscendo Directorio Exercitiorum instituta fuit, illud in

primis proposuit, ut antequam liber Exercitiorum denuo imprimeretur, cum hispanico autographo, qui Romæ servatur, diligenter conferretur, non ut nova quædam versio fieret, sed ut loca quædam accommodarentur, quæ in vulgata latina subobscura videbantur. Quod cum R. P. N. fieri mandasset, facta diligenti collatione compertum est, latinam editionem in paucis ab autographo discrepare. His igitur prætermisissis, quæ parvi momenti esse videbantur, ea tantum loca adnotari placuit, in quibus sensus subobscurus censebatur vel certe clarior hac nova versione reddi poterat. Quæ omnia cum essent a R. P. N. cum Patribus Assistentibus diligenter examinata, ne vulgata editio ob reverentiam, quæ illi merito debetur, mutari videretur, satius visum est, si in fine Exercitiorum loca omnia, quæ sunt adnotata, ponerentur stellulis quibusdam signata, quæ locis, in quibus facta est mutatio, responderent; ut facilius, quæ in postrema hac editione fuerunt accommodata, reperiri a quolibet possent. Hic autem labor, ut speramus, majorem quamdam lucem afferet iis, qui Exercitia tractant, omnibusque Societatis nostræ hominibus, qui Exercitiorum usum habere debent frequentissimum, non erit injucundus.

Romæ, 25. Junii MDXCVI.

Mandato R. P. N. Generalis

JACOBUS DOMINICUS

Secretarius.

EXERCITIA SPIRITUALIA
S. P. IGNATII LOYOLÆ




VERSIO LITTERALIS



Facient mihi sanctuarium, et ha-

bitabo in medio eorum. Ex. 25, 8



Haurietis aquas in gaudio

de fontibus salvatoris. Is. 12, 3



Anima Christi, sanctifica me.

Corpus Christi, salva me.

Sanguis Christi, inebria me.

Aqua lateris Christi, lava me.

Passio Christi, conforta me.

O bone Jesu, exaudi me:

Intra tua vulnera absconde me:

Ne permittas me separari a te:

Ab hoste maligno defende me:

In hora mortis meæ voca me,

Et jube me venire ad te,

Ut cum Sanctis tuis laudem te

In sæcula sæculorum. Amen.



EXERCITIA
SPIRITUALIA
S. P. IGNATII LOYOLÆ.

~~~~~  
VERSIO LITTERALIS.

—→←—  
*ANNOTATIONES*<sup>1)</sup>

*ad capiendam aliquam intelligentiam in  
Exercitiis spiritualibus, quæ sequuntur,  
et ut [earum subsidio]\*) adjuvet se tam  
is, qui ea traditurus est, quam qui ac-  
cepturus.*

Prima Annotatio est, quod hoc nomine  
Exercitiorum spiritualium intelligitur qui-

---

<sup>1)</sup> Hæ Annotationes sunt quædam veluti  
introductio ad Exercitia. *Duo* in his Anno-  
tationibus spectavit S. P. in ipso hoc titulo

\*) Nota ea, quæ uncinis inclusa reperiuntur, non esse verba  
S. Ignatii, sed a P. Roothaan inserta ob rationes in Prologo  
pag. XXX. indicatas. (Editor.)

libet modus examinandi conscientiam, meditando, contemplando, orando vocaliter

expressa: 1. Ut *aliquam* daret præviam notitiam, et *aliquo modo* explicaret, quid ex ejus mente Exercitiorum spiritualium nomine intelligendum veniret, qui eorum scopus, quæ media etc. 2. Ut monita quædam traderet generalia, quæ tam eum, qui traditurus esset Exercitia, quam qui accepturus, dirigerent, quo certior et uberius fructus existeret.

Conjunctio *et*, ex autographo, non est supervacanea: *adjuvare sese*, activa voce, magis est ad litteram, et videtur etiam magis ad mentem S. P., quam *juvari*.

Ex hoc titulo, quem S. P. Annotationibus præfixit, jam intelligi datur Librum hunc non esse conscriptum simpliciter, ut *legeretur*, neque etiam ut a *quovis* studio ac meditatione *versaretur*. Titulus hic ipse innuit eum, qui Exercitia facit, illa *accipere* debere, ab alio scilicet, qui ea in se expertus, bene versatus sit in hac arte sacra, quique proinde *tradere* Exercitia dicitur. Quod quidem etiam in monito primæ Exercitiorum editioni præfixo (vide supra, XXXIX) diserte dicitur et sedulo notandum est. Neque enim in hanc viam dare se quisquam debet sine duce. Nam errari a non expertis in documentorum applicatione pronum est, error autem omnis periculosus. Ipsa etiam libelli S. P. brevitatis necessario aliquem, qui explicet, requirit. At nec ipse libellus cuiquam, qui prima vice obit



et mentaliter et aliarum<sup>2)</sup> operationum spiritualium, prout deinceps dicetur; quia

Exercitia, concedi debet; ut monet Directorium cap. 10. §. 1, vel de iis agens, qui in Novitiatu nostro probantur. Denique, eximium illum fructum, qui ex Exercitiis rite factis colligi solebat, Patres nostri magna ex parte humilitati tribuebant, qua homo quivis, quantumvis doctus ceteroqui ac litteratus, alterius sese directioni committebat. Et merito quidem. Hæc enim humilitas mirum in modum disponit animam ad uberiores divinæ gratiæ influxus recipiendos.

Porro hæ Annotationes *omnes* quidem ei, qui *tradit* Exercitia, ad manum esse debent, ut iis sese juvet; ei autem, qui *accipit* Exercitia, non omnes sed *aliquæ* utiles futuræ sunt, ut singulas perpendenti patebit.

<sup>2)</sup> *Et aliarum . . . prout deinceps dicetur.* — Quænam sunt *aliæ* operationes præter Exercitia jam enumerata, *examinandi conscientiam, meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter?* Videntur enim omnia Exercitia ad unum aliquod ex his revocari posse. — Sed nimirum *alia* plura sunt Exercitia in libello posita, quæ stricte loquendo ad nullam ex modo dictis exercitationibus pertinent; sunt autem gravissima illa de *Electione*, de *Reformatione vitæ* et cetera hujusmodi documenta, quæ traduntur *deinceps*, in quibus, dum quis se exercet, proprie loquendo neque conscientiam examinat nec meditatatur neque contemplatur neque orat

sicut ambulare, *ire*<sup>3)</sup>) et currere sunt exercitia corporalia, ita etiam *quilibet* mo-

vocaliter aut mentaliter; vere tamen spiritum exercet. — Prudenter autem a S. P. ista expressa hoc loco non sunt, ne forte homini nondum præparato aut disposito inutilis vel sollicitudo vel timor ingeratur. Quæ quidem S. P. prudentia ac discretio ei, qui tradit Exercitia, imitanda est. Nam plerumque illi, qui primum Exercitia aggrediuntur, *non possunt portare modo*.

3) *Ire* seu pedibus *iter facere*. — *Ambulare, ire, currere*, gradationem exprimunt, quæ commode ab exercitiis corporalibus ad spiritualia transferri possunt. — *Beati* quidem, *qui ambulant in lege Domini* (Ps. 118.): at beatiores procul dubio qui, *benedictione legislatoris accepta eunt de virtute in virtutem* (Ps. 83.): ii vero beatissimi, qui *dilatato corde viam mandatorum Domini currunt* (Ps. 118.). — Itaque in Exercitiis spiritualibus nemo contentus sit *ambulare*, lento scilicet gradu ac veluti in limitato spatio, in præstituto virtutis gradu se continendo, ultra quem non tendat: sed unusquisque *ire* porro majori contentione *ac progredi*; quin etiam *currere* conetur, *ad ea, quæ sunt priora, extendens se ipsum*, ut loquitur Apostolus ad Phil. 3. Imo etiam alas ad *volandum* pie et humiliter desiderare licet. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo et requiescam* (Ps. 54.). — *Mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ*

*du* præparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas [male ordinatas] et,<sup>4)</sup> *postquam*

(Isai. 40.). — *Volabunt et non deficient* (Ant. 3, Noct. 2, plur. Mart.).

<sup>4)</sup> *Postquam quis eas sustulerit.* — Ita ex autographo paulo expressius docemur frustra futuros nos in quærenda voluntate divina circa vitæ nostræ dispositionem, nisi cura *prima* sit, ut affectiones inordinatas tollamus. Nisi enim ante omnia ad has tollendas incumbamus, nec *lumen* ad intelligendum, quid velit Deus, nec *voluntas* ad illud amplectendum suppetet; nec *vires* ad illud opere exsequendum. Quænam vero sint *affectiones inordinatæ*, id tum ex peccatis, quorum quisque sibi conscius est, tum maxime ex *Principio* et *Fundamento* intelligi dabitur. *Inordinata* est omnis affectio, cujus principium non sit in *fide* vel recta *ratione* fundatum, vel cujus afferri non possit motivum vel causa probabilis ex *ratione* vel ex *fide*. Si quæras ex te: *Quare* sic afficior? *Quare* lætor? *Quare* tristor? *Cur* hoc desidero, illud timeo? *Quare* hoc amo, illud aversor? *Cur* irascor vel indignor? nec primo semper responso contentus hujus ipsius responsi rationem iterato *Quare?* investiges; facile reperies, sitne ordinata affectio, necne.

Observentur autem diligenter gradus, per quos Exercitia spiritualia nos ducunt. *Præparant* enim *et*, quod plus aliquid significat,



*quis eas sustulerit, ad quærendam et inveniendam voluntatem divinam in vitæ*

*disponunt animam: 1. ad tollendas affectiones inordinatas; 2. ad quærendam voluntatem divinam; 3. ad eandem inveniendam; 4. ad hanc, cum primum invenerit, amplectendam porro ac sequendam in vitæ suæ dispositione; id quod profecto facere non dubitabit, qui ab affectionibus inordinatis sese expediverit. Atque ita demum salus animæ, qui ultimus est Exercitiorum finis, in tuto collocabitur.*

Porro, recte dicitur per Exercitia *præparari ac disponi* animus ad illa omnia; ne forte quis existimet, se per Exercitia sola, brevi illo tempore, et affectiones male ordinatas tollere a se posse et cetera omnia, quæ dicta sunt, præstare. Est enim hoc opus, hic labor, totius vitæ; sed per Exercitia animus ad ista *præparatur ac disponitur*. Monitum hoc est momenti non levis, incipientibus præsertim, qui, cum in Exercitiis aliqua bona desideria conceperint, facile sibi quasi de victoria jam parta blandiuntur, cum vixdum ac fortasse ne vix quidem pugnare cœperint.

Nec tamen ideo negandum eos, qui strenue Exercitia ingrediantur, ita solere per illa *præparari ac disponi*, ut etiam fructus optatos, magnam certe partem, ipsorum Exercitiorum tempore consequantur. Imo vero non pauci ita parati ac dispositi ex Exercitiis vel semel factis prodierunt, ut inde novi

suæ dispositione *ad salutem animæ* vocantur exercitia spiritualia.<sup>5)</sup>

plane homines in novitate vitæ ambulant ipsamque illam novam vitam porro tenerent ac perficerent usque ad mortem. Estque hoc ipsum, ad quod Exercitia *præparant* animum ac *disponunt* mira quadam efficacia: et hunc omnem fructum producere *per se* nata sunt in eo, qui sibi ipse non desit.

<sup>5)</sup> Hæc prima Annotatio ei, qui Exercitia spiritualia facturus est, tradi seu explicari debet. Nam, et *quia* Exercitiorum nomine veniat, et *qui* eorum sit *scopus*, convenit ut probe intelligant, quotquot ea obituri sunt. Ex ipso enim nomine Exercitiorum comparatione facta cum exercitiis corporalibus sentient debere ipsos *sese exercere*, id quod etiam ubi multis simul, etiam ubi populo publice traduntur Exercitia, inculcandum est; ne scilicet audientes *passive* potius quam *active* se habeant, ut solent plerique in audiendis concionibus. Scopus autem, qui est ante omnia: *præparare ac disponere animum ad tollendas affectiones male ordinatas*, præ oculis semper ac præcipue habendus est. Itaque ab eo, qui tradit Exercitia, explicandus est hic scopus Exercitiorum, percursis seu indicatis per summa capita iis præsertim affectionibus inordinatis, quibus teneri maxime solent pro sua quique conditione, qui Exercitia faciunt, et ad quas proin tollendas per Exercitia præcipue incumbere debent. Quapropter hæc *duo*: *quid* sint Exercitia,

Secunda est, quod ille qui tradit alteri modum et ordinem ad meditandum vel contemplandum, debet narrare fideliter historiam talis contemplationis vel meditationis, discurrendo solum per puncta cum brevi vel *summaria* declaratione; *quia* is, qui contemplatur, sumens verum fundamentum historiæ discurrendo ac ratiocinando per se ipsum et aliquid inveniando [i. e. cum ita aliquid invenit], quod paulo magis declarari vel sentiri [s. gustari] faciat historiam, sive [id accidat] per propriam ratiocinationem sive in quantum intellectus divina virtute illustratur, [id] majoris est gustus ac fructus spiritualis, quam si ille, qui tradit Exercitia, multum declarasset ac dilatasset *sensum historiæ*;<sup>6)</sup> non enim abundantia scientiæ *satiat* animam eique sa-

---

et qui eorum *scopus*, primum et ante omnia ei, qui Exercitia facturus est, proponenda sunt et explicanda *præparationis* seu *introductionis* loco.

<sup>6)</sup> *Sensum historiæ*. — *Sensus*, qui dicitur, *historiæ*, seu materiæ contemplandæ, hoc loco ex autographo non solum ad *intelligentiam* refertur, sed etiam idque potissimum ad *affectum*, qui producitur, cum res, quam contemplamur, et veritas in ea contenta intime *sentitur*.



*tisfacit*, sed sentire ac gustare res interne. 7)

7) In hanc secundam Annotationem, quæ tota et unice est ad directionem ejus, qui tradit Exercitia, observa:

1. *Modum et ordinem* meditandi seu contemplandi esse tradendum: *modum*, quomodo scilicet meditandum vel contemplandum sit, quomodo tres animæ facultates exercendæ, quomodo applicanda practice ea, quæ quis meditatur etc.; *ordinem*, id est, quo ordine materia meditationis in puncta dividenda sit, quoque ordine facultates animæ ordinate singulis punctis, quæ de re meditanda proponuntur, punctorumque etiam partibus singulis successive applicari debeant, vel possint. *Modus* rite perceptus ac servatus valet plurimum, ut *facile* absque capitis nimia defatigatione, *ordo*, ut *non confuse*, non vagantes: utrumque, ut *fructuose* meditemur. Utrumque ergo docere se debere intelligat, qui Exercitia tradit: et *modum*, inquam, et *ordinem*, quæ voces nequaquam sunt synonymæ.

2. *Historiam* contemplationis seu meditationis intelligi hoc loco generatim materiam sive argumentum meditationis, sive illa sit proprie dicta *historia*, ut in mysteriis vitæ Christi Domini, sive sit *mysterium* aliquod fidei, ut de peccato, de inferno, de morte, judicio etc. Recte vero etiam hæc argumenta vocari *historia* possunt; semper enim *facta* quædam his etiam argumentis subesse

Tertia: cum in sequentibus omnibus Exercitiis spiritualibus utamur actibus in-

solent, tamquam fundamenta veritatis illius, quæ contemplanda venit. Nam et peccata et peccatorum pœnæ, *facta sunt historica*; atque idem recte dici de omnibus potest, quæ a S. P. meditanda seu contemplanda proponuntur.

3. *Declarari vel sentiri.* — *Declarari* ad intelligentiam, *sentiri* ad affectum referendum existimo. Monetur ergo qui tradit Exercitia, ne nimius sit seu in speculativis considerationibus suggerendis seu in applicationibus practicis inque affectuum diversis motionibus indicandis: sed ejus, qui exercitatur, industriæ et vero divino lumini divinæque inspirationi plurima relinquat; ipsum meditantem hortetur, animum ut serio applicet et vero oret ac suspiret; desideriiis enim ac suspiriis ad Deum negotium hoc potissimum peragendum esse. Ita et *gustus* major et uberior *fructus* percipitur, ut S. P. notat. Ait autem, PAULO plus declarationis vel sensus, quod per se ipse quis repererit, *majorem* afferre gustum solere, quam MULTAM declarationem ab altero factam; animadvertente antithesin *paulo, multam*, qua videtur paradoxum dici, et tamen verissimum est. Præterea, si nimii simus in variis *conceptibus* proponendis, obruetur facile intellectus Exercitantis, et periculum est etiam, ne illius curiositati magis quam veritati intime perspiciendæ serviamus, si nimii in *applicatio-*

tellectus, dum discurremus, et voluntatis, dum afficimur: advertere debemus, quod

*nibus* practicis fortasse vestes afferemus vel calceamenta non isti corpori, non istis pedibus accommodata. — Ceterum ratio habenda est personarum, et rudioribus et qui minus invenire per se ipsi sciunt, quæ juvent aut necessaria sint, prolixius utique exponi res meditandas earumque applicationem necesse est. Sed cavendum, ne de eorum, qui exercitantur, dispositione seu capacitate nimium diffidamus. Certe, si qui sint voluntate bona, quique vero proficiendi desiderio ferantur, etiamsi nec litterati sint nec rerum spiritualium experti, vix erit, quod ipsi per se cum divino lumine et gratia non assequantur uberius ac melius, quam instructoris longiori sermone. Volentibus enim et orantibus adest Deus, eosque juvare ac promovere mire amat infinita illa Bonitas.

Addam tamen hanc secundam Annotationem intelligendam potissimum videri de iis Exercitiis, quæ privatim singulis vel certe paucis traduntur, qui proprius est Exercitiorum modus a S. P. intentus. Nam quæ in hominum multorum cœtu, aut etiam publice populo traduntur, in his fieri vix potest, ut necesse non sit, et intellectum audientium enucleata veritatum expositione percellere et voluntati torpenti faces subjicere et vero etiam veritates, quæ meditandæ proponuntur, minutatim ac diversimode applicare, prout tam variis hominibus, ex quibus cœtus



in *actibus voluntatis*, quando vocaliter aut mentaliter cum Deo Domino nostro vel cum Sanctis ejus loquimur, requiritur ex parte nostra major reverentia, quam dum utimur intellectu intelligendo [percipiendo].<sup>8)</sup>

isti componi solent, convenire videbitur. Moneantur tamen semper, ne mere passive se habeant, neve *audire* contenti sint; sed et ipsi meditabundi animum ad ea, quæ dicuntur, applicent.

<sup>8)</sup> Quam recte ita moneat B. P., per se manifestum est. Nam in operationibus intellectus, dum ratiocinamur, nobiscum ipsis, cum nostro ut ita dicam spiritu colloquimur; in actibus vero voluntatis sermonem ad Deum vel Sanctos convertimus, quos proin veluti præsentem nobisque proxime adstantes vel certe intentis nos oculis de cœlo spectantes revereri impensius par est. — Nec tamen dicitur exigi reverentia solum in hisce voluntatis actibus, sed in his *major* exigi reverentia; quia toto meditationis tempore, etiam dum ratiocinamur, in Dei præsentia peculiari modo nos versari meminisse necesse est.

Hæc tertia Annotatio, ut patet, omnibus tradenda est. Ex cujus applicatione et usu non exiguum capere possunt attentionis ac devotionis incrementum ii, qui divinum Officium seu Horas canonicas recitare solent: si nempe divini Officii partes rite inter se distinguantur, cum in aliis mera habeatur lectio, ut narratio, sermo seu homilia, in aliis

Quarta: licet pro Exercitiis sequentibus sumantur quatuor hebdomadæ, ut respondeant quatuor partibus, in quas dividuntur Exercitia: [quarum partium] videlicet prima est consideratio et *contemplatio* de Peccatis; secunda est Vita Christi Domini nostri usque ad diem Palmarum *inclusive*; tertia Passio Christi Domini nostri; quarta Resurrectio et Ascensio, appositis tribus modis orandi: tamen non [ita hoc] debet intelligi, quod quævis hebdomada necessario contineat in se septem vel octo dies. Cum enim contingat *in prima hebdomada* alios [aliis] tardiores esse ad inveniendum id quod

proprie dicta precatio ad Deum vel Sanctos. Quod si quis etiam personam, ad quam oratio dirigitur, distincte respicere assuescat, modo enim ad Patrem, modo ad Filium, modo ad Spiritum Sanctum, modo ad Christum ut Mediatorem, modo ad B. V. aliosque Sanctos sermo in divino Officio dirigitur; mirum quantum sibi gustum spiritualem et fructum augere sentiat. Neque vero ad hujusmodi attentionem habendam paulatim ac suaviter assuescere nimis esse difficile existimandum est; modo ne violenter aut scrupulose quis id assequi contendat. Humilem porro *reverentiam* spirant illa verba, quibus Ecclesia in sacra liturgia uti solet; *da QUÆSUMUS*, — *concede PROPITIUS*, — *te SUPPLICES EXORAMUS*, — et cetera hujusmodi.

quærunt, scilicet contritionem, dolorem, lacrimas de peccatis suis; item cum alii aliis sint *diligentiores*, alii etiam [aliis] magis agitentur aut probentur diversis spiritibus, *necesse est*, ut aliquando contrahatur [prima] hebdomada et [contra] aliquando protrahatur; et idem fiat in omnibus reliquis hebdomadis subsequenti-  
bus: quærendo res [seu fructum proprium] juxta subjectam materiam. Finientur tamen [integra Exercitia] plus minusve intra triginta dies.<sup>9)</sup>

<sup>9)</sup> Hæc quarta Annotatio ad eum spectat, qui tradit Exercitia. Ejus enim est ex iis, quæ in Exercitante observaverit vel ab eo rationem Exercitiorum, quæ fecit, reddente acceperit, statuere protrahendane sit an contrahenda hæc vel illa Exercitiorum pars. Spectandus autem semper fructus proprius *juxta subjectam materiam*, ut ait S. P. Hic autem fructus retardari solet vel naturali tarditate vel minori diligentia seu minori applicatione vel denique agitationibus diversorum spirituum, quæ tria a S. P. præcipue commemorantur.

Licet autem ad omnes Exercitiorum hebdomadas spectet hæc Annotatio, præcipue tamen habenda præ oculis est in prima hebdomada, quia scilicet, nisi hujus scopum imprimis Exercitans consequatur, quæ est animi purgatio, frustra pergatur ad cetera Exercitia; cum scriptum sit: *Novate vobis novale*



Quinta illi, qui accipit Exercitia, valde prodest, intrare in illa animo magno et cum liberalitate *erga Creatorem ac Dominum suum*,<sup>10)</sup> omne suum velle, et

*et nolite serere super spinas* (Jer. 4, v. 3). Nec minus sedulo applicanda est hæc Annotationio ad *Principii* et *Fundamenti* considerationem, cui tamdiu inhærendum est, donec bene ac solide ab Exercitante perceptum sit, etiamsi, in Exercitiis præsertim integris, plures insumendi essent dies. Ceterum magna hic discretione opus est in Directore, cum et alii magis, alii minus purgatione indigeant, et interdum ipsæ spirituum agitationes exigant, ut ad alia potius transeat, si saltem sufficienter fructus, qui quærebatur, perceptus sit.

Patet autem, hanc Annotationem nonnisi imperfecte servari posse, ubi multi simul collecti Exercitiis excoluntur. In his enim præcipua ratio habenda dispositionis majoris partis Exercitantium eorumque necessitatis; illud semper præ oculis habendo, ut saltem *Fundamentum* probe defigant animo et primæ hebdomadæ fructum solidum omnes colligant, et juventur in ceteris, quantum fieri potest, ii qui magis possunt proficere.

<sup>10)</sup> *Erga Creatorem ac Dominum suum.* — Nomina Dei, quibus S. P. frequentissime utitur, et quibus ad omne obsequium *liberaliter* Deo exhibendum obstringimur. — Simile quid observandum in sequentibus: *divina ejus Majestas, — juxta sanctissimam suam voluntatem.*

libertatem [suam] illi offerendo, ut *divina ejus Majestas*, tam de se, quam de omnibus quæ habet, *disponat*<sup>11)</sup> juxta *sanc-tissimam* suam voluntatem.<sup>12)</sup>

<sup>11)</sup> *Disponat.* — Ex autographo hispanico: *utatur*, quod proprie de instrumentis dicitur, quæ, cum propria voluntate careant, utenti nunquam resistunt, sed obsequuntur in omnibus. Talem ergo se Deo offerre debet, quisquis multum proficere desiderat. An vero æquum non est ita comparatum esse hominem erga *Creatorem ac Dominum suum*, erga *Majestatem divinam*, ut omnem voluntatem propriam *sanc-tissimæ* illi voluntati subjiciat omnino in omnibus?

<sup>12)</sup> Dispositio animi, quam in hac Annotatione commendat S. P., ut *valde prodesse* Exercitanti dicitur, ita diligenter exponenda et suadenda est omnibus, qui sive privatim sive communiter ad Exercitia facienda accedunt.

Porro, quæ inculcanda est *liberalitas* in offerendo se toto divinæ Majestati in omnem *Creatoris ac Domini* voluntatem, duo continet, ut scilicet et intellectu illustrari quam copiosissime cupiat: *Domine, quid me vis facere?* et voluntate omne illud quod cognoverit exsequi desideret: *Domine, doce me facere voluntatem tuam.* Quæ duplex oratio valde est necessaria. Licet enim Deus non sit instar heri morosi, qui, cum voluntatem suam clare manifestare dedignetur, nihilominus irascatur servo, si quando illam divi-

Sexta: ille, qui tradit Exercitia, cum sentit, ei, qui exercetur, nullas incidere spirituales motiones<sup>13)</sup> in anima, ut sunt consolationes vel desolationes, neque eum agitari variis spiritibus: multum debet eum interrogare circa Exercitia, an ea faciat præstitutis temporibus, et quomodo [ea faciat]; item de Additionibus, an diligenter eas observet: singillatim de unaquaque ex his rebus rationem postulando. — Agitur de Consolatione et Desolatione . . . [vide infra, ad finem libri] . . . de Additionibus . . . [infra, ad finem primæ hebdomadæ].

Septima: ille, qui tradit Exercitia, si videat eum, qui ea recipit, esse desola-

---

nando non assecutus sit: tamen quia sæpe alias vel agnoscere Dei voluntatem nolimus, vel agnitam sequi aut contempsimus aut negleximus, merito instandum est orationi: *Domine, quid me vis facere?* non sine deprecatione præteritæ nostræ seu cæcitatæ seu negligentæ seu etiam contumaciæ.

<sup>13)</sup> Nullas haberi motiones inter Exercitia spiritualia, ita scilicet ut nec boni spiritus stimuli aut excitationes nec mali tentationes aut impedimenta sentiantur, non est bonum signum, sed potius dubium ingerit de seria applicatione Exercitantis; qui propterea interrogandus est de modo, quo Exercitia præscripta peragit.



tum ac tentatum, non exhibeat se illi durum neque asperum, sed blandum ac suavem,<sup>14)</sup> *addendo ei animum ac vires in posterum, et detegendo illi astutias*<sup>15)</sup>

<sup>14)</sup> *Tria* Directori præstanda: 1. *vires addere* in futurum; — 2. *detegere* præsentis *versutias* inimici; — 3. *efficere, ut alter se paret ac disponat* ad consolationem. — Notanda præsertim ultima verba ex autographo. Neque enim Directoris est disponere eum, qui exercetur, ad consolationem, sed illius *ipsius* est se disponere; utque hoc faciat, Directoris est efficere hortando, monendo, instruendo etc. Ubique vult S. P. eum *ipsum, qui facit Exercitia*, agere et conari. Quod item ex 1. Annotatione manifestum est, ubi, quid sint Exercitia spiritualia, similitudine exercitiorum corporalium explicatur. Corporaliter autem exercetur, non qui alium *ambulantem, euntem, currentem* spectat vel audit, sed qui *ipse* ambulat, *ipse* it, *ipse* currit. — Qua vero ratione disponere se homo ad consolationem debeat, docemur *Reg. 6. ad spir. discernendos pro prima hebdomada.*

<sup>15)</sup> *Inimici naturæ humanæ.* — *Naturæ humanæ inimicus*, expressio est, quæ propriam rationem odii, quo dæmon homines prosequitur, attingit. Odit enim in nobis ipsam *naturam* nostram, quæ scilicet tota Dei opus est et in Filio Dei ad summam dignitatem elevata. Iste ergo *naturæ humanæ inimicus*, quidquid est in homine opus

*inimici naturæ humanæ, et efficiendo [admonendo, hortando], ut se præparet ac disponat ad futuram consolationem.*

Octava: ille, qui tradit Exercitia, *juxta necessitatem*,<sup>16)</sup> *quam senserit [esse] in*

ac donum Dei, odit, illudque præ odio et invidia pessumdatum cupit. Inde omnes artes exserit nocendi et animæ et corpori; et si utrique non potest, alterutri certe; et si nocere non potest, certe tricas inferre et impedimenta suscitare conatur. Amplam meditando materiam præbere hoc nomen potest, quo passim S. P. dæmonem appellare solet: *inimicus naturæ humanæ*; cujus scilicet inimicitiae et odii monumenta mundum universum repleverunt et replere quotidie non cessant: et experimur scilicet hanc inimicitiam, hoc odium dæmonis tum universi tum singuli, utinam *vigiles semper et orantes!* Et vero orandi fiduciam magnam ingerit ista consideratio, quod *inimicus iste naturam nostram in nobis persequatur*, illud scilicet omne, quod in nobis a Deo est; unde non tam nos odit, quam Deum ipsum in nobis; quare adversus ejus vim et fraudes merito dicamus: *Quoniam ecce INIMICI TUI, DEUS . . .* (Ps. 82.)

<sup>16)</sup> Notanda sunt verba: *juxta necessitatem ejus, qui accipit Exercitia.* — Neque enim omnia, quæ in illis Regulis habentur, omnibus æque conveniunt; sed, qui tradit Exercitia, omnes illas Regulas probe teneat necesse est et in illis tradendis et explican-

*eo, qui illa accipit*, circa desolationes et astutias inimici, uti etiam circa consolationes, *poterit ei tradere* [explicare] Regulas primæ et secundæ hebdomadæ, quæ sunt ad varios spiritus internoscendos . . . [infra, ad finem libri].

Nona: advertendum est, [quod] cum ille, qui exercetur, versatur in Exercitiis primæ hebdomadæ, si sit persona, quæ in rebus spiritualibus non fuerit versata, sique tentetur crasse et aperte, *veluti cum* ostendat impedimenta progrediendi ulterius in servitio Dei Domini nostri, v. g. labores [molestias], pudorem et timorem ob honorem mundanum etc. . . .; [tunc] qui dat Exercitia, non ei tradat Regulas de diversis spiritibus, [quæ sunt] secundæ hebdomadæ; quia quantum ei proderunt Regulæ primæ hebdomadæ, [tantum] nocebunt eæ, quæ secundæ sunt; eo quod materia subtilior sit ac sublimior, quam ut ille possit intelligere.

Decima: quando qui tradit Exercitia, sentit eum, qui ea accipit, oppugnari ac tentari sub specie boni: tunc proprium

---

dis multa utatur discretione; eæ scilicet explicandæ sunt et applicandæ, quæ convenient, *pro illius, qui facit Exercitia, necessitate*. — Idem distinctius notatur in subsequentibus Annotationibus 9 et 10.



est, [convenit] ut sermonem ei habeat de Regulis secundæ hebdomadæ jam dictæ; quia *communiter*<sup>17)</sup> inimicus humanæ naturæ *magis* tentat sub specie boni, quando homo se exercet in [via] illuminativa, quæ respondet Exercitiis secundæ hebdomadæ, et *non tantopere* [tentat sub specie boni] in [via] purgativa, quæ primæ hebdomadæ Exercitiis respondet.

<sup>17)</sup> Diligenter notanda sunt illa verba ex autographo: *communiter-magis-non tantopere*. Scilicet *plerumque* ita fit, non tamen *semper*. — Item advertendum est non tam referri hanc Annotationem ad primam vel secundam hebdomadam Exercitiorum quam ad habitualement animæ statum illius, qui exercetur. Nam et primæ hebdomadæ Exercitia sæpe illi faciunt, qui quantum ad vitæ suæ modum versantur in via illuminativa, qui proinde etiam in prima hebdomada non raro indigent Regulis secundæ hebdomadæ; et ex iis, qui Exercitiorum spiritualium tempore in secunda hebdomada versantur, non pauci vitæ habitu et animæ statu hærent in purgativa, et crassis tentationibus pulsati, dirigendi etiam tunc sunt primæ hebdomadæ Regulis. Itaque unusquisque *fere* pro ratione sui in vita spirituali gradus tentari *solet*, ac Regulæ vel primæ hebdomadæ vel secundæ applicandæ sunt pro ratione tentationum, quas quisque patitur; sive ille primæ hebdomadæ Exercitia peragat, sive secundæ, sive etiam tertiæ vel quartæ.

Undecima: ei, qui accipit Exercitia, in prima hebdomada prodest, ut nihil sciat eorum, quæ facturus est in secunda hebdomada; sed ut ita laboret in prima ad obtinendum id quod quærit, ac si in secunda nihil boni se reperturum *speraret*.

Duodecima: ille, qui tradit Exercitia, debet eum, qui ea accipit, *multum* [s. impense, instanter] admonere, ut, cum in unoquoque ex quinque Exercitiis vel contemplationibus, quæ singulis diebus fient, durare debeat per unius horæ spatium; ita procuret semper, ut animus contentus maneat recogitando [i. e. eo quod conscius sibi sit] perdurasse *horam integram* in [illo] Exercitio, et *imo plus* [temporis impendisse] potius quam minus. Nam inimicus [dæmon] *non parum solet*<sup>18)</sup> procurare, ut hora contemplationis ejusmodi, meditationis vel orationis decurtari faciat.

Decima tertia: item advertendum est, quod sicut tempore consolationis facile est ac leve durare in contemplatione per horam integram, ita desolationis tem-

---

<sup>18)</sup> *Non parum solet.* — Intellige non solum de *frequentia* hujus tentationis, sed etiam de *multa vi ac fraude*, qua dæmon id efficere contendit, ut hora decurtetur. *Solet — non parum.*

pore valde est difficile illam explere. Idcirco is, qui exercetur, *ad agendum contra desolationem, et ad tentationes vincendas*, debet *semper* durare *aliquantulum* ultra horam completam, ut non solum assuescat resistere adversario, sed etiam illum prosternere.

Decima quarta: ille, qui tradit Exercitia, si videat eum, qui illa accipit, in consolatione et cum multo fervore procedere, debet præmonere, ne promissionem aliquam faciat nec votum aliquod inconsiderate ac præcipitanter; et quanto magis eum cognoverit levis indolis esse [s. instabilem], tanto magis debet illum præmonere<sup>19)</sup> et [porro] admonere. Quamvis enim recte possit quis movere alium ad Religionem amplectendam, in qua intelligitur [quis] facere votum obedientiæ, paupertatis et castitatis; et quamvis bonum opus, quod fit cum voto, sit magis meritorium, quam quod sine illo: multum [tamen] attendenda est *propria conditio*

<sup>19)</sup> *Præmonere et (porro) admonere.* — Hisp. *prevenir y admonir.* — Scil. ubi de homine levi adeo et inconstanti agitur, non sufficit semel *præmonuisse*, sed necesse est porro iterum atque iterum identidem *admonere*, ne forte in fervoris æstu inconsulto promittat aliquid aut voveat, cujus eum postea pœniteat.



*et subjectum*<sup>20)</sup> [ejus, qui facit Exercitia], et quantum possit invenire auxilii vel impeditenti, in explenda [deinceps] ea re, quam vellet promittere.

Decima quinta: ille, qui tradit Exercitia, non debet ea accipientem movere magis ad paupertatem neque ad promissionem [aliquam] quam ad opposita, neque ad unum *statum vel modum vivendi* [magis] quam ad alium; quia, licet extra Exercitia possimus licite ac meritorie movere omnes, qui probabiliter idoneitatem habeant, ad eligendam continentiam, *virginitatem*, religionem et *omnem mo-*

<sup>20)</sup> *Subjectum*. — Hisp. *subjecto*. Quæ vox refertur ad universam hominis naturam et ad ejus dispositionem tum physicam tum moralem. — Itaque *subjectum* considerandum est, ut iudicium rectum feratur de ipsa persona; *conditio* vero spectat ad externam ejus relationem cum aliis, ut si paterfamilias, si filiusfamilias, si magistratus, si dives vel pauper et alia ejusmodi personæ ipsi non intime propria sed potius extrinsecus adhærentia. — Utrumque vero, et *conditionem* et *subjectum*, diligenter considerandum esse monemur, ut futura ex voto aliquo tum comoda tum incommoda prudenter æstimari possint ac proin certius iudicium ferri, utrum facilis futura sit an difficilis voti exsecutio, utrum difficultates superandæ sperentur, necne, etc. hujusmodi.

*dum perfectionis evangelicæ: tamen in talibus Exercitiis spiritualibus convenientius est et multo melius, quærendo divinam voluntatem, ut ipse Creator ac Dominus animæ<sup>21)</sup> suæ [sibi] devotæ se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, eamque disponens<sup>22)</sup> ea via, qua melius poterit ei deinceps servire, [vel, quæ melius poterit ipsi convenire in posterum]; ita ut qui tradit Exercitia, non divertat nec se inclinet*

<sup>21)</sup> *Animæ suæ (sibi) devotæ.* — *to suæ* ex autographo Creatoris dominium exprimere videtur. — *Eam amplexans.* Ita vertimus cum vulgata versione ex autographo, ubi habetur *abraçandola*. Antiqua versio *ms.* pariter habet: *eam acceptando*. Sed in vulgatis editionibus hispanicis legitur: *abrasandola*, i. e. *eam accendens, inflammans*. Quod quidem certe magis est ad rem. Et fortasse scriptor litterulam  $\zeta$  pro *s* posuit, S. Patre minima ista non observante.

<sup>22)</sup> *Ea via, qua . . . . (vel, quæ . . . .)* — Utraque hæc versio potest cum autographo hispanico componi, ita ut sensus S. P. sit, vel: *ea via, qua melius possit homo deinceps servire Deo; vel: ea via, quæ melius possit servire, id est convenire homini, ut in posterum Deo serviat melius, ac salutem certius consequatur.* — Et uterque sensus rectus est et rei quæ tractatur convenit; ac tandem in idem recidit, habito præ oculis fine creationis.

*ad unam neque ad alteram partem; sed consistens in medio ad instar bilancis sinat Creatorem cum creatura et creaturam cum suo Creatore ac Domino immediate operari.*

Decima sexta: ad id [quod supra dictum est], scilicet ut Creator ac Dominus certius operetur in sua creatura; si forte talis anima *inordinate*<sup>23)</sup> affecta est et inclinata ad rem aliquam, valde conveniens est [eam] *movere se* adnitendo totis viribus, ut *veniat* [perveniat] ad contrarium ei rei, cui male affecta est; veluti si [anima] affecta est ad quærendum et *possidendum* officium aliquod vel beneficium, non ob honorem et gloriam Dei Domini nostri neque ob salutem spiritua-

<sup>23)</sup> *Inordinate*. — Ita ex autographo. Non enim id solum spectatur, ne anima *ad aliquid minus rectum* afficiatur, ut habet vulgata versio, sed ne afficiatur *inordinate* ad ullam rem, sive minus recta ea sit, sive bona et optima. Quia etiam ad rem per se bonam affici *inordinate* possumus, sive quod rem bonam cupiamus non ob finem bonum, ut in exemplo hic a S. P. proposito, sive quod res illa, quantumvis bona, non sit aptum medium ad finem, sive etiam quod inconsulto, præcipitanter aut nimio ardore nimiae anxietate in rem illam feramur. Hæc omnia sub ista vocula *inordinate* comprehenduntur.



lem animarum, sed ob sua propria com-  
moda et utilitates temporales, debet affici  
[affectum suum impellere] ad contrarium,  
instando in orationibus aliisque Exercitiis  
spiritualibus et petendo contrarium a Deo  
Domino nostro; [protestando] scilicet nolle  
se tale officium vel beneficium aut aliud  
quidquam, nisi *divina sua Majestas, in  
ordinem redigens ejus desideria,*<sup>24)</sup> pri-  
mum suum affectum *ipsi* mutaverit, ita  
ut causa desiderandi vel tenendi unum  
vel alterum sit solum obsequium, honor  
et gloria suæ divinæ Majestatis.

Decima septima: *multum conducit*, ut  
qui tradit Exercitia, [quamvis] non inten-  
dens percunctari neque scire proprias  
ejus, qui illa accipit, cogitationes et pec-  
cata, [tamen] fideliter certior fiat de va-  
riis agitationibus et cogitationibus, quas  
diversi spiritus ei immittunt; quia *secun-  
dum majorem aut minorem* [ejus] *pro-  
fectum* potest ei tradere quædam Exer-  
citia spiritualia convenientia et confor-

---

<sup>24)</sup> *Nisi divina sua Majestas in ordinem  
redigens ejus desideria . . . . affectum ipsi  
mutaverit.* — Scilicet illa affectus inordinati  
mutatio divinæ potissimum gratiæ effectus  
est, quæ proinde *instanti* oratione postu-  
landa.

mia necessitati animæ hujusmodi sic agitata. <sup>25)</sup>

<sup>26)</sup> Decima octava: juxta dispositionem eorum, qui volunt Exercitia spiritualia

<sup>25)</sup> Hæc Annotatio decima septima, licet omnibus sub ipsum Exercitiorum initium explicanda non sit, interdum tamen pro opportunitate exponi poterit, si quando Exercitans non satis communicare sensa animi sui videbitur. Plerumque tamen per solam accurate interrogandi frequentiam juxta Annot. sextam res tota conficietur, ita ut ne mentionem quidem fieri necesse sit hujus decimæ septimæ Annotationis. Semper tamen ei, qui tradit Exercitia, præ oculis habenda est, ut Exercitantem recte dirigere possit.

<sup>26)</sup> Diligenter considerandæ sunt hæ tres Annotationes ultimæ, quæ de *variis* hominum generibus agunt, quibus *vario* modo, singulorum captui accomodato, tradi Exercitia possunt. Quæ ergo a S. P. dicuntur, paucis ita resumî possunt:

In dandis Exercitiis ratio habenda est personarum et dispositionis etiam seu voluntatis, qua quis sese ad Exercitia sumenda offerat. Hinc:

1. Si quis tantum instrui cupit, ut ad aliquem gradum quietis in anima perveniat, huic tradatur Examen tum particulare tum generale; item primus orandi Modus; et ad Confessionem rite faciendam et frequentandam sanctamque Eucharistiam frequentius suscipiendam instruatur, disponatur et exci-

suscipere, id est secundum eorum ætatem, doctrinam vel ingenium, applicari debent talia [hujusmodi] Exercitia; ne homini rudi vel exiguæ [delicataæ] com-

tetur. — Huic S. P. ne *Fundamentum* quidem explicari jubet, licet fortasse non censeatur prohibere. — Atque hoc quidem modo *Exercitia* proprie dicta fieri vix ac ne vix quidem dici possunt. Est tamen modus juvandi plurimos facillimus simul et utilissimus, et rudioribus etiam quibusque conveniet, quibus præterea explicanda distincte sunt omnia, quæ ipsis proponuntur.

2. Si quis, bonæ licet voluntatis, exiguam habeat dispositionem naturalem, puta ingenii aut indolis, ita ut fructus insignis sperandus non sit, huic nonnisi faciliora nec fere nisi primæ hebdomadæ Exercitia tradi conveniet, ne scilicet ille supra vires oneretur. — Consulendum etiam tempori, ne forte tali homini opera impendatur, quæ utilius proindeque cum majore Dei gloria in aliis magis idoneis exercendis poni posset. Hæc fere in *Annot. decima octava*.

3. Accidere potest, ut quis, vel litterarum studiis excultus vel certe ingenio pollens, Exercitiis dare operam cum vero magnoque proficiendi desiderio cupiat, sed negotiis distineatur, a quibus expedire se vel abstinere per multorum dierum spatium non possit. Huic, si saltem quotidie horam unam cum dimidio suis occupationibus vel etiam quieti suæ suffurari potest, quomodo tradi



plexionis *tradantur* ea, quæ commode [s. suaviter] ferre non possit et quibus non possit proficere. Similiter, prout quisque voluerit se disponere, id ei dandum est, per quod magis possit se juvare et proficere. Itaque ei, qui [tantum] juvari vult, ut instruatur et ut perveniat usque ad certum gradum contentam reddendi animam suam, dari potest Examen particulare [infra post Fundamentum] ac postea Examen generale [ibidem] simul et Modus orandi mane per mediam horam circa præcepta, peccata mortalia etc. [infra in fine post quartam hebdomadam]; commendando ei etiam Confessionem suorum peccatorum [faciendam] octavo quoque die, et, si potest, Communionem de-

Exercitia etiam omnia possint, præclara industria docemur *Annot. decima nona.*

4. Denique, qui et a negotiis liber est et quamplurimum proficere cupit, et, ut supponitur, ab ingenii dotibus idoneus est, huic tradantur Exercitia ordine, quo præscripta sunt, et suadendus secessus, cujus tria præcipua commoda enumerantur. Hæc *Annot. vigesima.* — Ceterum videndum de hac ipsa re Directorium, cap. I., num. 7. — Utinam vero omnis hæc doctrina Operariis nostris et Confessariis familiaris semper esset, quo fidelium saluti et *perfectiōni* pro vocationis nostræ ratione *magis magisque* consulerent!

cimo quinto [quoque die], et, si [ita] afficitur, *melius* octavo quoque die. Hic modus magis est conveniens rudioribus seu illiteratis, declarando illis [singillatim] unum quodque præceptum, et sic de peccatis mortalibus, præceptis Ecclesiæ, quinque sensibus et operibus misericordiæ. Similiter si ille, qui tradit Exercitia, videat eum, qui ea accipit, esse *exigui subjecti*,<sup>27)</sup> vel parvæ capacitatis naturalis, a quo non speratur multum fructus, convenientius est ei tradere aliqua ex *his*<sup>28)</sup> Exercitiis levibus [levia, s. leviora ex libro Exercitiorum], donec faciat Confessionem suorum peccatorum; ac dein dando illi aliqua Examina conscientiæ et ordinem Confitendi frequentius, *quam solebat*, ut se conservet in eo, quod adeptus est, non progredi ulterius in materias Electionis neque in

<sup>27)</sup> *Subjecti*. — Vide supra notata ad Annotat. 14. n. 20.

<sup>28)</sup> *Ex his Exercitiis*. — *Ex his*; non ut habet vulgata: *ex dictis Exercitiis*; quasi vero ne illa quidem omnia dari possint, quæ paulo ante enumerata fuere, cum imo paulo infra multo latius extendat, quæ hic dicuntur, scilicet ad omnia primæ hebdomadæ Exercitia. Ergo, *ex his*, intellige, non *ex dictis*; sed *ex his*, quæ in Libro ipso continentur.

alia ulla Exercitia, quæ sunt extra primam hebdomadam; maxime quando in aliis major profectus fieri potest, dum tempus deest [non sufficit] ad omnia.

Decima nona: ei, qui *implicatus* [s. occupatus] esset in rebus publicis vel negotiis convenientibus [utilibus, necessariis],<sup>29)</sup> sive litteris sive ingenio [v. industria ad mechanica] polleat [dari Exercitia possunt], si sumat unam horam cum dimidia [quotidie] ad se exercendum,<sup>30)</sup> explicando ei [primum] ad quid

<sup>29)</sup> *Negotiis convenientibus* (utilibus, necessariis), scilicet ejusmodi negotiis et officiis, sive litterariis sive mechanicis, a quibus se ille per plures dies subducere omnino *non possit*. Si enim posset, pro illa bona voluntate, quæ hic supponitur, libere vacaturus ab illis negotiis intelligeretur, et Exercitia facturus eo modo, qui dicitur in sequenti *Annot. vigesima*.

<sup>30)</sup> *Ad se exercendum*. — Quod vulgata habet: *ad sumenda NONNULLA Exercitia*, non est accurate positum. Non enim *aliqua* solum, sed etiam *omnia*, modo hac in *Annotat. exposito*, fieri possunt, quod etiam ex sequentibus intelligi datur. — Hoc quidem modo Exercitia se fecisse scribit P. Antonius Possevinus, cum esset Societatis nostræ sub P. Everardo secretarius; quod munus cum ei nonnisi horam cum dimidio vacui a solitis occupationibus relinqueret temporis,



creatus est homo; tradi item potest per horæ dimidium Examen particulare ac postea generale et modus Confitendi ac sumendi [sanctissimum] Sacramentum; faciat[que] per tres dies quolibet mane spatio unius horæ meditationem de primo, secundo et tertio Peccato [infra in prima hebdomada]; deinde per alios tres dies eadem hora meditationem de Processu peccatorum [infra ibidem]; postea per alios tres dies eadem hora faciat de Pœnis, quæ peccatis respondent [infra ibidem]; tradendo illi in omnibus tribus meditationibus decem Additiones [infra ibidem]; servando eundem discursum [s. ordinem] circa mysteria Christi Do-

dies 47 solis primæ hebdomadæ Exercitiis impendit, duce et instructore P. Jacobo Mirono, qui ab ipso B. Patre ea acceperat. „Quadraginta septem dies, in meditationibus primæ hebdomadæ positi, horis subsecivis: quod tempus videri poterat longius, nisi commentatio cujusque non tam puncti quam verbi Possevinum adegisset, ut quam accuratissime omnia ponderaret, notaret et scripto, quæ sibi P. Mironem interroganti exponebantur.“ Ita ipse de se Possevinus *Annal. ms. dec. I, lib. IV, c. VI*. Qui dein fructu incredibili animarum hisce armis spiritualibus usus est, etiam in itineribus, cum Legationes jussu S. Pontificis obiret.

mini nostri, qui infra ac fuse in ipsis Exercitiis declaratur.

Vigesima: ei, qui magis expeditus est [liber a negotiis] et qui desiderat, quantum possibile est proficere, tradantur omnia Exercitia spiritualia eodem ordine, quo procedunt, in quibus, via ordinaria,<sup>31)</sup> eo plus proficiet, quo magis segregaverit se ab omnibus amicis ac notis et ab omni sollicitudine terrena, verbi gratia migrando e domo, in qua habitabat, et eligendo aliam domum vel [aliud] cubiculum, ut ibi degat, *quam secretissime possit*; ita ut in ejus potestate sit ire quotidie *ad Missam et ad Vesperas*,<sup>32)</sup> *absque timore*, ne noti sui eum impedi- ant. Ex qua secessione sequuntur tres præcipuæ utilitates inter alias multas. Prima est, quod segregando se quis a multis amicis ac notis itemque a multis negotiis non bene ordinatis, *ut serviat*

<sup>31)</sup> *Via ordinaria.* — Ita habet etiam antiqua versio *ms.*, et est, ac si dicas: *plerumque, communiter.* Textus hisp. habet: *por via ordenada*, quod proprie est: *via ordinata*, seu, *ordine servato*, et posset intelligi: *pro ratione personarum et circumstantiarum, habita discretione debita.*

<sup>32)</sup> *Ad Missam et ad Vesperas.* — In vulgata versione mendose irrepsit *Matutinum*; in autographo certe non habetur.

*Deo Domino nostro eumque laudet,*<sup>33)</sup> non parum meretur coram sua divina Majestate. Secunda, [quod] ita segregatus, *non* habens intellectum divisum circa multa, sed ponens omnem curam [sollicitudinem, conatum] in una re sola, scilicet in serviendo Creatori suo et in *profectu* animæ propriæ, liberius utitur naturalibus suis potentiis ad quærendum *diligenter* id, quod tantopere desiderat. Tertia, [quod], quanto magis anima *nostra* reperit se solam et segregatam, [tanto] se reddit aptiorem ad *appropinquandum* Creatori ac Domino suo eumque attingendum; et quanto magis ita eum attingit, [eo] magis se disponit ad suscipiendas gratias ac dona a sua divina ac summa Bonitate.

---

<sup>33)</sup> *Ut serviat Deo Domino nostro eumque laudet.* — Intelligenda hæc verba ita, ut finem exprimant, ob quem quis ab amicis et a negotiis secedat, non vero referenda ad negotia non bene ordinata, quemadmodum vulgata versio habet. — In antiqua versione *ms.* sic legitur: *ita se separando a multis amicis et negotiis non bene ordinatis, ut melius quis Deo serviat, non parum meretur.*

---



## EXERCITIA

*spiritualia, ut [homo] vincat se ipsum et ordinet vitam suam, quin se determinet<sup>1)</sup> [non determinando se] ob ullam affectionem, quæ inordinata sit.*

<sup>2)</sup> Ut tam is, qui tradit Exercitia spiritualia, quam qui accipit, magis sese

<sup>1)</sup> *Quin se determinet.* — Notatu digna est hoc loco S. P. sapientia ac discretio singularis. Scriptum erat primum in autographo: *ordenar su vida SIN AFEECCION ALGUNA que desordenata sea; id est: ordinet vitam suam ABSQUE AFEECCIONE ULLA, quæ inordinata sit.* At visa dein fuit S. P. hæc expressio non satis discreta vel certe ejusmodi, ut indiscrete intelligi ab aliquo aut explicari posset. Et vero, quam difficile est inveniri aliquem ita plane constitutum, ut sit *absque ulla affectione inordinata!* Correxerat itaque S. P. suaque manu in margine adscripsit: *SIN DETERMINARSE por alguna affeccion etc.*, id quod omnis inordinatæ affectionis absentiam restringit ad tempus et ad actum ipsius determinationis: ut scilicet qui se in ordinanda vita sua ad aliquid determinat, id faciat, semota et exclusa omni affectione inordinata, neque ulla hujusmodi affectio eum ad ita determinandum inducat. Quod certe, ut in praxi necessarium est, ita nec indiscretum est illud exigere.

<sup>2)</sup> Hoc monitum seu procæmium, quod non

*juvent ac proficiant*, præsupponendum est, quemvis bonum Christianum promptiorem esse debere ad salvandam propositionem proximi, quam ad eam condemnandam; et si non potest eam salvare, inquirat [ex ipso], quomodo eam intelligat, et si quidem male illam intelligit, corrigat illum cum amore; et, si [id] non sufficit, quærat omnia media

magis ad Exercitia pertinere videtur, quam ad communem legem charitatis, ideo præmitti a S. P. existimo, quod primis annis expertus esset minus æqua multorum judicia, apud quos, ut erant illa tempora ob serpentes hæreses suspiciosa, Exercitiorum occasione notam novatoris incurrerat. Ceterum est sane charitati et discretioni consentaneum hoc monitum, ejusque usus non raro necessarius, ne præceps de quoquam feratur iudicium. Monemur ergo, ne obscuram vel dubiam alicujus propositionem continuo in pejorem, sed contra potius in meliorem partem interpretemur; quod si fieri nequeat, exploremus, an forte ille recte sentiens male sensum suum expresserit, quo in casu non animus quidem, sed lingua corrigenda et emendanda esset; quod si etiam animo errasse deprehendatur, tum quidem nihil relinquatur intentatum ex convenientibus et præscriptis ab Ecclesia modis, ut ab errore ille revocetur.

convenientia, ut [ille] bene eam intelligens *se salvet*.<sup>3)</sup>

<sup>3)</sup> *Se salvet*. — Cum in hoc monito verbum *salvare* jam bis ita positum sit, ut referatur ad *propositionem* proximi, nil impedit, quominus etiam hoc ultimo loco ita intelligatur, ut sensus sit: *eadem propositio rite intellecta salvetur*, i. e. salva sit, immunis sit ab errore. Et hic sensus magis convenit cum hisp. autographo, et sic habet antiqua versio *ms.*: *proximus sane illam propositionem intelligens salvet eam*.





Nunc si vidisti eam, dic sub qua




arbore videris ... Dan 13, 54.



Mensus est duos funiculos, unum



ad occidendum ... II. Reg. 6, 2



## [PRIMA HEBDOMADA.]



*PRINCIPIUM ET FUNDAMENTUM.*<sup>1)</sup>

**H**omo creatus est,<sup>2)</sup> ut laudet Deum  
Dominum nostrum, ei reverentiam

---

<sup>1)</sup> *Principium* ET *Fundamentum*. — Con-  
junctio et ex autographo, non sive, innuit  
voces has: *Principium*, *Fundamentum* ex  
mente S. Auctoris non esse synonymas. Ergo  
*Principium* potissimum in theoria, ex quo  
cetera fusius in Exercitiis tractanda dedu-  
cuntur, quodque omnem reliquam Exercitio-  
rum materiam intime penetrat, et ad quod  
omnia reducuntur; *Principium*, quod sana  
ratione utentibus, nedum fidelibus, proban-  
dum non est, sed ex ratione ac fide præ-  
supponitur; iis vero, qui fide debiles vel  
ignorantes valde sint, probabitur potissimum,  
ut solent probari principia, ex absurdis, quæ  
ex negato hoc principio vel admissio quo-  
cumque alio de hominis fine sequerentur;



*exhibeat eique serviat, et per hæc [hæc agendo] salvet animam suam; et reli-*

item, *Principium*, disquirendum diligenter, studiose meditandum, evolvendum accurate, diu multumque ponderandum et alte animo imbibendum. — *Fundamentum* in praxi, in quo tota Exercitiorum spiritualium moles totumque vitæ spiritualis ædificium innititur. Est enim hæc doctrina de fine hominis prima veritas, super qua ut fundamento ceteræ veritates deinceps proponendæ et virtutes, quæ his veritatibus superstruuntur, solidissime ac firmissime assurgunt. — *Principium et Fundamentum*. Sine hoc *Principio* qui vivit, vivit cupiditatum suarum ludibrium, vel certe veluti casu vivit bonus, malus, pro rerum, temporum, locorum, personarum circumstantiis. Sine hoc *Fundamento* virtus ipsa non erit solida, erit vita etiam bona similis *domui ædificatæ super arenam*, cujus *ruina magna* semper timenda. — Est autem hæc doctrina *Principii* ejusmodi, ut non modo catholico homini sed cuicumque, modo homo sit, etiam hæretico, schismatico etc., conveniat. Quicumque vero serio illam consideret, non poterit non victas dare manus.

<sup>2)</sup> *Homo creatus est etc.* — Plura sese offerunt in hac litterali versione notatu sane dignissima, quorum unum alterumve expendere juverit. *1. Laudare, reverentiam exhibere, servire*, tria hæc officia hominis erga Deum ordine exprimuntur ex autographo; cum in versione vulgata tertium illud, per



qua<sup>3)</sup> *super faciem terræ* [sita] creata sunt propter hominem, *et ut eum juvent*

participium *serviens*, ex pulchra illa officiorum serie veluti avulsum ac solitarium jaceat. Difficultas nata erat ex eo, quod in hispanico tria illa verba eundem casum admittant; in latino contra verbum *servio* cum accusativo construi non possit. Nos ob hanc difficultatem coacti fuimus inserere textui pronomen *ei*. 2. *Salvet animam suam*, active, non *salvus fiat*, passive: scilicet jam ipsius hominis est: *salvare animam suam*. Nihil enim deesse ex parte Dei potest, quando ad hunc finem homini existentiam et vitam donavit Creator; qui profecto, cum hunc ei finem constituerit, immo vero ipse in homine creando hunc *sibi* finem proposuerit, necessariis ad finem consequendum præsiidiis carere hominem non sinit. — *Tandem*, quod habetur in vulgata versione, abest in autographo: sed ejus loco: *per hæc*, i. e. *hæc agendo*, sive, *his mediis*; hisp. *mediante esto*, ad verbum diceretur italice: *mediante questo*; gall. *moyennant cela*; nempe *laudando, reverentiam exhibendo et serviendo*.

<sup>3)</sup> *Et reliqua . . . propter hominem, et ut eum juvent*. — Notanda ista conjunctio *et*. Duplex creaturarum finis exprimitur. *Propter hominem* seu *hominis causa* innuit finem *proximum* creaturarum simulque Creatoris liberalitatem, cujus ea vox est ad Adam: *Ecce dedi vobis* (Gen., 1, 29), itemque ad Noë: *Tradidi vobis omnia* (Gen., 9, 3). Et

in prosecutione finis, ob quem creatus est. Unde sequitur homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum juvent ad finem suum, et tantum *debere* eum *expedire*<sup>4)</sup> [retrahere] se ab illis, quantum ipsum ad eum [finem] impediunt; quapropter *necesse est facere*<sup>5)</sup> [exhibere]

*ut eum juvent . . . finem ultimum* indicat, ad quem omnia tandem referuntur. — *Super faciem terræ*, ex autographo visum fuit retinendum, quod distinctius exprimat, de quonam potissimum creaturarum genere hic sermo sit ex mente S. Patris. — *Tantum — quantum* — hisp. *tanto* — *quanto* scilicet: *nec plus* — *nec minus*. — *DEBERE eum expedire se*. Severiori loquendi forma utitur S. P., ubi de *abstinendo* a noxiis loquitur quam ubi de *utendo* opportunis: hisp. *HA de usar* — *DEBE quitarse* — ital. *HA da servirsi* — *DEVE disfarsi* — gall. *IL A à se servir* — *IL DOIT se défaire*.

<sup>4)</sup> *Expedire* (retrahere) *se*, magis proprie ex autographo, quam *abstinere*. Et vero unusquisque solet fere nimio affectu alicui saltem creaturæ adhærere aut implicatus esse; cui propterea non sufficiat ab ea *abstinere*, sed necesse sit *retrahere* seu *expedire se*. Isque primus est fructus in Exercitiis spectandus, ex Annot. 1, inter 20.

<sup>5)</sup> *Facere* (exhibere) *nos indifferentes*. — Ita ex autographo: *facere*; non: *habere*. *Habere nos indifferentes* perfectio est, ad quam tendere docemur. Dum vero dicitur,

nos indifferentes erga res creatas omnes, quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii et non est ei prohibitum, adeo ut non<sup>6)</sup> *velimus* ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divi-

*facere nos indifferentes*, conatus innuitur, quo opus est ad illam indifferentiam consequendam. Ceterum verbum hoc *facere*, hisp. *hazer*, eodem sensu occurrit in contempl. de Nativitate punct. 1. ubi dicitur: (*haziendo me*) *faciendo me pauperulum*, itemque in prioribus Regulis ad spiritus discernendos, regg. 12, 13 et 14, ubi dicitur: *inimicus (se haze) facit se* etc., et in omnibus his locis commode verti potest: *exhibere*. Hic itaque sensus est: *neesse est exhibere nos indifferentes*, id est ita nos gerere erga res creatas omnes, vincendo nosmet-ipsos perinde ac si inclinationem vel repugnantiam non sentiremus; sensum nostrum, sive placeant illæ sive displiceant, abnegantes. Et hic est ille conatus, quo neesse est nos eniti ad illum perfectionis gradum sane excelsum, in quo creaturis utamur vel abstinemus *tantum, quantum, nec plus nec minus*, quam ratio finis ultimi postulat.

<sup>6)</sup> *Velimus*, ita ex autographo, non: *quæramus*. — Agitur enim potissimum de *affectu*. Et vero *quærare* infirmitatem — itemque *quærare* vitam brevem et alia hujusmodi vix ac ne vix quidem dici recte potest; *velle* vero seu *cupere* bene dicitur et est plane ad rem.



tias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et *consequenter*<sup>7)</sup> *in ceteris omnibus, unice*<sup>8)</sup> *desiderando et eligendo ea, quæ magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.*

---

<sup>7)</sup> *Et consequenter in ceteris omnibus.* — Ita ex autographo. Et sane multa sunt ac propemodum infinita, quæ ad quatuor illa rerum genera referri vix possunt, et circa quæ nihilominus indifferentes nos exhibere necesse est. Vide infra in explanatione, quam subjicimus.

<sup>8)</sup> *Unice desiderando et eligendo.* — Notandum ex autogr. *unice*, ut et subsequens *magis*; utrumque enim non modicam vim habet. — Deinde *desiderare* recte a S. P. ponitur prius quam *eligere*. Nam et ratione prius est *desiderare* quam *eligere*; ac denique longe major est in *eligendo* difficultas quam in *desiderando*.



## FUNDAMENTI EXPLANATIO.

Quoniam summi momenti est intima hujus Principii et Fundamenti intelligentia, aliqua hoc loco explanationis et applicationis instar apponere juvat, ut quodammodo vena considerantibus necdum expertis indicetur. Poterit hæc explanatio etiam exemplo esse, quo quisque discat, quomodo verba S. P. in hoc libro singula fere ponderanda sint. Passim enim hic grandia sensa sub cortice paucorum verborum veluti abscondita continentur, quæ diligenti consideratione excutienda sunt et in lucem producenda in usum nostrum.

In primis animadvertendum est, *Principium* hoc et *Fundamentum* esse *considerationem* et dirigi potissimum ad illustrandum *intellectum*; quamvis nil vetet, quominus, ut fieri solet, in formam *meditationis* redigatur atque ita ad voluntatem movendam etiam dirigatur. Præcipua tamen cura esse debet, ut de hac veritate primaria et fundamentali *intellectus* plene convincatur. Atque hoc loco adnoto vim Exercitiorum S. P. N. in eo vel maxime consistere, quod *intellectui* illuminando mirifice serviant. Huc enim

ubique spectant, ut ante omnia veritatem, quæ proponitur meditanda, clare, plene, intime Exercitans apprehendat, intelligat, deque ea plane convictus maneat. Quæ veritas ubi mentem semel occupavit eamque penetravit, affectus scilicet voluntatis serii ac solidi sequuntur. Utrumque vero donum *intellectus* et *voluntatis* petendum a Domino assidue monet S. P.

Ergo et hic monendus statim est, qui Exercitia aggreditur, ut postulet instantissime a Domino *lumen* ad intime penetrandam primam hanc veritatem et *gratiam*, qua voluntas conclusiones practicas ex illa sponte sua sese cuique serio meditati offerentes amplectatur; itemque, ut *sibi*, sibi uni potissimum, veritatem hanc ejusque consecraria serio ac sincere applicet. *Notum fac mihi, Domine, finem meum . . . ut sciam quid desit mihi.* (Ps. 38.) — *Deus meus, illumina tenebras meas.* (Ps. 17.) Vere enim *in tenebris* versamur. Accedente vero Dei lumine illud nobis accidit, quod homini in cæca nocte constituto accedente die. Qui primo quidem crepusculo videre incipit grandiora quæque objecta, quin tamen adhuc, quænam illa sint, satis discernat; — crescente luce in primis illa grandiora quæ et qualia sint, distinguit



— deinde minora etiam; — tandem radio solis per fenestram penetrante in illo infinitos pulvisculos veluti atomos quasdam deprehendit. Ita nos illuminari solemus Divino accedente lumine, ut videamus, *quid desit nobis*. Nec tamen illuminari *intellectum* satis est, nisi etiam *voluntas* torpescens exstimuletur et infirma roboretur. Hinc orationis pro utraque gratia necessitas.

### I. Finis hominis.

HOMO CREATUS EST (ad hoc, ad hunc finem), UT LAUDET DEUM DOMINUM nostrum, EI REVERENTIAM EXHIBEAT EIQUE SERVIAT, ET PER HÆC (hæc agendo) SALVET ANIMAM SUAM.

HOMO, — inter omnes creaturas visibiles solus ipse rationalis, intellectu præditus ad cognoscendum et libero arbitrio ad eligendum, quod voluerit — nobilissimus inter omnes res creatas visibiles. — *Homo* quivis, — Omnes, *quorum* unus *ego sum*.

CREATUS EST, — *Ipse fecit nos, et non ipsi nos*. — Homo, ego, opus eximium omnipotentiae Dei, cujus infinita sapientia nihil facere, nihil creare potest, quin sibi finem se dignum proponat, — quique non potest non velle et exigere,

ut hujusmodi creatura sua rationalis et libera fini sibi præstituto satisfaciat. Nec potest Deus Creator meus indifferentem se habere, ut scilicet nihil curet, faciamne fini huic satis nec ne. Id enim sapientiæ Ejus infinitæ ceterisque attributis omnino repugnat.

UT LAUDET DEUM DOMINUM NOSTRUM, EI REVERENTIAM EXHIBEAT EIQUE SERVIAT. — Creator est *Deus*, qui solus est, qui est, et a quo omnia, sine quo nihil; ac proin *Dominus*, summo et ineluctabili et nunquam recusando, nunquam amittendo dominio — *noster* — Deus ac *Dominus universorum*. — Erga hunc *Deum* ac *Dominum* tria hominis officia:

1. *Laudare*. Et vero quis non laudet, cujus summe admirandas perfectiones, quæcumque circa nos et in nobis sunt, annuntiant? *Cæli enarrant gloriam Dei etc.* — *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* — *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* — *Repletur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

2. *Reverentiam exhibere*, cultu interno et externo, — ac reverendo ubique præsentem. *Quis non timebit te, o Rex gentium?*

3. *Servire*, — ex Ejus voluntate pendere, idque in omnibus, — ubique et omni tempore, et eo semper modo agere omnia, quo Dominus velit. Hoc enim est *servire Deo*. Qui enim *servit* alicui, non suam facit, sed ejus, cui servit voluntatem. Hoc officium complectitur: 1. Observantiam mandatorum Dei; et hoc quidem commune est omnibus. 2. Fidelitatem in explendis obligationibus status cujusque propriis. 3. In iis, qui statum vitæ nondum habent, et quibus electio libera relinquitur, seriam de hoc deliberationem. 4. Denique totius vitæ, cogitationum, verborum, actionum rectam ordinationem, non pro lubitu, sed secundum voluntatem Dei manifestatam nobis seu per auctoritatem legitimam seu per lumina et inspirationes divinas etc. — *Servire Deo* est etiam obsequia Deo præstare, quibus licet ipse minime indigeat, tamen et dignissimus ipse cui, quidquid ei gratum esse et acceptum novimus, exhibeamus, et vero hæc ille obsequia pro sua benignitate admittere et liberalissime remunerari dignatur. Quo quidem obsequiorum genere ii maxime *Deo servire* censentur, qui suam operam et industriam in eo ponunt, ut ab aliis etiam quamplurimis laus Deo et reverentia et obsequium præstetur.



Circa tria hæc nostra erga Deum Creatorem officia observa: primum, quod est *laudare*, esse facillimum; neque adeo secundum, quod est *revereri*, esse difficile; verum in tertio officio, quod est *servire*, difficultatem potissimum reperiri, idque ex natura scilicet nostra per peccatum vitiata. Licet enim *servire Deo* sit per se honorificentissimum et etiam jucundissimum, cum *voluntas Dei* non possit non esse bona et optima et ipsi etiam creaturæ suæ desiderabilissima; fit tamen ex naturæ nostræ corruptione, ut nec *intellectus*, quid velit Dominus, clare cognoscat, et *voluntas* rebellis cognitam etiam Dei voluntatem implere detrectet; quia scilicet sui juris esse vult homo; et quo modo apud Prophetam regium dicere amat: *Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* eodem et in actione et in omni propriarum facultatum rerumque omnium usu male sanam affectat libertatem sive independentiam. Hinc præcipue omnis mali labes. Ceterum in serviendo Deo, in facienda Dei voluntate ipsius hominis beatitudo sita est. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* — Instanter ergo orandum: *Domine, quid me vis facere? Ut sciam — Doce me facere voluntatem tuam. Ut opere expleam.*

Præ ceteris ergo hoc officium *serviendi Deo*, ponderandum est. Nam, præterquam quod in hoc præsertim difficultas habetur in nobis, officium hoc præstari semper Deo debet nec unquam intermitteri. Nam neque *actu* LAUDARE Deum semper possumus nec eum REVERERI *actu* semper; nec enim fert hanc contentionem mortalis nostra conditio: SERVIRE autem Deo, id est voluntatem ejus facere, et possumus et debemus semper, neque ab hoc officio vacua abire pars ulla vitæ nostræ potest, etiam dormientium, etiam morientium.

Ponderato bene triplici hoc erga Creatorem officio considera nihil esse posse *æquius*, nihil creaturæ rationali *honorificentius*; et quantumvis difficile videri aliquando possit, esse tamen ejusmodi finem nobis propositum, qui per Dei benignitatem totus *in nostra sit potestate*; et a quo persequendo et consequendo *nihil* extra nos *impedire* nos aut prohibere possit, vel si totus infernus totusque mundus ad impediendum nos ab hoc officio præstando conspiraret. Qua in re summa Creatoris bonitas elucet, qui talem nobis finem præstituerit, cui satisfacere a nobis ipsis pendeat. Hinc pacis ac tranquillitatis animi in omnibus vitæ casibus plena securitas, cum horum nihil

nos prohibere possit, quominus Deum laudemus, Eum revereamur, Ei serviamus, modo ne nobis deesse ipsi velimus. *Amicus Dei esse si voluero, ecce nunc fio* (S. Aug. Conf.).

Est *facile* etiam hoc nomine, quod Deus non successum, ut homines solent, sed voluntatem solam requirat et æstimet, quæ per ejus donum tota nostra est. *Nihil enim tam facile bonæ voluntati est, quam ipsa sibi; et hæc sufficit Deo* (S. Aug. serm. 9 de Verb. Domini).

Denique difficultatis quidquid inesse possit, superari facile, immo etiam plane evanescere necesse est, si ad considerandam *utilitatem* summam et *necessitatem* finis nostri animum applicemus. Sequitur enim:

ET PER HÆC (hæc agendo) SALVET ANIMAM SUAM.

PER HÆC, hæc agendo, — ea, quæ dicta sunt, exsequendo.

SALVET ANIMAM SUAM. Quid est et quanti *salvare animam*? Quid est, quod cum tanto bono venire in comparisonem possit? Quid videri potest difficile nimis? Quid vero etiam non facile, leve, nihil, ut tantum consequamur bonum, cuius jacturam ex opposito summum malum excipit? Etenim, nisi *salvem ani-*



*mam meam, illam indubitato perdam: perdere vero animam est æternum damnari!* Nihil est medium, nihil ubi consistere possim, ut neque salvem animam meam neque damner. Summa ergo *utilitas, necessitas* summa. Porro finis hic ultimus, beatitudo summa, boni summi consecutio et summi mali evitatio, præcedentia illa consequitur. *Salus animæ* ab hoc pendet; si nempe in hac vita officia prædicta erga Deum exsequar, eum *laudando, ei reverentiam exhibendo, ei, quod caput est, serviendo.* Hæc, inquam, *agendo* salvabo animam meam.

Hæc est infinita illius summi Dei Creatoris bonitas ac liberalitas, ut cum sua laude, reverentia, famulatu, meam summam utilitatem ac plane interminabilem et infinitam felicitatem intimo ac necessario quodam nexu conjunctam esse voluerit.

*Servire Deo* prius est; *salvare animam* posterius: hoc posterius *finis* est ultimus, in altera demum vita consequendus; prius illud *finis* est proximus ac præsentis temporis. — Frustra ergo sunt, qui de salute animæ semper solliciti, semper anxii, de hac sola cogitare, de hac sola loqui amant; si de *serviando Deo* parum aut nihil solliciti sunt. Hæc *agendo* — *salvet animam suam.* — Ser-

viamus Deo corde sincero et salutem de Domini bonitate consecuturos nos non speremus modo sed etiam confidamus.

Jure merito hic applicari solet illud: *Porro unum est necessarium.* Nam non modo omne bonum nostrum in hoc vertitur, *hoc est enim omnis homo;* — non modo hoc solum ad unumquemque spectat et cuique est personale, cui ipse solus, nemo sine ipso, providere potest: sed etiam quæcumque actio fiat, si quæritur: *num ad hoc vivis?* nulla dari potest adæquata responsio, nisi perveniatur ad illud quod in hoc *Principio* et *Fundamento* exponitur. Nisi enim ad hunc verum et unicum finem, quidquid a nobis fiat, referatur; vel absurda dicentur, vel manebit semper, quod ultra quærat. Nam et in actionibus natura sua vel utilibus vel honestissimis etiam et sanctissimis si quærat: *num ad hoc vivis?* v. g. ut litteris des operam? ut scribas? ut ores? etc.; poterit quidem fortasse dici: *ETIAM ad hoc,* sed nequaquam *AD HOC* absolute: alioqui talis actio deberet esse totius vitæ nec unquam interrumpi, quod fieri in nulla potest. At *servire Deo* officium est omnis temporis ac plene respondet ultimæ quæstioni: *num ad hoc vivis?* immo vel in moriente valet: *Sive enim vivimus sive morimur, Domini*

*sumus.* Illi servire seu vivendo seu moriendo necesse est. *Hoc ergo unum necessarium.*

Principii hujus *applicatio practica* varia erit pro personarum varietate. — *Quid hoc ad servitium Dei? Quid hoc ad vitam æternam?* Varia pro varietate circumstantiarum, vicissitudinum, desideriorum etiam, quibus probabiliter implicantur, qui Exercitiis dant operam, Prælati, Sacerdotes, Ecclesiastici, Religiosi, Sæculares, Nobiles, Litterati, Mercatores, Artifices, Milites, Juvenes, Senes etc. *Servire Deo* quisque necessario debet in primis (quod commune omnibus) ut *homo*, ut *Christianus*; — tum præterea hic ut *Sacerdos*, — ille ut *Religiosus*, — ut constitutus in tali *gradu*, — *officio* tali, etc. — Sane amplissimus hic aperitur campus considerationi maxime practicæ. *Notum fac mihi, Domine, FINEM MEUM . . . UT SCIAM QUID DESIT MIHI.*

## II. Finis creaturarum.

ET RELIQUA SUPER FACIEM TERRÆ (sita) CREATA SUNT PROPTER HOMINEM, ET UT EUM JUVENT IN PROSECUTIONE FINIS, OB QUEM CREATUS EST.

RELIQUA SUPER FACIEM TERRÆ — intelliguntur a S. Patre, ut ex consequen-



tibus patet, non modo *creaturæ* Dei proprie sic dictæ, ut animalia, fruges, plantæ, et cetera, quæ sunt super terram, sed omnia omnino, quæ extra Deum sunt; inter quæ etiam rerum humanarum, totiusque adeo hujus universi orbis vicissitudines censentur, omnia plane, tum quæ bona dicuntur, tum quæ mala. Atque hæc quidem *mala*, licet a Creatore in originario hominis statu non fuerint intenta, tamen post hominis lapsum, in hoc novo ordine Providentiæ, merito etiam *creata* dicuntur, eo sensu, quatenus scilicet quæcumque Deus creavit *bona*, creata tamen sunt omnia non sine imperfectionibus ac defectibus, quorum quidem defectuum seu imperfectionum effectus Deus Creator vel intendit vel permittit. Quo sensu in Scripturis dicitur: *Ego Dominus . . . creans tenebras . . . creans malum* (Is. 45.); et ea quæ toties de calamitatibus etiam publicis deque ipsis adeo sceleribus hominum leguntur: *Adducam super eos etc. — A Domino exiit verbum hoc*; et alia hujusmodi.

## CREATA SUNT PROPTER HOMINEM.

1. PROPTER HOMINEM. — Homo in aspectabilis hujus mundi creatione finis est Creatoris. Itaque in primis illa om-

nia creavit, domicilium paravit et affatim omni, ut ita dicam, suppellectili instruxit et adornavit; tum hominem creavit, qui his omnibus præesset eisque uteretur.

2. PROPTER HOMINEM. — Ut homo propter Deum, ita ista propter hominem. Sine homine, sine creatura rationali et corporea, qualis est homo, omnis hæc rerum spectabilium universitas, omnia ista insensata et irrationabilia, sine, qui sapientia Dei dignus sit, carerent.

3. PROPTER HOMINEM. — Ergo ista propter hominem, non homo propter illa. Homo itaque eorum dominus, non servus; illis esse superior debet, non eorum subesse servituti. Utinam, ut natura ita affectu essemus semper creaturis omnibus superiores!

4. PROPTER HOMINEM. — Ut homini serviant, ejus scilicet *necessitati* — *utilitati* — *oblectationi* etiam, et vero, — ut *occupationem* præbeant, qua homo pro sua natura, qua animal rationale creatus est, omnino indiget. Nam et in statu naturæ integræ Adam a providissimo Creatore positus erat *in Paradiso voluptatis*, UT OPERARETUR *et custodiret illum*. Admiranda Creatoris in hominem tum liberalitas tum providentia! — Quod si in præsentis rerum ordine, post hominis lapsum, multa sunt, quæ pœnam homini

inferant, etiam hæc ipsa merito creata dicuntur *propter hominem*, ut eum scilicet et a peccato *purgent et virtutis exercendæ occasionem* præbeant: quæ duo homini lapso non utilia modo, sed maxime necessaria sunt. Præsertim cum ultimus creaturarum finis sit, qui sequitur.

ET UT EUM JUVENT IN PROSECUTIONE FINIS, OB QUEM CREATUS EST.

Juvent scilicet, 1. *ad serviendum Deo in hac vita*, qui *proximus* est hominis finis; 2. *ad salvandam animam suam*, qui finis est hominis *ultimus*.

Porro huic *fini*, quem tum sibi tum homini Creator in harum rerum omnium creatione proposuit, respondere homo in usu creaturarum tribus modis potest ac debet.

1. *Contemplatione*, ascendendo ex consideratione creaturarum ad cognitionem Creatoris; *invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; ad cognitionem, inquam, illius increatæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, pulchritudinis etc.

2. *Usu*, illis pro necessitate, utilitate, honesta etiam oblectatione et pro facultatum suarum seu corporis seu animi exercitatione recte utendo. Item, si molestæ, tolerando patienter.



3. *Abstinētia*, ab earum usu, si delectabiles, temperantiæ et mortificationis virtute abstinendo.

Ex his tribus modis primus absque dubio est *nobilissimus*; secundus *communis*; tertius, cujus applicatio in statu naturæ integræ ex Creatoris præcepto erat minima atque facillima, in præsentī statu naturæ corruptæ maxime *necessarius est*, ejusque frequens esse debet usus ac vix non assiduus: adeo ut nisi *tertium* hunc (abstinētiæ) modum in creaturarum usu exerceamus, nunquam simus futuri fideles ac moderati in *secundo*, ad *primum* vero exercendum futuri simus prorsus inepti. Nisi enim homo in usu creaturarum sibi imperet propriæque voluntati et inclinationi naturæ multa neget, certo certius in illarum usu modum excedet, neque ex illarum consideratione ad Creatorem ascendere poterit, sed iis ipsis hærebit affixus. *Si dederis animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis* (Eccli. 18).

Denique ad primum, quem diximus, modum *contemplationis* illud pertinet, ut ex omnibus, quæ videmus, seu bona sint, seu mala, ad bona et mala invisibilia consideranda mente assurgamus, visibilia aspiciamus ut imagines invisibilium, præ-

sentia ut imagines futurorum. Quo etiam sensu Propheta dixit: *Verumtamen IN IMAGINE pertransit homo*; et Apostolus: *Præterit FIGURA hujus mundi*.

His itaque rationibus reliqua super terram sita instrumenta sunt homini, quæ ipsi inserviunt eumque juvant ad finem, quem ipsi Deus proposuit consequendum. — Quam ampla hic considerationis materia cum applicatione ad propriam Exercitantis necessitatem!

### III. Creaturarum rectus usus.

UNDE SEQUITUR HOMINI TANTUM UTENDUM ILLIS ESSE, QUANTUM IPSUM JUVANT AD FINEM SUUM, ET TANTUM DEBERE EUM EXPEDIRE (retrahere) SE AB ILLIS, QUANTUM IPSUM AD EUM (finem) IMPEDIUNT.

Hæc est consecutio, quæ ex præmisso Principio de fine creaturarum sponte sua fluit. Etenim, si res creatæ omnes reliquæ sunt propter hominem, ut eum ad suum finem juvent; profecto, ut illis vel utamur vel abstineamus, illud præcipue in illis spectandum est, an juvent vera necne. Proinde, si quæ vere juvent ad finem, admittendæ, et in *tantum* admittendæ, in *quantum* juvant, NEC PLUS NEC MINUS. Contra, si quæ ad finem impediunt, vitandæ, rejiciendæ, et in

*tantum* vitandæ, in *quantum* impediunt, NEC PLUS NEC MINUS. Hæc enim est ratio eorum, quæ *media* sunt, quæ *instrumenta* sunt, ut illud præcipue, imo vero illud unice in illis spectetur, an et quantum *media* sint, *instrumenta* sint, apta et idonea ad finem, ad opus. Si apta, si idonea non sint, jam *media* non sunt, *instrumenta* non sunt; multoque minus, si ad finem, si ad opus, quod exsequendum est, impediunt.

Hoc veræ sapientiæ principium est, cujus applicatione practica vita vere ac proprie ordinatur secundum rectam rationem; ut scilicet *finis* præ oculis habeatur semper ut *finis*, *media* ut *media*, nec nisi ut *media*. *Fine* semel rite intellecto ac præstituto, *media* ad *finem* propter solum finem appetenda et adhibenda.

Porro hujus Principii practici applicatio propemodum est infinita. Et vix fieri potest, ut serio quis Principium hoc ad vitæ suæ rationem applicare incipiat, quin mox inordinationem multiplicem in omni vita sua deprehendat. Quia enim homo verum hunc finem creaturarum omnium e mente ac memoria elabi sibi plerumque sinit, et solum ferme, quid *placeat*, quid *displiceat*, cogitare et considerare ante omnia consuevit; hinc inordinatio,



hinc imperfectio omnis, hinc peccata. Sane, *placeant* illæ sensui, vel *displiceant*, hæc ratio illis utendi vel non utendi profecto est *nulla*. Nam et quæ *placent*, possunt impedire et persæpe impediunt; et quæ *displicent*, possunt juvare, et persæpe juvant, et plerumque juvant maxime, nec raro juvant unice. At nos plerumque adversa sensui fugimus, horremus, minus iis utimur; sensui jucunda appetimus, quærimus, admittimus, iis utimur aut etiam fruimur nec modum servantes nec ordinem. Hinc omnis mali labes!

Est autem etiam hæc applicatio facienda pro ratione personarum. Nam æque ad homines mundanos pertinet, ut peccatorum cœno immersi aliquando se respiciant; et ad vitæ spiritualis ac perfectæ sectatores, ut perfectionis impedimenta tollant.

Quod vero dicitur: TANTUM — QUANTUM — NEC PLUS — NEC MINUS — ejusmodi est, ut perfectionem altissimam comprehendat. Quam cum videamus prorsus *homine*, qui ratione utatur, dignam, quamque vel sola ratio ab homine requirat (ab *homine*, inquam, quid vero a *Christiano*, a *Religioso*?), quis erit, qui jam hinc videre non incipiat, quam multum sibi *desit*? *Notum fac mihi*,

*Domine, finem meum, ut sciam, quid desit mihi.*

#### IV. Conclusio practica et medium.

QUAPROPTER NECESSE EST FACERE NOS INDIFFERENTES ERGA RES CREATAS OMNES, QUANTUM PERMISSUM EST LIBERTATI NOSTRI LIBERI ARBITRII ET NON EST EI PROHIBITUM, ADEO UT NON VELIMUS EX PARTE NOSTRA MAGIS SANITATEM QUAM INFIRMITATEM, DIVITIAS QUAM PAUPERTATEM, HONOREM QUAM IGNOMINIAM, VITAM LONGAM QUAM BREVEM, ET CONSEQUENTER IN CETERIS OMNIBUS, UNICE DESIDERANDO ET ELIGENDO EA, QUÆ MAGIS NOBIS CONDUcant AD FINEM, OB QUEM CREATI SUMUS.

QUAPROPTER, et ut hoc consequamur, ut tam ordinate agamus in usu creaturarum, NECESSE EST FACERE (exhibere) NOS INDIFFERENTES ERGA RES CREATAS OMNES. — Hæc est conclusio practica ex præcedentibus legitime deducta, qua simul *medium* PROPONITUR, quo ad illam perfectionem, quæ supra dicta est, eniti debemus; scilicet docemur animi dispositionem, sine qua nunquam poterimus regulam illam servare, utendi videlicet *creaturis* vel non utendi, TANTUM, QUANTUM vel juvant vel impediunt; NEC PLUS NEC MINUS. Ad hoc NECESSE EST, N. B. *necesse est, medium omnino necessari-*

*um, facere (exhibere) nos indifferentes erga res creatas omnes. Res omnes creatæ per se indifferentes sunt; possunt enim omnes æque obesse ac prodesse ad finem. Hanc veritatem vel ipsa philosophia lumine naturali cognovit, cum omnia ista nec bona nec mala proprie dicenda esse docuit sed ἀδιάφορα, indifferentia. Nobis vero fide illustratis hæc eadem veritas ita perspecta est, ut, si cuicumque Deus ipse optionem daret, ut eligeret, quod vellet, præmissa ista questione: Quodnam ex his tibi melius, tibi opportunius ad finem æternæ salutis tuæ futurum est? nemo sit, qui non intelligat, ab eo, qui modo rationis compos sit, aliud responderi non posse nisi: nescio, Domine, tu scis. Quod cum ita sit, nihil profecto esse potest æquius, nihil opportunius nobis ad salutem, nihil veræ sapientiæ magis conforme, quam ut plane indifferentes nos exhibeamus erga res creatas omnes.*

QUANTUM PERMISSUM EST LIBERTATI NOSTRI LIBERI ARBITRII ET NON EST EI PROHIBITUM. — Hæc clausula merito apponitur; quia, licet omnia *per se* indifferentia sint, *relate* tamen *ad nos* et in particulari sumpta multa sunt, quæ cavere ac pro viribus repellere, multa item, quæ curare vel conservare lege divina, officii ra-



tionem, justitiam, charitatem jubemur: quæ proinde ad nos vere vel *bona* sunt vel *mala*, in quibus propterea indifferentes nos esse libertati arbitrii nostri permittitur non est. Ubi enim voluntas Dei, vel prohibentis aliquid admittere vel jubentis intervenit, illud nos omnino velle aut nolle necesse est, quod velit vel nolit Deus. — Hoc eodem sensu infra interponuntur illa verba: *ex parte nostra*, id est, quantum in nobis est, quantum a nobis, a nostra voluntate pendet.

ADEO UT NON VELIMUS EX PARTE NOSTRA MAGIS SANITATEM QUAM INFIRMITATEM, DIVITIAS QUAM PAUPERTATEM, HONOREM QUAM IGNOMINIAM, VITAM LONGAM QUAM BREVEM. — Ad particularia descendit S. P. et quatuor rerum genera, quæ paucis plurima comprehendunt, enumerat, ad quæ hanc de indifferentia doctrinam applicare debemus.

NON VELIMUS. Intelligitur animi dispositio, voluntatis determinatio ex parte nostra. *Non quæramus*, recte quidem diceretur de *paupertate* ac de *divitiis*; itemque de *honore* et *ignominia*; hæc enim plane indifferentia sunt. De *sanitate* autem ac de *infirmitate*; de *vita* item *longa* vel *brevi*, cum hæc alterius sint ordinis, et sanitatis ac vitæ conservatio arbitrio nostro relicta non sit, sed

sub præceptum cadat, QUÆRERE *infirmi-  
tatem*, QUÆRERE *vitam brevem* utique  
non licet; VELLE tamen ex parte nostra  
*sanitatem* magis quam *infirmi-  
tatem*, *vi-  
tam longam* quam *brevem* merito prohi-  
bemur; semper enim necessaria est animi  
dispositio ex parte nostra indifferens ad  
hæc ut ad alia quævis, quæ in nostra  
potestate sita non sunt, sed a Dei pro-  
videntia omnia omnino gubernantis pen-  
dent, qui solus novit, quid cuique ad ul-  
timum *finem* consequendum opportunius  
sit, quid unumquemque *adjuturum* sit  
magis, quid *impediturum*. Sane, *divitiæ*  
et *honores* paucis quibusdam multorum  
meritorum occasionem præbuerunt, pluri-  
mis contra ruinam pepererunt ac damna-  
tionem; alii per *paupertatem* et *ignomi-  
niam* salvi facti sunt; *infirmi-  
tas* item  
saluti plurimis fuit, et *præmatura mors*  
non paucos in æternam vitam asseruit:  
dum aliis *sanitas* ac *vita longa* et glo-  
riæ Dei amplificandæ et meritis quam-  
plurimis sibi in beatam æternitatem col-  
ligendis mirifice inservivit. Nobis autem,  
quid ex his omnibus maxime profuturum  
nobis ad finem nostrum sit, ignorantibus,  
aliud nihil restat, si sapimus, nisi ut nec  
unum *velimus* magis nec alterum, sed  
Deo fidenter nos plena animi, voluntatis,  
inquam, *indifferentia* committamus. Illud

vero pro indubitato teneamus, si Deo dante adversa tolerare contingat, in illis maxime futuram nobis occasionem exhibendi Deo Domino triplex illud officium *laudis, reverentiæ et famulatus* modo præclarissimo et heroico, ac proin etiam *salutem* nostram in tuto collocandi.

ET CONSEQUENTER IN CETERIS OMNIBUS.

— His verbis necessitas ista *exhibendi nos indifferentes* extenditur ad alia omnia, quæ forte ad quatuor illa genera reduci non possunt, et sane sunt quamplurima. — Profecto indifferentiæ hujus exercendæ materia sunt etiam *talenta* ac dotes naturales, plures, pauciores — *dona* quin etiam *supernaturalia* — *consolationes* ac *desolationes* — item *vitæ conditio* ac *status* — *locus habitationis* — *officium* — *officii occupationes* ac *modi* — *socii* etiam, quibuscum vivendum sit, eorumque *habitudines* ac *mores* — rerum denique omnium *successus* seu *prosperi* seu *adversi* — nec nostrarum modo rerum, sed *alienarum* etiam — eorum præsertim, qui nobis quacumque ratione *conjuncti* sunt — horum *fortuniæ* — *vicissitudines* — *vita ipsa* — res denique omnes *privatæ* — *publicæ*. — Omnia hæc et alia prorsus infinita ad illa *Reliqua super terram sita* pertinent, et ad omnia extendat se necesse est in-



*differentia* nostra, — sive grata illa sint naturæ sive ingrata — semper utique, ut supra dictum est, *quantum permissum est libertati arbitrii nostri et non est ei prohibitum.*

UNICE DESIDERANDO ET ELIGENDO, QUÆ MAGIS NOBIS CONDUcant AD FINEM. — *Desiderium* latius patet quam *electio*; sed sive *eligendi* potestas sit, aut necessitas *eligendi* urgeat, ut in multis quotidie usu venit, sive *desiderii* solius adsit copia, regula veræ sapientiæ eadem semper, ut UNICE illud spectetur, quod MAGIS con-ducatur ad finem.

Jam quis non videat, quam late pateat hujus doctrinæ applicatio, quantæ etiam perfectionis sit ejus exercitium? Præterea, cum illud plerumque contingat, ut quæ naturaliter *placent*, ea *minus* con-ducant ad finem nostrum; et contra, quæ *displicent*, plerumque con-ducant *magis*: quam clare vel ex ipso hoc Principio elucet necessitas *abnegationis* ac *mortificationis*, qua voluntas nostra virtutis amore a rebus sibi gratis abstinere et ingratas amplecti vel invita assuescat? Quod item philosophia agnovit et docuit vulgato illo præcepto: *sustine et abstine*. Frustra enimvero est, quisquis sine hac mortificatione ad illam, quam hic doce-mur, *indifferentiam* pervenire se posse

arbitretur; cum in ista mortificatione vel sola vel potissimum consistat illud FACERE NOS (exhibere nos) INDIFFERENTES.

Ceterum, explere, quæ Fundamentum requirit, non est nisi per Christi gratiam; et quantumvis evidentia sint principia, juxta quæ gubernare se homo ratione præditus debet, tamen voluntatis infirmitas absque Christi gratia ad ea opere sequenda nunquam valebit. Quod quidem, ut initio hujus explanationis præmonuimus, ita hoc loco iterum monuisse juvat, ne quis sibi viribusque suis in rebus tam clare perspectis male fidens, triste illud experiri cogatur: *Video meliora proboque; deteriora sequor.* Orandum ergo est omnibus, *ut et, quæ agenda sunt, videant, et ad implenda, quæ viderint, convalescant.* (Oratio Ecclesiæ Dominica infra Oct. Epiph.)

---

## EXAMEN PARTICULARE

*et quotidianum; continet in se tria tempora, et examinationem sui bis [quotidie] faciendam.*

Primum tempus est, quod mane, statim ac [e strato] surgit homo, proponere debet cavere diligenter ab *illo peccato*<sup>1)</sup>

---

<sup>1)</sup> *Ab illo peccato particulari vel defectu.* — Itaque Examinis particularis materia sunt *peccata et defectus* quicumque seu imperfectiones, id quod revera praxis habet communis inde a S. P. N. temporibus, ut ex historiis nostris satis constat. — Atque hic notare juverit, omnem Examinis particularis materiam commode revocari posse ad tria illa, quæ Sacerdos hostiam offerens commemorat, cum dicit: *pro innumerabilibus PECCATIS et OFFENSIONIBUS et NEGLIGENTIIS meis.* Erunt ergo Examinis hujus materia:

1. *Peccata* quævis, seu gravia, seu levia, in quæ prolabi hominem frequentius accidat, sive cogitationis sint, sive verborum, sive operum, sive etiam omissionis. Peccata, intelligo *culpæ* proprie sic dictas.

2. *Offensiones*, culpæ minus proprie dictæ, seu involuntariæ, in quas scilicet *offendere* fragilitatem nostram in tot tamque variis



particulari vel *defectu*, a quo se vult *corrigere et emendare*.

Secundum [tempus est] post prandium, [quo debet] petere homo a Deo Domino nostro *id, quod vult*<sup>2)</sup> [cupit], *scilicet*

vitæ hujus casibus pronum est, ferme ut per viam salebrosam incedenti frequenter offendere seu impingere vel nolenti accidit. Et tamen cautius incedendo, *offensiones* hujusmodi minuere Examinis particularis ope Dei famulus potest et debet. Postulatur enim a nobis, ut *solliciti ambulemus cum Domino Deo nostro* (Mich. 6).

3. Negligentiæ, eæ, quæ ad rationem quidem peccati omissionis non pertingunt, sed in actiones nostras irrepere easque si minus vitare omnino, tamen imperfectas minusque acceptas Deo reddere solent; suntque profecto innumeræ, sive intentionis puritatem et intentionem spectes, sive modos omnes, quibus actiones nostras ornari ac perfici in Dei conspectu decet pro mensura luminis et gratiæ nobis a Domino communicatæ. Applicandum ergo Examen particulare: 1. Ad tollenda peccata. — 2. Ad tollendas vel certe minuendas *offensiones*. — 3. Ad tollendas vel certe minuendas negligentiæ per earum virtutum exercitia, quibus exornari actiones singulas omnemque vitam nostram oportet.

<sup>2)</sup> *Id quod vult (cupit), scilicet*. — Verba hæc passim a S. Patre usurpari solent, ubi

gratiam, ut recordetur, quoties lapsus sit in illud peccatum particulare vel *defectum*, et ut se emendet in posterum; et consequenter faciat primum examen, exigens rationem ab anima sua *de illa re proposita et particulari, a qua se vult corrigere et emendare, discurrendo per*

---

de gratia peculiari a Deo petenda sermo incidit. Videtur velle nos admonere, ut ante orationem diligenter cogitemus, *quid illud sit, quod hic et nunc impetrare a Domino cupimus.* — *Gratia vero peculiaris*, quam hic postulare docemur, ut alias semper duplex est: scilicet non modo *luminis*, ut cognoscamus lapsus nostros eosve in memoriam revocemus, verum etiam *auxilii*, ut reipsa nos emendemus in posterum. Nimirum *de omnipotentis et misericordis Dei munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur.* Ejus proin gratia imploranda, qua *ad Ejus promissiones sine offensione curramus*, ut loquitur Ecclesia in oratione Dominicæ XII post Pentecosten. — De re per se satis omnibus nota et plane certa per fidem monere hoc loco placuit: quod fortasse nulla re magis Examini particularis fructus solidus impediri soleat, quam quod occulta quadam aut non satis observata præsumptione in propositis nostris et industriis confidamus; cum tamen *omnis sufficientia nostra ex Deo sit* (2 Cor. 3).

*horas singulas vel per<sup>3)</sup> tempora singula, incipiendo ab hora, qua surrexit, usque ad horam et momentum examinis præsentis, et faciat [notet] in prima linea [subsequentis] figuræ totidem puncta, quoties in illud peccatum particulare seu defectum incurrerit, ac postea proponat denuo emendare se usque ad alterum examen, quod faciet.*

· Tertium tempus, post cœnam, [quo] fiet secundum examen eodem modo per horas singulas, incipiendo a primo examine usque ad secundum præsens, et faciat [notet] in secunda linea ejusdem figuræ totidem puncta, quoties incurrerit in illud particulare peccatum seu defectum.

*Sequuntur quatuor Additiones ad citius tollendum illud peccatum seu defectum [illum] particularem.*

Prima Additio est, ut, quotiescumque homo cadat in illud peccatum seu [in]

---

<sup>3)</sup> *Per horas singulas vel per tempora singula. — Per horas vel per tempora singula, commode fieri etiam potest per actiones singulas, quæ per tempus illud, quod sub examen venit, sibi aliæ atque aliæ successerunt; non omissis tamen intervallis temporum ab una actione ad alteram.*



*defectum* [illum] particularem, pectori manum admoveat, dolens, quod ceciderit; id quod fieri potest etiam coram *multis*, quin advertant, quid faciat.

Secunda, cum prima linea figuræ significet primum examen et secunda linea secundum examen, videat [observet] sub noctem, *an sit emendatio* a prima linea ad secundam,<sup>4)</sup> id est, a primo examine ad secundum.

Tertia, conferre secundum diem cum primo, id est, duo examina diei præsentis cum aliis duobus examinibus diei præcedentis, et videre [observare], *an ab uno die ad alterum* se emendaverit.

Quarta Additio, conferre unam hebdomadam cum altera et videre [observare], *an se emendaverit* in præsentī hebdomada *plus, quam* in prima præterita.

Notandum est, primam [lineam figuræ] D = majusculam, quæ sequitur, signifi-

---

.<sup>4)</sup> *A prima linea ad secundam etc.* — Antiqua versio litteralis *ms.* habet: *in secunda linea plus quam in prima, hoc est, in secundo examine plus quam in primo.* — Jam enim et in prima linea seu in primo examine emendatio subsecuta merito supponitur; quippe necessarius fructus primi propositi.

care Dominicam, secundam minorem diem lunæ, tertiam diem martis, et ita consequenter.

---

D

---

---

d

---

---

d

---

---

d

---

---

d

---

---

d

---

---

d

---

*EXAMEN CONSCIENTIÆ  
GENERALE<sup>5)</sup>*

*ad purgandum se et ad melius Confi-  
tendum.*

*Præsuppono esse tres cogitationes in me:*<sup>6)</sup> scilicet unam meam propriam, quæ exsurgit ex mea *mera libertate et voluntate*, ac duas alias, quæ adveniunt extrinsecus: alteram, quæ venit a bono spiritu, et alteram [quæ] a malo.

<sup>5)</sup> In vulgata Examinis generalis versione, quibusdam in locis aliqua addita vel interserta sunt, majoris perspicuitatis gratia. — Simile quid, tum in præcedentibus observare licuit, tum in sequentibus deinceps licebit. Semel id hoc loco monuisse sufficiat.

<sup>6)</sup> *Esse tres cogitationes in me*, — seu triplex cogitationum genus. — *Esse*, ita autographum hispanicum. — *Incidere*, quod habet vulgata versio, posset intelligi de quavis cogitatione seu evagatione mentis momentanea, in qua nulla fiat mora, nulla advertentia, in qua voluntas nullam habeat partem. At de istiusmodi cogitationibus hic non agitur. — Notatu dignum est etiam, a S. P. dici: *in me*, in prima persona, quod et alias observari poterit. Juvat hic modus loquendi, ut qui exercetur *de se* solo cogitet, *sibi* res applicet, dicatque sibi: tu es ille vir.



### *De Cogitatione.*

Duo sunt modi merendi *in* mala cogitatione, *quæ advenit extrinsecus.*

[Primo], verbi gratia advenit cogitatio de committendo peccato mortali, cui cogitationi *resisto* in promptu, et [illa] *victa manet.*

Secundus modus merendi est, quando *mihi* venit illa eadem mala cogitatio, et *ego* illi *resisto*, et [ea] iterum atque iterum ad me redit, et *ego* semper *resisto*, donec illa cogitatio victa recedat; et hic secundus modus *majoris est meriti* quam primus.

Venialiter peccatur, quando eadem cogitatio peccandi mortaliter venit, et homo ei præbet aures, aliquantulum ei immerando vel recipiendo aliquam delectationem sensus, vel ubi sit [interveniat] *aliqua negligentia in rejicienda tali cogitatione.*<sup>7)</sup>

---

<sup>7)</sup> Notum est hanc præsertim doctrinam S. Patris de mortalis ac venialis peccati distinctione suspicionibus olim occasionem præbuisse, eumque propter illam in iudicium fuisse vocatum. Recte autem probat Suarez (t. IV, *de Relig.* lib. IX, c. V, n. 13), ex verbis S. Patris, omnem *consensum* hoc loco omnino excludi, ac solam *negligentiam aliquam* admitti, qua venialiter, non mortaliter peccetur.

Duo sunt modi peccandi mortaliter.

Primus est, quando homo præbet consensum malæ cogitationi ad operandum postea sicut consensit [juxta consensum], vel ad eam opere exsequendam, si posset.

Secundus modus peccandi mortaliter est, quando opere completur illud peccatum, et est gravius [prior] ob tres rationes: primo, ob longius tempus, secundo, ob majorem intensionem, tertio, ob majus damnum *utriusque personæ*.<sup>s)</sup>

### *De Verbo.*

Non jurandum neque per Creatorem, neque per creaturam, nisi fuerit cum veritate, necessitate et reverentia. Necessitatem intelligo, non quando affirmatur cum juramento quæcumque veritas, sed quando [veritas illa] est *alicujus* momenti

<sup>s)</sup> *Utriusque personæ*. — Ita proprie in autographo, quæ verba, uti et quod supra dicitur de *sensus delectatione*, innuunt agi hoc loco potissimum de cogitatione in materia sexti præcepti. Antiqua versio *ms.* sic habet: *ob majus damnum plurium quandoque sequens*. Ceterum et ab aliis dudum observatum fuit, et cuivis Examen hoc inspicienti patet, nequaquam eam fuisse S. P. mentem, ut omnem Examinis generalis materiam persequeretur.

circa utilitatem animæ vel corporis vel bonorum temporalium. Intelligo reverentiam, quando in nominando Creatore ac Domino suo, [homo] considerando [reflectendo] religiose observat illum honorem ac reverentiam debitam.

Advertendum est, quod, licet in vano [falso] juramento peccemus gravius jurando per Creatorem, quam per creaturam, est [tamen] difficilius jurare *debito modo*, [id est] cum veritate, necessitate et reverentia, per creaturam, quam per Creatorem ob rationes sequentes.

Prima, quando *volumus jurare*<sup>9)</sup> per aliquam creaturam, in illo [actu], dum *nominare volumus* creaturam, [hæc creatura, vel istud velle jurare per creaturam] non adeo reddit nos attentos *et cautos* ad dicendam veritatem vel ad illam cum necessitate affirmandam, sicuti dum *nominare volumus* Dominum et Creatorem rerum omnium.

Secunda est, quia jurando per creaturam non est tam facile exhibere reverentiam et honorem Creatori, sicut jurando [per Deum] et nominando ipsum

---

<sup>9)</sup> Quando *volumus jurare . . . nominare volumus*. — Ita clarius exprimitur agi hic de attentione, quæ juramentum *præcedere* debet, non *comitari* tantum.



Creatorem ac Dominum; nam *velle nominare* Deum Dominum nostrum, affert secum majorem reverentiam et venerationem, quam velle nominare rem creatam. Propterea magis conceditur perfectis jurare per creaturam, quam *imperfectis*; quia perfecti per assiduum contemplationem et illustrationem intellectus considerant, meditantur et contemplantur magis, esse Deum Dominum nostrum in unaquaque creatura secundum suam propriam essentiam, præsentiam et potentiam; atque ita in jurando *per creaturam*, sunt magis apti et dispositi ad exhibendum honorem ac reverentiam Creatori ac Domino suo quam imperfecti.

Tertia est, quod in jurando assidue per creaturam timenda est idololatria magis in imperfectis, quam in perfectis.

Non dicendum verbum otiosum, quale intelligo, quando [quod dico] nec mihi nec alteri prodest, neque ad talem intentionem ordinatur; ita ut in loquendo propter omne id, quod prodest, vel [cum] intentio est, ut prosit [sermo] animæ propriæ vel alienæ vel corpori vel bonis temporalibus, nunquam sit otiosum [verbum], neque propterea quod quis loquatur in [de] rebus, quæ sunt extra statum suum, ut si religiosus quispiam loquatur de bellis vel mercimoniis. Sed in omni-

bus, quæ dicta sunt, meritum est, si bene ordinetur [sermo], et peccatum, si male dirigatur vel vane proferatur.

Non dicendum quidquam in diffamationem [alterius] vel murmurationem; quia si [ego] revelo peccatum mortale, quod publicum non sit, pecco mortaliter; si veniale, venialiter; *et si defectum, patefacio* [meum] *proprium defectum*; si vero intentio sit sana, duobus modis potest quis loqui de peccato vel defectu alterius.

Primo, quando peccatum publicum est, sicut meretricis publicæ, vel de sententia in iudicio lata, vel de errore publico, qui inficit animas [eorum], quibuscum est conversatio.

Secundo, quando peccatum occultum revelatur alicui, ut is juvet eum, qui in peccato est, ad erigendum eum [a lapsu], si tamen habeat [quis] aliquas conjecturas vel rationes probabiles, [ob quas speretur] fore, ut [alter] possit eum juvare.

### *De Opere.*

Assumendo pro objecto decem mandata [Dei], et præcepta Ecclesiæ, et Superiorum commendationes, quidquid opere quis facit contra aliquod ex his tribus, juxta majorem aut minorem qualitatem, est majus vel minus peccatum. Intellego

[autem] per commendationes Superiorum v. g. Bullas Cruciatæ et alia Indulta, ut pro pace [Christianorum] confessis et communicatis [concedi solita]; quia non parum peccatur tunc *causam præbendo*, [ut contra ea agatur,] *aut faciendo contra* tam pias exhortationes et commendationes Superiorum nostrorum.

*Modus faciendi Examen generale, et continet in se quinque puncta.*

Primum punctum est, gratias agere Deo Domino nostro pro acceptis beneficiis.

Secundum, petere gratiam ad cognoscenda peccata eaque expellenda.

Tertium, exigere rationem ab anima, [incipiendo] ab hora, qua surrexit [quis], usque ad examen præsens, per horas singulas *vel per singula tempora*, ac primum de cogitatione, deinde de verbo, ac *postea* de opere, eodem ordine, quo dictum est in Examine particulari.

Quartum, petere veniam a Deo Domino nostro de defectibus [seu culpis].

Quintum, proponere emendationem cum ejus gratia. *Pater noster.*





## CONFESSIO GENERALIS CUM COMMUNIONE.

In Confessione generali, pro eo, qui eam sponte [non ex necessitate] facere velit, inter alias *multas* invenientur tres utilitates *hoc loco* [s. hoc Exercitiorum tempore].

Prima, licet ille, qui singulis annis confitetur, non obligetur ad faciendam Confessionem generalem, [tamen] faciendo illam habetur major profectus et [majus] meritum ob majorem dolorem *actualem* de omnibus peccatis et pravitatibus *totius* vitæ suæ.

Secunda, cum in talibus Exercitiis spiritualibus cognoscantur magis *intime* peccata et eorum malitia, quam *tempore quo homo non ita vacabat rebus internis*, obtinendo nunc majorem notitiam et *dolorem* de illis, habebitur major utilitas et [majus] meritum, quam ante habitum esset.

Tertia, consequenter quod, cum *melius* confessus sit et [melius] dispositus, invenitur magis aptus et magis præparatus ad recipiendum sanctissimum Sacramentum, cujus receptio *non solum* juvat, ne labatur in peccatum, *sed etiam* ut conservet [se] in augmento gratiæ. Quæ Confessio generalis fiet *melius immediate* post Exercitia primæ hebdomadæ.

## PRIMUM EXERCITIUM

*est meditatio [facienda] per tres potentias [animæ] circa primum, secundum et tertium peccatum.<sup>1)</sup> Continet in se post orationem præparatoriam et duo præambula tria puncta capitalia et unum colloquium.*

Oratio præparatoria est petere gratiam a Deo Domino nostro, ut omnes meæ intentiones, actiones et operatio-

---

<sup>1)</sup> *Circa primum, secundum, tertium peccatum.* — Ita titulus hic respondet plenius argumento meditationis. — *Post orationem præparatoriam etc., tria puncta.* — Ita clarius ea, quæ ad præparationem tantummodo pertinent, a meditationis corpore distinguuntur; ac ne plus æquo in his præambulis meditationis hæreamus, tacite videmur admoneri. — *Capitalia*, hisp. *principales*, quæ quidem vox etiam *præcipua* significat. Sensus est, non quasi alia præterea sint hujus meditationis puncta, hæc autem tria *præcipua*; cum non sint nisi tria; verum quod ista tria *capitalia* sint et ad finem propositum efficacissima momentique gravissimi. Vel, tria ista puncta *præcipua, capitalia* dicuntur, quod singula contineant in se et complectantur plura puncta, in quæ subdistingui ac subdividi possint.

nes<sup>2)</sup> pure ordinentur in servitium ac laudem suæ divinæ Majestatis.

Primum præambulum est compositio, *videndo locum*. Hic notandum est, quod in contemplatione vel meditatione [de re] *visibili*, ut est contemplari Christum Dominum nostrum, qui visibilis est, compositio erit videre visu imaginationis locum corporeum, *ubi reperitur* ea res, quam volo contemplari. Dico locum corporeum, ut v. g. templum vel montem, ubi reperitur Jesus Christus vel Domina nostra, juxta id, quod contemplari volo.

<sup>2)</sup> *Omnes meæ intentiones, actiones et operationes*. — Per integram meditationis horam multas *intentiones* seu cogitationes et desideria excitari, multas item exerceri *actiones et operationes* seu mentis seu corporis contingit. Ergo, ut omnes uni Deo sint sacræ, in oratione præparatoria postulandum. Hoc scilicet est *confiteri Domino — clamare ad Dominum — in toto corde suo*, ut Scriptura loquitur; quod non est ex nobis sed Dei donum per gratiam, diligenter proinde et ardentem in oratione præparatoria postulandam. — Et hæc quidem oratio præparatoria in omni meditatione semper est eadem. — Ceterum non ad solam orationis horam sed ad omnis vitæ nostræ actiones omnes ac singulas rite ordinandas ejusmodi oratio aptissima est et quam frequentissime magno cum fructu adhiberi solet.



In [meditatione de re] *invisibili*, ut est hic de peccatis, compositio erit videre visu imaginationis *et considerare*<sup>3)</sup> ani-

<sup>3)</sup> *Animam meam etc.* — *meam* — de me ipso cogitandum, *mihi* omnia applicanda. — Adverte diligenter, quam vera sit hæc imago, quæ in hoc præambulo proponitur, quam apta simul ad ingerendum *pudoris* et *confusionis sensum*, qui in hac meditatione quæritur. — Jam enim in hoc præambulo sequisque in statu *degradationis*, ut ita dicam, esse videt ac sentit. Neque enim *talis* est Creatoris manu prodiit homo, sed talem ad statum per peccatum redactus est. Corpus creatum immortale, nunc mortale et corruptibile; cumque eo uteretur anima ut socio fideli ac sibi perfecte subjecto, nunc illud infidele, immo perfidum ac rebelle experitur; estque illud animæ vero quodam sensu *carcer*, quo constricta in suis operationibus spiritualibus plerumque impeditur; quin etiam *ergastulum* est seu talis carcer, in quo non modo impeditur, quominus libere operari possit, sed laboribus etiam ac pœnis affligitur. Unde illæ Sanctorum voces: *Quis me liberabit . . . ? Educ de custodia animam meam!* Præterea corpus simul et anima, homo totus, *inter bruta animalia*, non jam ut olim in paradiso, ubi inter ea versabatur quidem, at pleno in ea dominio ut Rex imperans; verum ut *exsul* in solo alieno, ob culpam suam *ejectus in exsilium*, *inter bruta animalia*, quibus non est intellectus, ver-

mam *meam* esse in *hoc* corpore corruptibili [tamquam] carcere [s. ergastulo] inclusam, et totum compositum in hac valle tamquam exsulans [ejectum in exsilium] inter bruta animalia. Dico totum compositum animæ et corporis [scilicet me totum].

Secundum [præambulum] est petere a Deo Domino nostro id, quod volo et desidero; petitio debet esse juxta subjectam materiam, scilicet si contemplatio est de Resurrectione, petere [oportet] gaudium cum Christo gaudente; si est de Passione, petere [oportet] dolorem, lacrimas et tormentum cum Christo tormentis affecto. Hic [in hac meditatione de peccatis] erit petere pudorem<sup>4)</sup> et

---

satur tamquam unum ex illis; *comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*. — Talis est anima *mea*, — tale est *hoc* meum corpus, — talis *ego* totus. — Vel solum hoc præambulum copiosa potest esse meditationis materia, in qua incipiat homo cognoscere seipsum, quis et qualis sit.

<sup>4)</sup> Petere jubemur in hoc Exercitio *pudorem* et *confusionem*. Et hic proprius est hujus Exercitii fructus. Incipienda conversio ab *humiliatione* sui, sicut *peccati initium superbia* est. — Ad hunc porro sensum pudoris, confusionis, humiliationis excitandum, — ad deprimendos sublimes superbiæ spi-

confusionem mei ipsius, videndo, quam multi damnati fuerint ob unicum peccatum mortale, et *quam sæpe ego meruerim damnari in æternum ob tam multa mea peccata.*

Ante omnes contemplationes vel meditationes debent *semper* fieri [supra dicta, scilicet] oratio præparatoria, quæ non mutatur [sed eadem fit semper], et duo dicta præambula, quæ identidem mutantur, juxta subjectam materiam.

Primum punctum erit *trahere* [applicare] memoriam<sup>5)</sup> super primum pecca-

ritus, — nihil sane opportunius, nihil efficacius quam hoc Exercitium, in quo, præmisso præambulo, de quo diximus, in punctis subsequentibus 1 et 3 infra dæmones et infra damnatos, quibus utrisque nihil miserabilius, nihil vilius aut despicabilius, abjicere se quisque peccator merito cogitur. Ipsa porro misericordia Dei, in nos major quam in illos, *pudoris* sensum ob commissa peccata nedum minuere sed augere in immensum debet, ut infra in colloquio.

<sup>5)</sup> *Trahere memoriam*, hisp. *traer* : *trahere*; item *ferre*, *portare*, *ducere*. — Placuit servare verbum *trahere*, ut intelligamus esse quodammodo *vim* inferendam memoriæ, intellectui, voluntati, ut serio applicentur. Vincenda enim est socordia naturalis et acedia illa, qua homo plerumque a seriis hujusmodi minimeque jucundis objectis contemplandis abhorret.



tum, quod fuit Angelorum, et deinde super idem intellectum *discurrendo*; deinde voluntatem volendo *totum illud* memorari et intelligere,<sup>6)</sup> ut *magis* erubescam et confundar, trahendo [ducendo] in comparisonem unius peccati Angelorum tam multa peccata mea, et [considerando] cum illi ob unum peccatum iverint in Infernum, quam sæpe ego hoc idem meruerim *ob tam multa*. — Dico trahere in memoriam peccatum Angelorum, [scilicet] quomodo, cum essent ipsi creati in gratia nolentes<sup>7)</sup> *se adjuvare* ope suæ libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori *ac Domino, devenientes in superbiam*, conversi fuerint ex gratia in malitiam et de Cœlo ad Infernum præcipitati; et ita consequenter discurrere magis in particulari per intellectum, et consequenter movendo magis affectus per voluntatem.

---

<sup>6)</sup> Observa S. P. mentem in hoc Exercitio iterum expressam.

<sup>7)</sup> *Nolentes se adjuvare ope suæ libertatis*. — Nota modum loquendi S. Patris. Creaturæ rationalis est *se ipsam juvare* libere cooperando gratiæ Divinæ. Etiam Angelis rebellibus nil defuit ex parte benignissimi et liberalissimi Creatoris, *ipsi sibi* defuerunt. — Ita quicumque peccat, quicumque perit, *culpa sua* peccat et perit, *nolens se adjuvare*.

Secundum [punctum erit] *idem facere*, id est *trahere* [applicare] tres potentias super peccatum Adæ et Evæ, trahendo [ducendo] in memoriam, quomodo ob illud peccatum tam diuturnam fecerint pœnitentiam, *et* quanta corruptio genus humanum invaserit, *tam multis* hominibus *ad [versus] Infernum euntibus.*<sup>8)</sup> — Dico trahere [ducere] in memoriam secundum peccatum [scilicet] nostrorum Parentum; quomodo, postquam Adam creatus esset in campo Damasceno et positus in Paradiso terrestri, et Eva formata esset de ejus costa, cum prohibiti essent, ne de fructu arboris scientiæ comederent, et ipsi comedentes et ita peccantes, dein vestiti tunicis pelliceis et e Paradiso expulsi vixerint sine justitia originali, quam perdiderant, totam vitam suam in multis laboribus [ærumnis] et multa pœnitentia;

<sup>8)</sup> *Tam multis hominibus ad (versus) Infernum euntibus:* id est, vitam ita ducuntibus, ut tandem in Infernum ruant. — Hæc in autographo ita cum præcedentibus cohærent, ut sequelam esse appareat illius *corruptionis, quæ genus humanum invasit* ob peccatum primorum parentum. — *Quot hominum millia ad Inferos deturbata sunt,* prout habet vulgata versio, potius ad tertium hujus meditationis punctum referendum videretur.

et consequenter discurrere per intellectum, *magis particulariter*<sup>9)</sup> utendo voluntate, ut dictum est.

Tertium [punctum erit] eodem modo idem facere circa tertium peccatum [id est] particulare *cujusvis*,<sup>10)</sup> qui ob unum peccatum mortale ivit ad Infernum, et multi alii sine numero [damnati sunt] ob pauciora peccata, quam [quæ] ego feci. — Dico idem facere circa tertium peccatum particulare, trahendo [ducendo] in memoriam gravitatem et malitiam peccati contra suum Creatorem ac Dominum

<sup>9)</sup> *Magis particulariter.* — In autographo habetur comma (,) post illa: *per intellectum*: ut adeo istud *magis particulariter* referri videatur ad applicationem voluntatis.

<sup>10)</sup> *Cujusvis.* — Nota, non dici a S. Patre, *multos* esse damnatos *ob unicum peccatum* mortale; sed *multos* omnino *sine numero ob peccata meis pauciora* et leviora. Neque mitigat S. P. hanc alteram propositionem suam illa restrictiva particula *forte*. Differt itaque vulgata versio duobus modis: scilicet, in prima suppositione exaggerat S. P. sensum; in secunda minuit: unde et exaggeratur divina severitas, præter S. P. dicta, supponendo *multitudinem* damnatorum *ob unum peccatum*, et minuitur sensus pudoris in meditante, dum non nisi *dubitanter* proponitur damnatio multorum ob peccata nostris pauciora.



[ab homine commissi]; discurrere intellectu, quomodo *in peccando* et agendo contra Bonitatem infinitam<sup>11)</sup> [homo talis] juste fuerit condemnatus in æternum; et concludere actibus voluntatis, ut dictum est.

Colloquium.<sup>12)</sup> Imaginando Christum Dominum nostrum præsentem et in cruce positum, colloquium [cum ipso] instituere [quærendo] *quomodo*, Creator cum esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit

<sup>11)</sup> *In peccando et agendo contra Bonitatem infinitam.* — *In peccando*, sive in ipso actu peccandi, si morte occupetur, damnari hominem, etiamsi *primum* illud et *unicum* ejus peccatum sit, quis miretur? Hac ratione a S. P. palpabilis redditur terribilis ista veritas. Ceterum sive actu peccetur, sive in eadem mala voluntate post commissum vel unicum peccatum perseveretur, eadem utique est ratio. Mori vero hominem ejusmodi in tam malo statu, etiam unico commisso peccato, sive naturali ratione sive violenta id accadat, nemo mirabitur; si reputet Deum utique non teneri mortis causas ab ejusmodi homine per miraculum avertere. *In quibus vos deprehendero, in iis et judicabo:* Domini verba sunt per traditionem servata. Apud S. Justinum M. in *Dialogo cum Tryphone*, et *Baronium sub A. D. 34.*

<sup>12)</sup> Etiam colloquium dirigitur ad sensum *pudoris et confusionis.*

et ab æterna vita [venerit] ad mortem temporalem et ita ad moriendum pro meis peccatis. *Itidem* [colloquium mecum ipso instituere] *inspiciendo me ipsum*,<sup>13)</sup> [percontari ex me] quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo. Atque ita videndo illum *talem* et ita fixum in cruce, discurrere per ea [sensa], quæ se obtulerint.

Colloquium fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur ad alterum vel servus ad dominum suum, modo petendo aliquam gratiam, modo incusando se ipsum mali alicujus commissi, modo com-

<sup>13)</sup> Notandus ex autographo quidam veluti ordo in Colloquio propositus: primum respicere *Christum crucifixum*, — inde *ad se ipsum* oculos reflectere: et ex *utraque* hac consideratione *in affectus* prorumpere, *confusionis* certe ac *puoris*, non tamen absque sensu intimo *humilis fiducia* de infinita Domini misericordia et *amoris* erga illum, cui soli debetur, quod *non sumus consumpti*. — Sensus iste de Domini misericordia, ut a S. Patre vel in argumentis maximo terrore plenis insinuatur, ita ab eo qui tradit Exercitia non est negligendus. — Idque ipsum Concionatores etiam meminisse summopere optandum est. — Vide notam ad colloquium de *Inferno infra*.

municando res suas [cogitationes suas, dubia sua, consilia sua, statum animæ suæ etc.], et petendo consilium in illis. Et dicatur [in fine] *Pater noster*.

### *SECUNDUM EXERCITIUM*

*est meditatio de peccatis, et continet in se post orationem præparatoriam et duo præambula quinque puncta et unum colloquium.*

Oratio præparatoria sit eadem.

Præambulum primum erit eadem compositio [ut in primo Exercitio].

Secundum [præambulum] est petere id quod volo [cupio]; erit hoc loco petere *magnum*<sup>14)</sup> et intensum dolorem et lacrimas de meis peccatis.

Primum punctum est processus [quidam] peccatorum, scilicet trahere [revo-care] in memoriam *omnia* peccata vitæ [meæ], inspiciendo [vitam] per annos singulos vel per singula tempora. Ad quod juvant tria: primum, inspicere locum et domum, ubi habitavi; secundum,

---

<sup>14)</sup> *Magnum et intensum dolorem.* — *Magnum*: vox hispanica *crecido* exprimit dolorem, qui *creverit* et usque *crescendo* *magnus* factus sit. — Nota, ut primi Exercitii *fructus* proprius erat *pudor* et *confusio*, ita hujus secundi esse *dolorem* et *contritionem*.



conversationem, quam habui cum aliis; tertium, officium, in quo vixi.<sup>15)</sup>

Secundum, *ponderare* peccata, inspicendo [considerando] *fœditatem* et *malitiam*, quam *quodvis peccatum mortale* commissum habet in se, etiamsi non esset prohibitum.<sup>16)</sup>

<sup>15)</sup> Hæc consideratio *omnium* simul peccatorum totius vitæ facile unumquemque meditantem convincet, *magnum* se esse *peccatorem*, ut infra in Additionibus dicitur. (Addit. 2, ubi vid. not.) Juverit distinguere *peccata*, *offensiones*, *negligentias*. (Vide ad examen particulare notam 1.) — Denique *via* vitæ nostræ apparebit nobis plena 1. *sordibus* peccatorum, 2. *luto* negligentiarum, 3. *pulvere* defectuum et imperfectionum; qui quidem *pulvis* rite considerantibus nobis, illuminatis oculis cordis, plane reperietur infinitus.

<sup>16)</sup> Intellige *ob inordinationem* et oppositionem, quam habent ad rectam rationem, etiamsi per impossibile, ubi de legis naturæ præceptis agitur, non existeret lex prohibens. Cogita v. g. blasphemiam, perjurium, calumniam, oppressionem innocentis, proditionem, seminationem discordiæ etc., singula utique turpissima, rectitudini naturali contraria, etiamsi neque lex prohibens nec pœnæ sanctio cogitetur. — Quin etiam peccata levia et imperfectiones *per se* vanitatis et stultitiæ et absurditatis plena reperientur, anima rationali et immortalis prorsus indigna, etiamsi neque lex statuta esset nec pœna.

Tertium, inspicere [considerare] quis [quantulus] sim ego, minuendo me ipsum per exempla: primo,<sup>17)</sup> quantulus sim ego in comparatione omnium hominum; *secundo*, quid sint homines in comparatione omnium Angelorum et Sanctorum Paradisi; *tertio*, inspicere [considerare], quid sint omnia creata in comparatione Dei; jam ego solus quid esse possim? *quarto*, inspicere [considerare] omnem meam corruptionem et foeditatem corpoream; *quinto*, inspicere [considerare] me [totum praesertim quoad animam] quasi ulcus quoddam et apostema, unde pullularunt tot peccata et tot nequitiae ac *venenum tam turpissimum*.

<sup>17)</sup> *Primo — secundo — tertio* etc. — Ita distinctius ex autographo notatur gradatio. — Ac primum quidem, quidquid est in me *boni*, plane evanescit et omnino videtur esse *nihil* per comparationem 1. ad ceteros homines omnes, 2. ad Angelos ac Beatos, 3. ad Deum. Dein notatur *malum*, quod in me est, multiplex ac turpissimum, scilicet 1. quidem ob *corruptionem* et *foeditatem corporis*, ex natura *peccato originali* vitiata, 2. ob foediorum in anima corruptionem tum per pravas passiones, omnis turpitudinis fontes, quasi foetida animae *ulcera*, tum per *tot peccata et tot nequitias* actu commissas, quae tandem venenosum me seu *pestilentem* verissime reddunt orbi universo.

Quartum, considerare, quis sit Deus, *contra quem peccavi*, secundum ejus attributa, comparando ea cum eorum contrariis [quæ sunt] in me: *ejus sapientiam cum mea ignorantia*,<sup>18)</sup> *ejus omnipotentiam cum mea debilitate*, *ejus justitiam cum mea iniquitate*, *ejus bonitatem cum mea malitia*.

Quintum, exclamatio admirative *cum ingenti affectu*,<sup>19)</sup> discurrendo per omnes creaturas, quomodo me passæ sint vivere et in vita conservaverint: Angeli, cum sint *gladius* divinæ justitiæ, quomodo me supportaverint et custodierint et oraverint pro me; Sancti, quomodo

<sup>18)</sup> *Ejus sapientiam cum mea ignorantia* etc. — Scilicet singula singulis opposita, ex ordine *consideranda* et *comparanda*.

<sup>19)</sup> *Cum ingenti affectu*. — Eadem hoc loco voce utitur S. P., qua in præludio 2. ubi *magnum* vertimus et notavimus significari affectum, qui *creverit* et *crescendo magnus, ingens, vehemens* factus sit. — Intelligi etiam potest metaphora desumpta ab *aquis crescentibus* et *intumescentibus*. Et vero, qui attente ac serio, quæ in præcedentibus punctis proposita sunt, in Dei conspectu consideraverit ac meditatus fuerit, vix fieri potest, quin affectum multiplicem horroris præsertim, confusionis, doloris *crecere*, et fontes *lacrimarum* saltem *internarum intumescere* in se sentiat.



*in eo fuerint*, ut intercederent et orarent pro me; et cœli; sol, luna, stellæ et elementa, fructus, aves, pisces et animalia [quomodo hæc omnia mihi serviverint, et non potius armata contra me insurrexerint]; et terra quomodo non se aperuerit, ut me absorberet, creando *novos* Infernos, ut in æternum in illis cruciarer.

Concludere colloquio misericordiæ,<sup>20)</sup> *ratiocinando* et gratias agendo Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque adhuc, proponendo in posterum emendationem *cum ejus gratia*. *Pater noster*.

### *TERTIUM EXERCITIUM*

*est repetitio primi et secundi Exercitii, faciendo tria colloquia.*

Post orationem præparatoriam et duo præambula erit repetere *primum et secundum Exercitium*,<sup>21)</sup> notando et mo-

<sup>20)</sup> Vide quæ de colloquio primi Exercitii diximus n. 13.

<sup>21)</sup> *Primum et secundum Exercitium*. — Scilicet ordine servato: non confuse aut facta per commixtionem una meditatione ex duabus præcedentibus, sed percurrendo ordine puncta, primo loco primi, deinde secundi Exercitii; ita tamen, ut non æque hæreatur in singulis punctis, sed pro ratione sensus vel affectus, quem senserit meditans, cum ea primum meditatus est.

ram faciendo in iis punctis, in quibus senserim majorem consolationem vel desolationem vel majorem sensum spiritua-lem. *Post quæ* faciam tria colloquia<sup>22)</sup> eo modo qui sequitur.

Primum colloquium ad Dominam nostram, ut *mihi* obtineat gratiam a suo Filio ac Domino *ad tria*: primo, ut sentiam internam cognitionem peccatorum meorum ac detestationem illorum; secundo, ut sentiam deordinationem operationum mearum, ut [eam] abhorrens me emendem meque [recte] ordinem; tertio, petere cognitionem *mundi*,<sup>23)</sup> ut

---

<sup>22)</sup> *POST QUÆ faciam tria colloquia.* — Sensus est: tria ista colloquia non ubicumque et quandocumque *motus spiritualis occurrerit* (quamquam etiam tunc ea usurpare non prohibemur); sed omnino *in fine* hujus Exercitii esse adhibenda: idque, sive motus spiritualis occurrat sive non occurrat. Neque enim colloquia omittenda sunt ob desolationem, immo vero in ariditate magis etiam illis insistendum est.

<sup>23)</sup> *Mundi.* — Non tantum *pravitas* mundi, sed et ejus *vanitas* et quidquid denique est *mundus*, ut *cognoscatur* a nobis et *abhorreatur*, optandum summopere ac petendum est. — Notatu valde digna gradatio in triplici hujus colloquii petitione. Postulatur enim distincte tum *cognitio* tum *detestatio*, 1. *peccatorum*, 2. *inordinationis* operationum

[illum] abhorrens, res mundanas ac vanas a me removeam. Ac dein semel *Ave Maria*.

Secundum itidem [colloquium fiat] ad Filium, ut [eamdem triplicem gratiam] obtineat mihi a Patre. Ac dein *Anima Christi*.

nostrarum, 3. *mundi* ejusque vanitatis. Tria hæc bene distinguenda. In secundo scilicet et tertio non tam de *peccatis* agitur, quam de peccatorum *occasionibus* et *causis*. Nam *inordinatio*, sive sit in totius vitæ proposito non recte ordinato ad finem, sive in actionum nostrarum serie non ordinate distributa, sive in singularum actionum modis, absque ordine et mensura debita ad finem, multorum peccatorum occasio et etiam causa esse solet. Itemque *mundus*, cujus *fascinatio nugacitatis obscurat bona*, et, quod multo magis horrendum, *quidquid in eo est, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitæ*; quæ omnia vitiosa sunt et fomenta vitiorum et peccatorum innumerabilium pariter et occasiones et radices. — Pro unoquoque ergo ex his tribus, circa quæ versatur colloquium, *duplex* gratia petenda: scilicet *illustrationis* pro intellectu, ut *cognoscamus*; *piæ motionis* pro voluntate, ut *abhorreamus* etc. S. P. istam *duplicem* gratiam petendam semper commemorat, quod nunquam satis id inculcari posse videatur.



Tertium itidem [colloquium fiat] ad Patrem, ut ipse Dominus æternus mihi illa concedat. Ac dein *Pater noster*.

### QUARTUM EXERCITIUM

*est resumendo ipsum hoc tertium.*

Dixi *resumendo*,<sup>24)</sup> ut intellectus absque divagatione discurrat assidue per reminiscentiam rerum, quas contemplatus est in Exercitiis præteritis, et faciendo eadem tria colloquia.

### QUINTUM EXERCITIUM

*est meditatio de Inferno. Continet in se post orationem præparatoriam et duo præambula quinque puncta et unum colloquium.*

Oratio præparatoria sit solita.

Primum præambulum, compositio, quæ hic est, videre visu imaginationis longitudinem, latitudinem et profunditatem Inferni.

<sup>24)</sup> *Resumendo*. — Nota, in autographo non dici hoc Exercitium *repetitionem*, sed faciendum esse *resumendo præcedentem repetitionem*. Quasi illud significetur, non jam esse iterum *repetendum primum et secundum Exercitium*, per omnia scilicet utrius-

Secundum, petere id quod volo [cupio]; erit hic, poscere intimum sensum pœnæ, quam patiuntur damnati, ut si [unquam] amoris *Domini æterni* oblitus fuero *ob meas culpas*,<sup>25)</sup> saltem timor pœnarum me *juvet*,<sup>26)</sup> *ne in peccatum deveniam*.

que puncta, prout in tertio factum est; sed potius *resumenda*, quæ potissimum in præcedenti repetitione animum commoverunt, ut eadem assidue memoria ac mentevolvendo, ac sine divagatione per ea discurrendo, altius ea animo infigamus, ac præsertim confusionem et dolorem de peccatis cum emendationis proposito magis ac magis confirmemus.

<sup>25)</sup> *Ob meas culpas*. — Ex autographo culpas veniales ac defectus intellige, qui divini amoris oblivionem inducere solent, et ad peccatum mortale viam parare, a quo summo malo petimus, ut timor nos pœnarum coerceat. — Notanda etiam ultima verba hujus præambuli, ubi *peccatum*, singulari numero, a Sancto Auctore positum est, scilicet *ne in ullum grave peccatum incidam*.

<sup>26)</sup> Fructus proprius intenditur, ut in posterum a peccato caveamus. — Ita totum conversionis negotium conficitur: *pudore*, qui in primo Exercitio; *dolore*, qui in secundo; firmo et efficaci *proposito* non peccandi de cetero, qui fructus hoc potissimum Exercitio quæritur.

Primum punctum erit videre visu imaginationis ingentes illos ignes et animas velut in corporibus igneis.

Secundum, audire auribus [imaginationis] planctus, ululatus, clamores, blasphemias contra Christum *Dominum nostrum* et contra *omnes* Sanctos ejus.

Tertium, olfacere, odoratu [imaginationis] fumum, sulphur, sentinam et res putridas.

Quartum, gustare gustu [imaginationis] res amaras, ut lacrimas, tristitiam et vermem conscientiae.

Quintum, tangere tactu [imaginationis], scilicet quomodo ignes illi tangunt et urunt animas.

Faciendo unum colloquium ad Christum Dominum nostrum, trahere [ducere] in memoriam animas, quæ sunt in Inferno: aliæ eo quod adventum [ejus] non crediderunt, aliæ [quod] credentes non operatæ sunt juxta ejus mandata; faciendo tres partes [id est, omnes illas animas distribuendo in tres ordines sive series, quarum] prima ante adventum [Domini perierit]; secunda vivente eo; tertia post ejus vitam in hoc mundo; et simul gra-



tias ei agere, quod non siverit me incidere in ullam ex istis [tribus], finiendo meam vitam.<sup>27)</sup> Item, quomodo usque adhuc *semper tanta* pietate et misericor-

<sup>27)</sup> Ex secundo præludio hæc meditatio de Inferno a S. P. N. eo dirigi videbatur, ut a peccando in posterum absterreamur, potius quam ut de commissis concipiatur dolor. Et revera argumenta ista terrifica non tam ad dolorem de peccatis excitandum valere per se solent, quam ad absterrendum, ne committantur. *Per se*, inquam. Valent enim etiam terrifica ista plurimum ad eliciendam contritionem etiam perfectam, si ita considerentur, ut inde occasione capta cogitemus, a quantis malis Divina pietas nos adhuc, licet extrema quæque promeritos, servarit; atque ita infinitam Dei in nos misericordiam æstimemus, admiremur, amemus. — Utinam omnibus concionatoribus et confessariis hæc animadversio semper præsto esset! Est enim vero hoc argumentum cordis humani dispositioni maxime conforme; idque ipsum est quod a S. P. N. usurpatum videmus in hoc colloquio post meditationem de Inferno itemque in utroque præcedenti Exercitio de peccatis. Nimirum nihil efficacius ad fructum, qui quæritur, obtinendum, quam Divinæ in nos misericordiæ consideratio, quæ quidem misericordia eo potentius sentiatur necesse est, quo altius descenderit animus in considerationem malorum, quæ peccato insunt et ex peccato consequuntur.

dia erga me usus sit. Finem imponam recitando semel *Pater noster*.<sup>28)</sup>

Primum Exercitium fiet media nocte; secundum statim ac [quis] mane surrexerit; tertium ante vel post Missam, in summa fiat [omnino] *ante prandi-*

<sup>28)</sup> Quæ præterea in vulgata versione leguntur hoc loco, declarationis gratia, ab interprete adjecta sunt. — Ceterum constat, et ipsum S. P. et ab eo edoctos Patres in prima hebdomada meditationes etiam de Morte, de Judicio etc. addere consuevisse. *Addere*, inquam, sive ut vulgata loquitur, *adjicere*; intelligitur scilicet proponi debere hæc argumenta de Morte etc. *post*, non *ante* quintum Exercitium supra positum. Id quod etiam ex Directorio manifestum est, cujus maxima nobis est et irrefragabilis auctoritas. Vid. Directorium, cap. XIV, n. 1, et XV, n. 4. — Spectandus vero in his semper triplex ille fructus, qui in colloquio tertii Exercitii (supra) postulandus describitur. Ac pœnæ quidem peccatorum ad *peccati cognitionem* ac *detestationem* generandam potissimum inserviunt; Mortis vero ac Judicii consideratio tum ad peccati detestationem tum præsertim ad *ordinandam recte vitam* et ad *mundum cognoscendum* et *abhorrendum* efficacissima est. — Optandum vero, ut quæ superaddentur Meditationes, ad unam aliquam ex tribus a S. P. propositis formis redigantur.

*um*;<sup>29)</sup> quartum hora Vesperarum; quintum una hora ante cœnam. Hanc horarum repetitionem [iterationem, alternationem], *plus minusve* semper intelligo [servandam] in omnibus quatuor hebdomadis, in quantum ætas, dispositio et complexio juvat eum, qui exercetur, ad facienda quinque Exercitia *vel pauciora*.

### ADDITIONES

*ad melius facienda Exercitia, et ad melius inveniendum id, quod desiderat [qui exercetur].*<sup>30)</sup>

Prima Additio est, post cubitum, quando *jamjam dormire volo*, per spatium unius Ave Maria cogitare de hora, qua surgere

---

<sup>29)</sup> *Ante prandium*. — Ita habet etiam antiquissima versio *ms.*; et hoc sensu verbum hispanicum *comer*, quod est in autographo, usurpari solet.

<sup>30)</sup> Additiones istæ, dici non potest, quanti momenti sint, non modo tempore Exercitiorum, sed omni tempore, si bene ac fructuose cupimus meditari et in via Domini progredi. Quare documenta ista reddere nobis usu quotidiano familiaria necesse est. Juvat porro Exercitiorum tempus, ut eorum habitum acquiramus tota deinceps vita servandum.



debeo, *et ad quid*, resumendo Exercitium, quod mihi faciendum est.

Secunda, quando *expergiscar*,<sup>31)</sup> non dando locum his vel illis cogitationibus, statim advertere [animum] ad id, quod sum contemplaturus in primo Exercitio mediæ noctis, trahendo [excitando] me ad confusionem<sup>32)</sup> *de tam multis meis peccatis*, proponendo [mihi] exempla; veluti si *eques*<sup>33)</sup> aliquis consisteret coram Rege suo et *universa* ejus curia pudore affectus et confusus, quod graviter offenderit eum, a quo primum multa dona et multos favores acceperat. Item in secundo Exercitio, reputando me ma-

<sup>31)</sup> *Expergiscar*. — Ex hisp. intellige *quandocumque et quotiescumque expergisci contingat*, interrupto scilicet somno, etiamsi tempus surgendi ad meditandum nondum advenerit.

<sup>32)</sup> *Ad confusionem*. — Omnino juxta scopum primi Exercitii de peccatis. Vid. n. 4. supra.

<sup>33)</sup> *Eques*: hisp. *caballero*, ital. *cavaliere*, gall. *chevalier*, quæ vox *militem* quidem significat, sed non tam gregarium, quam *nobilem*, sponte sua militantem, in quo major sensus ut honoris et æmulationis ita et confusionis ac pudoris.

gnum peccatorem<sup>34)</sup> et catenis vinctum, scilicet quod eam veluti ligatus catenis, compariturus coram summo Iudice æterno, proponendo [mihi] in exemplum quomodo [rei] *carceribus* detenti et catenis vincti *jam morte digni* compareant coram suo iudice temporali: et inter has

<sup>34)</sup> *Magnum peccatorem.* — Ad hunc affectum, qui in secundo Exercitio quæritur concipiendum, valde necessarium est, ut quisque de totius vitæ suæ peccatis ita cogitet, ac si nihil adhuc fecisset ad ea expianda. Quia, licet ea fortasse per pœnitentiam deleta jam sint, fortasse, inquam, id enim certo scire non possumus, hic tamen nos ipsos considerare debemus, quales ipsi per culpas nostras nos fecimus, non quales fortasse nunc sumus per gratiam Dei. Hoc enim ex misericordia Dei est, illud vero totum est nostrum: et quid nostrum sit quidque simul ex nobis, in hoc Exercitio meditandum nobis proponitur. Valet autem plurimum hæc consideratio, etiamsi quis nonnisi venialium peccatorum sibi conscius esset per totam vitam. Constat enim vel unicum veniale peccatum deliberato animo commissum ejusmodi esse, ob quod justissime Deus sese animæ subtraheret; quæ sibi relicta quo non præceps proueret? — Quid vero sentire par est eum, qui mortalia a se commissa recorderetur! — Si vel semel a recta via defleximus, quo non perventuri eramus, Domine, nisi *in viam tua reducti dextera* fuissetus!

cogitationes vestibus me induere vel inter alias [cogitationes] juxta subjectam materiam.

Tertia, uno vel duobus passibus ante locum, in quo contemplaturus sum vel meditaturus, *stabo* spatio unius Pater noster elevata sursum mente considerans, *quomodo Deus Dominus noster me respiciat*,<sup>35)</sup> et facere [oportebit] actum reverentiæ seu humiliationis.

Quarta, intrare in contemplationem, modo genuflexus, modo prostratus in

— *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, et glorificabo Nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me; et eruisti animam meam ex inferno inferiori* (Ps. 85).

<sup>35)</sup> Hic docemur actum *præsentiaæ Dei* omni orationi et meditationi præmittendum. In quo quidem non est, quod phantasia laboret, sed simplici actu *fidei* Dominum Deum nobis *præsentem* nosque et, quid agamus, *spectantem* apprehendamus et tantisper consideremus. In qua consideratione Majestas divina *reverentiam*, Bonitas et Misericordia *fiduciam* excitet necesse est; qui duo affectus, ut sunt optima ad orationem præparatio, ita eandem porro comitentur et quodammodo informant optandum et curandum est. DEUS . . . . ME *respicit*? Quis DEUS? Quis EGO?



terram, modo supinus, modo sedens, modo stans, intendendo semper ad quærendum id quod volo. [Qua in re] duo advertemus: primum est, si invenio id quod volo genuflexus, non pergam ultra [alium situm tentando]; et si prostratus, similiter, etc.; secundum, in puncto, in quo invenero id quod volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ulterius [ad aliud punctum], donec mihi satisfaciam.

Quinta, post finitum Exercitium per quartam horæ partem sive sedens, sive deambulans, dispiciam, quomodo mihi successerit in contemplatione seu meditatione; et si male, dispiciam causam, unde [hoc] procedat, et ita *inspecta* [causa] dolebo, ut me emendem in posterum; et si bene, gratias agam Deo Domino nostro, et altera vice eodem modo faciam.

Sexta, *nolle cogitare* de rebus jucundis ac lætis, ut de Gloria [Paradisi], Resurrectione etc.; quia ad sentiendam pœnam, dolorem et [ad] lacrimas de peccatis nostris impedit quævis consideratio gaudii et lætitiæ: sed *tenere ante me* [in hoc insistere] *velle me dolere et sentire pœnam*, trahendo [revocando] potius in memoriam Mortem et Judicium [et similia].

Septima, privare me omni [lucis] claritate ad eundem effectum, claudendo fenestras et januas tempore, quo fuero in cubiculo, nisi foret ad *recitandum* [officium divinum vel preces], ad legendum et cibum sumendum.

Octava, non ridere nec dicere quidquam, quod risum provocet.

Nona, refrenare oculos, [ne quem respiciam] nisi in excipiendo vel dimittendo eo, *cum quo locutus fuero* [vel loquendum mihi fuerit].

Decima Additio est pœnitentia, quæ dividitur in internam et externam: interna est dolere de peccatis suis cum firmo proposito non committendi eadem, nec alia quæcumque; externa seu fructus prioris est castigatio de peccatis commissis, et [hæc] præcipue assumitur tribus modis.

Primus est circa victum: scilicet quando tollimus [subtrahimus] superflua, non est pœnitentia sed temperantia; pœnitentia est, quando de convenienti subtrahimus, et quo *plus atque plus* [subtrahimus], eo *major et melior* [est pœnitentia], dummodo non corrumpatur [vitiatur] subjectum [s. natura], nec sequatur infirmitas notabilis.

Secundus circa modum somni: et [hic] similiter non est pœnitentia tollere su-

perflua rerum delicatarum seu mollium, sed est pœnitentia, quando in modo [somni capiendi] subtrahitur de convenienti, et quo *plus atque plus* [subtrahitur], eo *melius*, dummodo non corrumpatur subjectum, nec sequatur infirmitas notabilis. Neque etiam subtrahatur de somno convenienti, nisi forte [quis] habeat consuetudinem vitiosam dormiendi nimium, ut perveniat ad medium [s. ad moderatam somni mensuram].

Tertius, castigare carnem, scilicet inferendo illi dolorem sensibilem, qui infligitur portando cilicia vel funes vel vectes ferreos *super carnes*, flagellando seipsum vel vulnerando, et aliis asperitatum modis. Quod videtur *commodius ac securius* pœnitentiæ [genus, illud] est, ut dolor sit sensibilis in carnibus, et non penetret in ossa, *ita ut inferat dolorem, et non infirmitatem*. Quapropter videtur esse convenientius flagellare se funibus minutis, qui inferunt dolorem exterius, *quam alio modo*, qui producat interius infirmitatem notabilem.

Primum notandum est, quod pœnitentiæ externæ præcipue<sup>36)</sup> fiunt ad tres effectus

<sup>36)</sup> *Præcipue*. — Possunt enim et alii fructus seu effectus intendi; sed hi tres præci-



[obtinendos]: primo, ad satisfactionem de peccatis præteritis; secundo, ad vincendum seipsum, scilicet ut sensualitas obediatur rationi, et *omnes* partes inferiores sint magis subjectæ superioribus; tertio, ad quærendam et inveniendam aliquam gratiam seu donum, quod homo vult ac desiderat [obtinere a Domino]; ut si desiderat habere internam contritionem de suis peccatis vel flere multum de illis vel de pœnis ac doloribus, quos Christus

---

pui sunt, et alii particulares ad unum ex his tribus facile possunt revocari. — Omnes *partes inferiores* — est enim corporis castigatio utilis ad *omnium* cujuscumque generis passionum repressionem. — *Magis subjectæ* — nam plena subjectio vix ac ne vix quidem speranda communiter in hac mortali vita. — Ceterum triplex hic externæ pœnitentiæ fructus ejusmodi est, ut ex eo pateat, hominem profectui suo deditum nullo non tempore aliquid pœnitentiæ exercere debere; cum tres illæ necessitates vel omnes semper nos urgeant, vel aliqua certe ex illis nunquam non adsit. Est itaque hujus doctrinæ usus non Exercitiorum tempore tantum, sed in omnem vitam; id quod et de aliis plerisque libri hujus documentis aut præceptis æstimandum est. Errant enimvero qui putent harum Additionum ceterorumque, quæ in libro traduntur, usum ad solum tempus Exercitiorum pertinere.

Dominus noster sustinebat in Passione sua, vel ad [obtinendam] solutionem alicujus dubitationis, in qua homo ver-  
setur.

Secundum notandum est, quod prima et secunda Additio fieri debeant pro Ex-  
ercitiis mediæ noctis et sub auroram, et  
non pro iis, quæ fient aliis temporibus;  
et quarta Additio nunquam fiet *in Eccle-  
sia coram aliis* sed tantum in occulto  
*ut domi etc.*

Tertium [notandum est], quando ille,  
qui se exercet, *nondum* invenit id quod  
desiderat, ut lacrimas, consolationes  
etc., *sæpe* prodest mutationem facere in  
victu, in somno et in aliis modis agendi  
pœnitentiam, ita ut nos mutemus, fa-  
ciendo per duos vel tres dies pœniten-  
tiam, et per alios duos vel tres non,  
quia aliquibus convenit facere plus pœ-  
nitentiæ, et aliis minus; et etiam quia  
*sæpe* omittimus facere pœnitentiam ob  
amorem sensualem et ob iudicium erro-  
neum [erronee iudicando], quod subiec-  
tum humanum non poterit sustinere [eam]  
absque notabili infirmitate; et aliquando  
e contrario facimus nimium [pœniten-  
tiæ], putando quod corpus possit susti-  
nere: et cum Deus Dominus noster in-  
finites melius cognoscat nostram natu-

ram, sæpe in hujusmodi mutationibus dat unicuique sentire, quid ipsi conveniat.

Quartum, Examen particulare fiat ad tollendos *defectus* et negligentias circa Exercitia et Additiones; et ita in secunda, tertia et quarta hebdomada.





Vidi per somnium quasi




solem et lunam. Gen. 37. 9.



Regina Saba dedit regi cen-



tum viginti tal. III. Reg. 10.



## [SECUNDA HEBDOMADA.]



*Vocatio Regis temporalis, [quæ] juvat ad contemplandam vitam Regis æternalis.<sup>1)</sup>*

Oratio præparatoria sit consueta.

Primum præambulum est compositio, videndo locum. Erit hic videre visu imaginationis synagogas, oppida et castella, per quæ Christus Dominus noster prædicabat.

Secundum, poscere gratiam quam volo [cupio]. Erit hic, petere gratiam a Do-

---

<sup>1)</sup> Titulus ejusmodi est, ut indicet sequentem contemplationem esse *præparationis* loco ad contemplandam Christi *vitam*, quæ argumentum est secundæ ac tertiæ hebdomadæ. — Notandum etiam, hoc loco non haberi in autographo inscriptionem: *Secunda hebdomada*. Infra vero vide titulum de Incarnatione, ubi dicitur: *Primus dies* etc.



*mino nostro, ut ne sim surdus ad ejus vocationem, sed promptus ac diligens ad explendam ejus sanctissimam voluntatem.*

Primum punctum est, proponere mihi ob oculos<sup>2)</sup> Regem *quemdam* humanum

<sup>2)</sup> *Regem quemdam humanum ab ipso Domino nostro electum.* — Ut hæc similitudo viam apte sternat ad contemplationem Regis Christi, summi momenti est, Regem hunc, humanum licet, considerare tamen omnino *divinitus* electum, — ut expresse monet S. P.; itemque, quod S. P. quidem non exprimit, sed intelligendum relinquit, juvabit cogitare Regem *divinitus* expeditionem illam suam parare, *divinitus* etiam certum esse de victoria obtinenda, et ita quidem obtinenda, ut etiam inter annonæ inopiam, inter itinerum ac præliorum ærumnas, labores, pericula et inter ipsa etiam vulnera, ita *divinitus* serventur omnes sui, ut ne unus quidem vitam amittat; quo vere *omnes*, quotquot ipsum sequuntur, *victoriæ* participes fiant, prout in secundo puncto promittitur. Cum vero, etiam absque hujusmodi certitudine de victoria, vel sola spes dubia incredibiliter excitare militum animos soleat; quem, quæso, sensum in nobis excitare debent omnia illa, quæ diximus, in humanis quidem nova et inaudita, quæque nonnisi per miraculum fieri posse intelligimus, at quæ in Rege Christo sequendo ita se habent omnino et cumulatissime?



ab ipso Deo Domino nostro electum, cui reverentiam exhibent et *obediunt* omnes Principes et omnes homines Christiani.

Secundum, attendere quomodo iste Rex loquatur ad omnes suos dicens: Mea voluntas est subicere universam terram infidelium; proinde, qui voluerit mecum venire, debet *contentus* esse cibo, quo ego [utar], itemque potu et vestitu etc. Similiter debet laborare ut ego *interdiu*, et vigilare *noctu*, etc. ut *ita* dein particeps *mecum* fiat victoriæ, sicut fuerit laborum.

Tertium, considerare quid debeant respondere boni subditi Regi *tam* liberali ac *tam* humano; et per consequens, si quis non acceptaret petitionem *talis* Regis, quantopere dignus esset qui vituperaretur ab universo mundo et perversus [ignavus] haberetur eques<sup>3)</sup> [s. miles].

Secunda pars hujus Exercitii consistit in<sup>4)</sup> *applicando* supradictum exemplum

<sup>3)</sup> *Eques (miles)*. — In autographo: *caballero*. Non tam de gregario milite sermo est, quam de nobili, qui militiam sequatur; id quod ad majorem honoris et æmulationis sensum valet plurimum. Vide not. in Additionibus I. hebdomadæ, Addit. 2, n. 33.

<sup>4)</sup> *Applicando . . . . exemplum Regis temporalis*. — Applicatio hæc studiose facienda

Regis *temporalis* ad Christum Dominum *nostrum* secundum dicta illa tria puncta.

Et quantum ad primum punctum, si talem vocationem Regis *temporalis* ad suos subditos *consideramus* [s. consideratione, attentione dignam existimamus], quanto magis res est digna *consideratione*, *videre* Christum *Dominum nostrum*, Regem æternum, et *coram illo* universum mundum, *quem* ille [totum] et *unumquemque* [hominum] *in particulari* vocat et dicit: Mea voluntas est subjicere totum mundum et omnes hostes, et sic intrare in gloriam Patris mei; proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, *ut sequens me in pœna* [in laboribus] *etiam sequatur me in gloria*.

Secundum, considerare quod omnes, qui habuerint iudicium et rationem [sanam], offerent se totos ad laborem.

---

per omnes partes suas conferendo Regem cum Rege, expeditionem cum expeditione, hostes cum hostibus, labores cum laboribus, prælia cum præliis, victoriam cum victoria, triumphum cum triumpho. Et vero hic omnia tanto majora, quanto divina humanis, æterna temporalibus præstant: discrimen scilicet infinitum.

Tertium, ii qui *magis affici*<sup>5)</sup> [majori affectu esse] volent [erga Christum Re-

<sup>5)</sup> *li qui magis affici* etc. — Hic, velim, singula verba diligenter ponderentur, ut sensus S. P. N., qui in vulgata versione minus clare elucet, ex autographo plenius intelligatur.

*Totum se offerre* Christo est omnium illorum, qui modo sint sanæ mentis, ut in secundo puncto dictum est. In hoc vero puncto tertio de iis agitur, qui *velint majori affectu* Christum sequi et *insignes esse* (hisp. *se señalar*, ital. *segnalarsi*, gall. *se signaler*), eminere, excellere in Christi Domini ac Regis servitio. Horum itaque erit, offerre se ad plura et majora, quam ea, quæ Christi servitium necessario ab omnibus, qui modo sint sanæ mentis, requirit. Porro ad hæc plura, majora, præclariora offerenda ii, qui volent, se disponent *agendo contra suam propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum*. Scilicet non solum pugnando contra *rebellionem carnis, sensuum amorisque proprii et mundani* (nam contra *rebellionem* hanc pugnare omnibus Christum sequentibus, omnibus, qui modo sint sanæ mentis, necessario commune est), sed *agendo contra*, impugnando sensualitatis et amoris proprii ac mundani inclinationes etiam in rebus alioqui licitis, etiam ubi nulla *rebellio* appareat, atque adeo ex supererogatione. Ubi notatu dignum est, *agere contra* multo plus significare, quam



gem] et *insignes se exhibere* in omni

*resistere*. *Resistendo* enim solummodo nos ipsos ab hostium impetu defendimus; *agendo contra*, hostes ipsi impetimus, ut eorum frangamus vires; nec salutem solum et incolumitatem nostram consulimus, sed etiam securitatem, quantum fieri potest, adipiscimur, hoste debilitato et fracto, ne porro insurgere audeat.

Aliquid in hoc tertio puncto proponitur, quod in similitudine Regis terreni expressum a S. P. non fuit, sed relictum considerationi ipsius meditantis, in illis verbis generalibus: *quid debeant respondere boni subditi*. Et quidem proprie loquendo in hac secunda Exercitii parte, seu applicatione similitudinis, primum punctum jam respondet primo simul et secundo puncto similitudinis de Rege terreno; tertio vero puncto similitudinis respondet punctum secundum hujus applicationis ad Christum. Hoc igitur tertium applicationis punctum aliquid superaddit, nempe *præclariora munera offerenda*, non quidem ab omnibus, sed ab iis, qui communi servitio non contenti *insignes esse velint* in Regis sui sequela.

Et in parabola quidem Regis terreni *præclariora* hujusmodi *munera* forent v. g. si quis non modo vocanti ad expeditionem illam bellicam obtemperaret, Regem sequeretur: sed et familiam suam omnem et omnes facultates suas et opes in illius expeditionis subsidium offerret, et ipse quovis gradu et officio laboriosissimo ac periculosissimo con-

servitio sui *Regis æterni ac Domini uni-*

tentus militaret, immo vero laboriosissima quæque ac periculosissima unice expeteret: tantum ut *tali* Regi se probaret et victoriæ, quæ *certa* in hac parabola supponitur, copiosiore partem consequeretur. Quæ quidem omnia meditantis considerationi merito relicta sunt; quod ex hypothesis *talis* Regis, *talibus conditionibus* vocantis, sponte sua nemo *bonus subditus* non ita se affectum sentiret.

Jam vero in applicatione, id est, in sequela Christi Regis nostri, *præclariora munera* sunt ea, quæ in colloquio offeruntur, quæ ut serio offerantur et ex animo, necessaria est mortificatio absoluta sensualitatis et amoris proprii ac mundani; idque non solum in iis, in quibus *rebellio* carnis, sensuum, amoris proprii ac mundani cerneretur; in his enim sese mortificare commune est omnibus, *qui modo sint sanæ mentis*; sed etiam in iis, in quibus per se *rebellio* nulla foret, id est, in rebus alioqui licitis. — Atque hæc est illa *major sui abnegatio et continua in rebus omnibus mortificatio*, quam *quærere in Domino* admonemur (Summarii Reg. 12), ut *ad pretiosum illum in vita spirituali gradum* (Reg. 11) perveniamus, ad quem in colloquio hujus contemplationis provocamur, *si velimus* in Christi servitio ac sequela *insignes esse*.

Ex dictis patet, quantum hæc contemplatio de Regno Christi, quæ veluti alterum

*versalis*, non solum offerent se totos ad laborem, sed etiam *agendo contra* suam

est Exercitiorum spiritualium Fundamentum, quantum, inquam, hæc superaddat ad ea, quæ ex primo et universali Fundamento consequuntur. Ibi enim terminus, in quo sistitur, est *indifferentia* ad quævis, sive grata naturæ sive ingrata. Hic autem est major inclinatio ad omnia, quæ naturæ contraria sint. Et vero, cui datum fuerit *didicisse Christum*, ut loquitur Apostolus, is facile sentiet, quodammodo nefas esse sibi in sola indifferentia illa consistere. Videns enim regem suum *paupertatem* elegisse et *contemptum*, quomodo solum indifferens erit ad *divitias* et *honores*, et non potius ad contraria omnino, tanti Regis imitandi studio, rapi se desiderio sentiet? Erit itaque illa indifferentia eorum, *qui saltem sanæ mentis sint*, erit hominis cujusque ratione utentis ac sana se ratione gubernantis: at hæc majora sectatorum Christi sunt, eorum saltem, qui in hujus Regis sequela ac servitio *insignes esse velint*.

Ceterum *velle ita insignes esse* in sequela ac servitio Christi Regis, quorumnam, quæso, erit, si nostrum non est, Patres ac Fratres carissimi? Utinam hæc intelligamus neque intelligamus tantum, sed et serio et strenue et constanter tales esse contendamus! Ita quidem certe Patres nostri. — Atque hic est proprius hujus contemplationis scopus, ut ad Regnum hoc Christi in nobis ipsis constituendum per verum desiderium sequendi ipsum excitemur.



propriam sensualitatem<sup>6)</sup> et contra suum amorem carnalem et mundanum, oblatio-

<sup>6)</sup> *Sensualitatem etc.* — Cum *hostes*, quos *omnes* subicere se velle Rex noster ait in primo puncto, sint noti illi tres: *dæmon*, *caro* et *mundus*, quid est, quod tandem pugna reducatur adversus *sensualitatem* et *amorem carnalem* et *mundanum*, quæ omnia in nobis ipsis sunt: de *dæmone*, de *mundo* ne mentio quidem fiat? — Scilicet ut *Regnum Dei intra nos*, ita inimicus præcipuus *intra nos* est, qui si debellatus, si domitus fuerit, nec *dæmon* nec *mundus* magnopere nocere poterunt.

Porro *sensualitatem* intelligo *sensuum* oblectamenta et libertatem etiam non prohibitam oculorum, aurium, gustus, odoratus, tactus, — linguæ etiam: — *amorem carnalem* intelligo amorem *commodorum corporis* generatim, item *sanitatis* et *vitæ* amorem, — amorem etiam *parentum*, *amicorum* et aliorum, non pure spiritualem, quamvis non illicitum; *amorem mundanum* intelligo rerum, quæ *mundus amat*, scilicet divitiarum, honorum, vanæ gloriæ, pomparum etc. — Posset etiam *sensualitas* intelligi in primis de omnibus generatim, quæ *sensui* naturæ, sive *externe* sive *interne* blandiuntur, cujus dein *sensualitatis* partes censeantur *amor carnalis*, qui sensus externos et corporis commoda respiciat, et *amor mundanus*, qui vanitati et superbiæ serviat. — Contra hosce *hostes internos* agere, etiam in iis, in quibus

nes facient majoris æstimationis et majoris momenti *dicentes*:

O æterne Domine rerum omnium, ego *facio meam oblationem* cum tuo favore et auxilio coram infinita Bonitate tua et in conspectu gloriosæ Matris tuæ et omnium *Sanctorum et Sanctarum* Curiaë cœlestis, [attestans] quod ego volo et desidero, et mea [hæc] est determinatio deliberata, <sup>7)</sup> dummodo sit majus servitium

peccatum non cernatur, proprium est eorum, qui erga Christum Regem magis affecti insignes esse volunt in ejus sequela.

Ceterum nisi in *licitis* domemus istos inimicos, ipsi nos in *illicita* facile pertrahent accedentibus etiam *dæmone* et *mundo*, primum *fraude* deinde etiam *aperta vi*.

<sup>7)</sup> *Dummodo etc.* — Ista conditio: *dummodo etc.*, ut et infra: *si etc.*, eo pertinet, ut intelligatur, exprimi in hoc colloquio solam voluntatis promptitudinem, solum *desiderium*; est enim *oblatio* sui, qua quidem homo non solum se resignat ad omnia dura perferenda cum Christo, sed actu perferre illa omnia *desiderat*. Ultra tamen desiderium et hoc conditionatum non pergit; quia nondum censetur cognovisse statum vitæ, ad quem Deus ipsum vocare dignetur. — In iis vero, qui statum habent in Religione, in Societate, conditio hic apposita locum non habet, nisi in quantum pertinet ad dura illa *actu per-*

tuum et [major] laus tua, imitari te in ferendis omnibus injuriis *et omni vituperio et omni paupertate tam actuali quam spirituali*, si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum.

Hoc Exercitium fiet bis in die; scilicet

ferenda, in quo semper vel a divinæ Providentiæ dispositione vel ab alia voluntatis Ejusdem manifestatione pendere unumquemque necesse est; unde etiam dicitur: *in ferendis, non in quærendis. Desiderium* vero, in nobis quidem Religiosis Societatis, esse decet absolutum et ardens, id quod vocatio nostra, status noster a nobis omnino postulat, cum sine eo vix ac ne vix quidem serio Christum sequi censendi simus ex mente S. P. N. (Const. Ex. Gen. c. 4 n. 44; Reg. Summ. 11.): *Qui SERIO, inquit, Christum sequuntur, amant et ardentè exoptant etc.*, quasi eos dicat nonnisi fecte sive, ut aiunt, *pro forma* Christum sequi in hac nostra vocatione, qui sanctum hoc desiderium non foveant. Addit tamen S. P. pro illa discretionē, quæ illi maxime propria est, quod si quis *propter humanam nostram debilitatem ac miseriam hujusmodi tam inflammata desideria non sentiat*, debere eum certe *optare ea animo concipere*. (Const. Ex. Gen. c. 4 n. 45.) Et huc referri solet illud Davidicum: *CONCUPIVIT anima mea DESIDERARE justificationes tuas*. (Ps. 118.)



mane, cum [quis] surrexerit, et hora una ante prandium vel cœnam.<sup>8)</sup>

Pro secunda hebdomada et ita deinceps, *valde* prodest legere subinde [aliquid] *ex libris de Imitatione Christi vel Evangeliorum*<sup>9)</sup> et Vitarum Sanctorum.

### *PRIMA DIES ET PRIMA CONTEMPLATIO*

*est de Incarnatione et continet in se orationem præparatoriam, tria præambula et tria puncta et unum colloquium.*

Solita oratio præparatoria.

Primum præambulum est, adducere [in mentem] historiam ejus rei, quam con-

<sup>8)</sup> Hæc nota S. P. etiam indicat Contemplationem hanc die intermedio inter primam et secundam Hebdomadam esse faciendam, extra seriem secundæ Hebdomadæ, cujus scilicet non tam pars est censenda quam Fundamentum.

<sup>9)</sup> *Ex libris de Imitatione Christi vel Evangeliorum.* — Notandum, primo loco poni lectionem aliquam ex libris de Imitatione Christi; hæc enim planior, facilior, neque talis, quæ mentem avertere a præcipuo contemplationum argumento possit, sed potius ad practicas conclusiones inter meditandum conceptas magis confirmandas aptissima est. *Tó, etc.*, quod additur in versione vulgata, abest in autographo, nec enim pro lubitu variandi sunt libri, etiam pii, inter Exercitia legendi.

templari debeo, quæ hic est: quomodo tres divinæ Personæ speculabantur totam planitiem vel ambitum totius mundi plenum hominibus; et quomodo *videndo, quod* omnes descendebant ad Infernum, decernitur [a sanctissima Trinitate] in sua æternitate, ut secunda Persona homo fiat ad salvandum genus humanum: atque ita, ubi venit plenitudo temporum, mittendo Angelum S. Gabrielem ad Dominam nostram.<sup>10)</sup> Infra [inter Mysteria Vitæ Jesu Christi Domini nostri].

<sup>10)</sup> Cum S. P. pro hoc Exercitio remittat hoc loco ad ea puncta, quæ habentur infra, scil. in serie Mysteriorum Vitæ J. C. D. N., quæri potest, cur ergo ponat mox, et in hoc ipso Exercitio et in sequenti de Nativitate, tria illa puncta, quorum primum *personas*, secundum earum *verba*, tertium *actiones* contemplandas docet? Huic quæstioni respondet Directorium cap. XIX. §§ 5 et 6, ac modum tradit, quo vel rudis quisque, modo bonæ voluntatis sit, vitam J. C. meditari facilitate maxima nec minore fructu poterit. „Quod in meditatione, inquit, Incarnationis „et Nativitatis dicitur de contemplandis personis et earum verbis et operibus, intelligi „debet referendo ad illam, quam diximus, „distributionem, quæ in fine libri ponitur, „nempe cogitando hæc in singulis punctis, „ut occurrunt ordine suo; non autem quod „necessarium sit omnes prius personas totius

Secundum, compositio videndo locum. Hic erit videre magnam capacitatem et ambitum mundi, ubi habitant tam multæ ac tam diversæ gentes. Similiter deinceps [videre] in particulari domum et cubicula Dominæ nostræ, in civitate Nazareth in provincia Galilææ.

„mysterii, deinde omnia verba ejusdem ac demum opera separatim meditari; hoc enim præsertim in quibusdam meditationibus pareret confusionem. Quare hoc tantum voluit B. P. Ignatius regulam dare in singulis punctis, quo meditantis intentio ferri debeat: primum quidem in ipsas personas, quæ in illo puncto occurrant, tum ad verba, si prius verba, vel ad facta, si prius occurrant facta. Et ita absoluto uno puncto transeat ad aliud eundem ordinem in eo servando.“ Et addit § 7: „Ceterum etsi hic tantum mentio fit de his tribus, non tamen prohibetur, quin possint etiam addi alia puncta, ut v. g. cogitationes et affectus personarum interiores, tum etiam virtutes et præterea modus et finis mysteriorum, quæ occurrunt, causa item et effectus, tempus et reliquæ circumstantiæ, ut foecundior sit meditatio, et major ejus fructus.“ Ergo quæ S. P. mox subjicit puncta, personarum, verborum et operum, non tam ordinem in meditatione servandum exprimunt quam materiam, circa quam versari meditatio debet.



Tertium, petere id quod volo. Erit hic petere cognitionem intimam Domini, *qui* pro me factus est homo; ut magis ipsum amem, eumque [magis] sequar.<sup>11)</sup>

Convenit hic notare, quod eadem hæc oratio præparatoria sine mutatione, ut dictum est in principio, et eadem tria præambula facienda sint in hac hebdomada et in ceteris subsequentibus, mutando formam [præambulorum] juxta subjectam materiam.

Primum punctum est, videre personas, unas et alteras [successive], et primo eas [quæ sunt] super faciem terræ *in tanta diversitate*,<sup>12)</sup> ita in vestibus [ha-

<sup>11)</sup> Notandum diligenter, quæ sit *duplex gratia*, quam in hoc tertio præambulo postulare docemur. Est enim hæc eadem petitio præscripta pro omnibus mysteriis secundæ hujus hebdomadæ, scilicet, ut intime *cognoscamus* Dominum Jesum et magis Ipsum *amemus* et *imitemur*. *Cognitio enim intima Jesu Christi Ejusque amor et imitatio* proprius est totius hebdomadæ scopus isque fructus in omnibus his mysteriis quærendus.

<sup>12)</sup> *In tanta diversitate*. — Nemo hanc tantæ varietatis enumerationem otiose positam a S. P. N. existimet, aut imaginationi solum juvandæ inservire; sed, ut in tam diversis hominum generibus, *alborum, nigrorum etc.*, unam eandemque humanam naturam contemplantes et omnes ad eundem finem

bitibus] ut in gestibus [et vultibus: homines]; alios albos et alios nigros; alios in pace et alios in bello; alios plorantes

creatos, et Filium Dei pro omnibus hominem factum etc., zelo etiam nos *universali* accendamus ad juvandos sine discrimine omnes. — In *pacis* item ac *belli*, in *risus* et *fletus* etc. commemoratione humanæ vitæ vicissitudines et pravorum affectuum amarus fructus et peccati tristissimos in humano genere effectus, mortalium denique miseras oculis veluti objectas conspiciamus; ut quanta fuerit quamque necessaria piissimi Redemptoris misericordia, magis intime sentiamus. Fusius a S. P. in his punctis hominum, quales forent sine Redemptionis beneficio qualesque etiam nunc per summam pravitatem nimis heu! multi sunt, *personæ*, *verba*, *opera*, contemplanda proponuntur, ut ex mali magnitudine Redemptionis beneficium magis eluceat, ejus augeatur æstimatio, et animus ad amorem Redemptoris magis magisque exardescat. Quæ quidem consideratio pravitatis ac miseræ generis humani nisi a S. P. hoc loco tamque enucleate poneretur, eam ex punctis in fine libelli positis pauci fortasse vel vix paucissimi eruisent. Pertinebit autem certe hæc consideratio ad primum punctum Mysterii; prout in fine libri proponitur, in quo dum Angelum a Deo missum contemplamur reflexione facta ad causam, cur mittatur, sponte ad redemptionis beneficium, quod *mundo* seu humano generi *tali*

et alios ridentes; alios sanos et alios infirmos; alios nascentes et alios morientes, etc.

(cujus tales sunt *personæ*, talia *verba*, talia *opera*), confertur, mentem delabi pronum est; v. g.

*Mundus — homines* — „Omnes unius patris filii — patris nobilissimi quondam, sed „qui ob prævaricationem suam gradu suo „dejectus filios genuit omnes *degradatos* — „heu quales! — Quid, si non fuisset con- „cessus Redemptor?

„Redemptio quidem jam inde ab exordio „mundi promissa — nihilominus in hominibus „brevis oblivio Dei; — pœnæ divinæ — di- „luvii — ignis — oblivioni datæ; — familia „una electa, in qua divinæ promissionis me- „moriam servaretur, ex hac populus electus; „— at hic ipse *qualis* demum lapsu tem- „poris! — Quin etiam nunc, post completum „opus Redemptionis, *quales* homines!

„*Alii in bello* — furor, crudelitas; alii *in* „*pace* — otium, luxus, libido, — mala ex „saturitate panis; alii *plorantes*, — hi longe „plurimi — at plerique sine merito et propter „malitiam suam sine remedio; alii *ridentes* „— vanis gaudiis vel etiam turpibus, libidi- „num, spectaculorum, chorearum, comessa- „tionum et ebrietatum — et horum omnium „gaudiorum *extrema luctus occupat*; alii „*nascentes* — in miseriis et fletu; alii *mo-* „*rientes* — in angustia et doloribus et de- „speratione; inter hos *viventes* medii inter



Secundo, videre et considerare tres Personas divinas veluti in suo solio regali *sive throno suæ divinæ Majestatis*, quomodo intuentur universam faciem et ambitum terræ et omnes gentes<sup>13)</sup> *in tanta cæcitate*, et [vident] quomodo moriantur et descendant ad Infernum.

„utrosque, immemores *principii sui et finis*  
 „sui — toti in explendis cupiditatibus suis.  
 „— Tales homines per universum mundum,  
 „cæci, insani, ruentes in interitum — et inter  
 „hos *ego cum cæcis cæcus, insaniens cum*  
 „insanientibus, — nisi misericordia Redemp-  
 „toris!“

Ceterum ista consideratio de humani generis pravitate et miseria tantæ est utilitatis, ut si vel tota hora hujus Exercitii in hoc solo puncto nobis effluat, nequaquam sit, cur operæ hujus ac temporis nos pœniteat.

<sup>13)</sup> *Omnes gentes.* — *Omnes* omnino et *singulos homines* in tanta cæcitate viventes et ad infernum ruentes, *omnes* cernere dicitur Deus, — plane *omnes* et *singulos*. Quia considerantur hoc loco homines, quales essent qualesque futuri fuissent in vita et in morte et post mortem in æternum, nisi Redemptor fuisset concessus. Adhuc enim genus humanum cernitur abstractione facta a beneficio Redemptionis.

*Tertio, videre Dominam nostram*<sup>14)</sup> et Angelum,<sup>15)</sup> qui illam salutatur; et reflectere,<sup>16)</sup> ut fructum capiam ex tali aspectu.

<sup>14)</sup> *Dominam nostram.* — Quæ sola sine exemplo placuit Deo, ignota licet mundo et pauper et in paupere domo, in ignobili oppido ignobilis provinciæ Galilææ, inter populum mundo despectum commorans ac pauperi fabro desponsata. — Quam vero venerabilis nobis, quæ sic salutatur ab Angelo, quam imo Deus omnipotens sic honorat! Quid unquam obsequii et honoris præstari potest Virgini a nobis mortalibus, quod huic tanto honori a Deo eidem impenso comparatur? — Ipsa quidem tantis laudibus suis auditis turbatur — (non legitur turbata fuisse, cum durius compellaretur). — Sed . . . *Ne timeas, Maria! Invenisti enim gratiam apud Deum.* O felix Maria!

<sup>15)</sup> *Angelum* — qui princeps licet inter Angelorum millia nequaquam ducit indignam se neque invidiosam suæ dignitati, legationem hanc ad Virginem, licet legationis finis exaltatio sit humanæ non angelicæ naturæ.

<sup>16)</sup> *Reflectere, ut fructum capiam.* — Reflexio hæc, in qua aliqua practica conclusio formanda est, facienda semper ad singula puncta et ad singulas etiam puncti cujusque partes. *Fructus* autem multiplex esse potest et varius pro varietate personæ, quæ contemplatur, pro animi habitu, in quo ipsa versatur, puta consolationis vel desolationis,

Secundum punctum, audire quæ loquuntur personæ super faciem terræ, scilicet

lætitiæ vel tristitiæ, devotionis vel ariditatis etc., denique pro cujusque animæ *necessitate*. Nam sive purganda sit a vitiis, sive in virtutis exercitatione versetur, sive ad unionem cum Deo intimam adspiret, in omni mysterio *fructum* quærere sibi *proprium* debet. Ac sane et peccati detestatio, malitiæ propriæ agnitio, compunctio, contritio etc.; et humilitas, patientia, obedientia, mansuetudo, mundi sui que contemptus etc.; et Dei denique amor, sui in omnem Dei voluntatem resignatio, delectatio de Deo et in Deo, Ejus bonitatis ac sapientiæ ceterorumque attributorum admiratio etc. *fructus* sunt, qui ut ex quovis mysterio colligi possunt, ita ex his unicuique convenit eos *sibi* colligere, quibus præcipue indiget, ad quos etiam se a divina gratia impelli magis sentiet. Ita scilicet oratio et contemplatio *manna est omne delectamentum in se habens et omnis saporis suavitatem*. (Sap. 16.) Juvabit, si meditans seu contemplans, consideratis, quasi præsens ad esset rei gestæ, *personis* itemque *actionibus*, vel *auditis verbis*, quæ dicuntur, ad se conversus quærat ex se: *Ad hæc quid tu? — Tu quis es? Quid dicis de te ipso?* Et ad has quæstiones ita respondeat coram Deo, ut non se palpet, sed agat secum vere, sincere, severe, ac si non de se sed de altero, cui optime cupiat secundum Deum, ageretur. — Ceterum nunquam prætermittendus est



*quomodo* loquuntur inter se, *quomodo* jurant et blasphemant, *etc.*<sup>17)</sup> Similiter [audire] quæ dicunt Personæ divinæ, scilicet: *Faciamus redemptionem generis humani etc.*; et postea, quæ loquuntur Angelus et Domina nostra; ac dein reflectere, ut fructum capiam ex earum [personarum omnium] verbis.

Tertium, postea considerare, *quæ faciunt* personæ super faciem terræ, scilicet [quomodo se invicem] feriunt, occidunt, *eunt ad Infernum etc.*; <sup>18)</sup> item, *quæ faciunt* Personæ divinæ, scilicet operantes *sanctissimam* Incarnationem *etc.*; et similiter, *quæ faciunt* Angelus et Domina nostra, scilicet, Angelus agens suum officium Legati, et Domina nostra *humi-*

proprius meditationis seu contemplationis finis, pro quo in tertio præambulo semper supplicamus.

<sup>17)</sup> Quid homines loquantur, juverit videre inter alia in Ps. 11. itemque Ps. 119.

<sup>18)</sup> *Amor proprius* dominans cum superbia *libidinem* et *crudelitatem* vitia facit esse communia et quasi characteristica hominis degradati, impellente etiam *inimico naturæ humanæ*, qui et in cultu sibi in idolis præstito duplex illud vitium consecrabat, pro illo odio, quo et animam hominis et corpus prosequitur. — *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis.* (Ps. 13.)

*lians se*<sup>19)</sup> et agens gratias divinæ Majestati; et postea reflectere, ut aliquem fructum capiam ex *unaquaque* ex his rebus.

In fine faciendum est colloquium<sup>20)</sup> *cogitando quid loqui debeam* ad tres Per-

<sup>19)</sup> *Humilians se.* — Sane verba Virginis: *Ecce ancilla Domini etc.*, ejusmodi sunt, ut non adeo gaudium de tanta dignitate, sed resignationem potius ad grave onus suscipiendum exprimere videantur. Et revera dignitas Matris Dei in hac quidem vita non aliquod ei privilegium, non exemptionem ab humanæ vitæ miseriis attulit, sed gravissimos potius labores et ærumnas. Has illa sine dubio prospexit omnesque una cum dignitate sponte acceptavit. Unde merito cum Ecclesia illis S. Augustini verbis B. Virginem compellamus: „O beata Maria, quis tibi „digne valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ *singulari* tuo assensu „mundo succurristi perditio?“

<sup>20)</sup> *Colloquium etc.* — Ut in hac tota contemplatione ex autographo observari potest simplicitas major, quam in versione vulgata, itemque series rerum contemplandarum magis distincta; ita in colloquio notatu dignissimum est, non haberi in autographo illa: *disquisitis studiose verbis, quibus . . . digne valeam compellare.* S. P. vult, ut in hoc colloquio cogitemus, *quid loqui debeamus, non quomodo seu quibus verbis.* De sensu enim et *affectu*, non de *verbis* agitur. Quod

sonas divinas, *vel* ad Verbum æternum incarnatum, *vel* ad Matrem [ejus] *et Dominam nostram*; petendo secundum id, quod [quis] in se senserit, [quæ juvent] ad magis sequendum et imitandum Dominum nostrum, ita recens<sup>21)</sup> [nuper, modo] incarnatum; dicendo [in fine] *Pater noster*.

## *SECUNDA CONTEMPLATIO*

*est de Nativitate.*

Solita oratio præparatoria.

Primum præambulum est historia; et erit hic, quomodo a Nazareth egressi sunt Domina nostra novem *fere* mensibus gravida, ut pie meditari licet,<sup>22)</sup> in-

licet per se satis pateat, posset tamen modus, quo versio vulgata rem exprimit, alicui inutilem sollicitudinem ingerere.

<sup>21)</sup> *Recens* (nuper, modo). — Nempe ita contemplandum est hoc mysterium et cetera omnia, ac si coram nobis agerentur. Meditandum scilicet non tamquam de re dudum *præterita* sed tamquam de *præsenti*.

<sup>22)</sup> *Ut pie meditari licet*. — Hæc verba apposita leguntur in hispano quidem exemplari post illa verba: *novem fere mensibus gravida*; in antiqua vero latina versione *ms.* habentur post illa: *cum bove*. Utrobique autem apposita sunt in margine propria S. P. Ignatii manu; et referuntur, ut patet, ad omnia hoc loco dicta, quæ Evangelium non exprimit.



sidens asinæ, et Joseph et ancilla ducentes bovem, ut irent in Bethlehem ad solvendum tributum, quod Cæsar omnibus illis regionibus imposuerat. Infra [vide in Mysteriis Vitæ Jesu Christi Domini nostri].

Secundum, compositio videndo locum. Erit hic *visu imaginationis videre viam a Nazareth ad Bethlehem*, considerando [ejus] longitudinem, latitudinem, et an plana sit talis via, vel an per valles aut clivos; item considerando locum sive speluncam nativitatis, quam amplus [sit locus], quam exiguus, quam *humilis*, quam *altus*, et quomodo erat paratus.

Tertium erit idem et eadem forma, quæ fuit in præcedenti contemplatione.

Primum punctum est, videre personas, scilicet videre Dominam nostram et Joseph et ancillam et Jesum infantem, *postquam natus fuerit*,<sup>23)</sup> *faciendo* [exhibendo]<sup>24)</sup> me pauperulum et servulum indignum, spectando illos, contemplando illos et serviendo illis in suis necessitatibus, ac si præsens adessem, cum omni

<sup>23)</sup> *Postquam natus fuerit.* — Ita magis proprie ex autographo: nam et in initio hujus contemplationis infans Jesus nondum censetur natus.

<sup>24)</sup> Vid. ad Fundamentum not. 5.

possibili obsequio [s. humilitate, devotione] ac reverentia; ac dein reflectere in me ipsum ad capiendum aliquem fructum.

Secundum, *attendere*,<sup>25)</sup> *advertere* et *contemplari* ea, quæ [personæ] dicunt, et reflectendo in semetipsum fructum aliquem capere.

Tertium, spectare et considerare ea quæ faciunt, ut est iter facere et laborare [ferre labores, æumnas], *ut Dominus nascatur*<sup>26)</sup> in summa paupertate, et

<sup>25)</sup> *Attendere, advertere et contemplari.* — Cum in primo puncto dicatur *videre* et in tertio *spectare et considerare*, cur in hoc secundo puncto, ubi *verba* consideranda esse monemur, non dicitur: *audire*, prout in contemplatione de Incarnatione? Fortasse, quia, cum in hoc mysterio nulla prorsus habeantur *verba* ex historia Evangelica, nonnisi *contemplando, advertendo et attendendo* cogitari probabiliter possunt. — Porro patet, in hoc puncto considerari merito posse, non solum quæ personæ *dicunt*, sed etiam quæ *non dicunt*, ut: non querelas et murmurationes de tributo a Cæsare imposito vel de injuria sibi in Bethlehem facta etc. Item *silentium* plerumque tum in via tum in ipso Nativitatis loco etc.

<sup>26)</sup> *Ut . . . nascatur.* — Textus hisp. sic habet: *para que sea nacido*; quod quidem significare etiam potest: *ad quid seu quare*

post tot labores, post famem, post sitim, post æstum et frigus, post injurias et contumelias ut [tandem] moriatur in cruce,

*natus sit.* Et hunc sensum vulgata versio exprimit addita conjunctione *et*, quæ in autographo non habetur. Nos vertimus *ut . . . nascatur* (litteraliter verteretur *natus sit*), tum quia sic habet antiqua versio *ms.*, qua S. P. usus est, tum quia sensui ex contextu magis videtur accommodatum. — Scilicet iter illud ex Nazareth in Bethlehem et labores Mariæ et Joseph eo erant directi Deo sic disponente, *ut* Jesus nasceretur in summa paupertate ac tale daret initium vitæ ærumnossimæ, in cruce tandem consummandæ. Homines quidem passim itinera suscipiunt vel delectationis gratia, vel ut commodius habeant. Mariæ et Joseph iter contra ad hoc dirigitur, ut Jesus incommodius et in majoribus egestatis ærumnis nascatur. — Quod habet vulgata versio: *causarum ob quas ita natus sit*, habet etiam illud incommodi, quod ad subtiliorem disquisitionem *causarum* invitare videatur, præter S. P. mentem; cum præsertim in fine dicatur: *et hæc omnia propter me*, quæ est *causa* potissimum in contemplatione ponderanda ad fructum spiritualem consequendum, affectum scilicet majoris amoris erga Christum cum imitationis desiderio, qui amor harum contemplationum scopus est: omissa subtili inquisitione *causarum*, quæ ad theologicas speculationes magis pertinet.



et *omnia hæc* propter me. Deinde reflectendo capere aliquem fructum spiritualem.

Finem imponere per colloquium, *ut in præcedenti contemplatione,*<sup>27)</sup> et *Pater noster*.

### *TERTIA CONTEMPLATIO*

*erit repetitio primi et secundi Exercitii.*

Post orationem præparatoriam et tria præambula fiet repetitio *primi et secundi* Exercitii, notando semper aliquas partes magis præcipuas, in quibus senserit quis aliquam cognitionem, consolationem vel desolationem, faciendo similiter colloquium in fine et [recitando] *Pater noster*.

In hac repetitione et in omnibus sequentibus idem servabitur ordo procedendi, qui servabatur in repetitionibus primæ hebdomadæ mutando materiam et retinendo formam.

---

<sup>27)</sup> *Ut in præcedenti contemplatione.* —

Ita ex autographo, et est monitum valde utile, ne forte vagemur extra proprium harum contemplationum finem, sed semper tendamus ad earum scopum proprium, *majorem* scilicet *amorem* et *imitationem* Christi Domini, qui etiam in tertio præambulo seu præludio tamquam proprius fructus semper postulatur.

### QUARTA CONTEMPLATIO

*erit repetitio primæ et secundæ eodem modo, quo facta est in supra dicta (præcedenti) repetitione.*

### QUINTA [CONTEMPLATIO]

*erit trahere [applicare] quinque sensus super primam et secundam contemplationem.*

Post orationem præparatoriam et tria præambula prodest,<sup>28)</sup> ducere [applicare] quinque sensus imaginationis per [s. ad] primam et secundam contemplationem modo sequenti.

Primum punctum est, *videre*<sup>29)</sup> personas visu imaginationis, meditando et

<sup>28)</sup> *Prodest.* — Quis dubitat, quin uberem fructum colligere potuisset, si cui coram adesse Mysteriis illis, cum agerentur, licuisset? — Ergo simile quid præstat ista applicatio sensuum viva fide et animo præsentis et vigili instituta.

<sup>29)</sup> *Videre* — minorem dicit intensionem, facilitatem proinde ac suavitatem majorem, quam *respicere*. Hoc enim potest inducere ad vim capiti inferendam, illud non item. Quod quidem eo magis notandum est, quod Exercitium applicationis sensuum ex mente S. Patris minorem contentionem requirat; quapropter illud etiam semper ultimo loco

contemplando in particulari circumstantias earum et capiendo *aliquem* fructum ex [hujusmodi] visione [aspectu].

Secundum, audire auditu ea, quæ loquuntur vel loqui *possunt*, et reflectendo in se ipsum capere inde *aliquem* fructum.

Tertium, odorari et gustare<sup>30)</sup> olfactu et gustu *infinitam* suavitatem ac dulcedinem divinitatis, animæ ejusque virtutum et ceterarum rerum juxta rationem personæ, quam contemplamur, reflectendo in se ipsum et capiendo inde fructum.

---

ponit, inter cujusvis diei exercitia faciendum *ante cœnam*, quando scilicet Exercitantis animus exercitiis per diem factis jam fatigatior censi potest ac debet. Itaque applicatio sensuum præcipue suaviter et absque contentione instituenda est.

<sup>30)</sup> *Odorari et gustare.* — Coniunguntur hi duo sensus, quorum alter altero propius quidem et immediatius afficit, uterque tamen unice ad *affectum* pertinet, delectationis scilicet et amoris spiritualis, vel contra horro-  
ris, aversionis, nausæ et odii; possunt enim hi sensus non ad sancta modo applicari, sed etiam ad contraria, ut si in præsentia materia ad *mundum* hominesque mundanos eorumque scelera et scelerum pœnas admoveantur, fœtoris scilicet et amaritudinis sensus percipiatur necesse est.



Quartum, tangere<sup>31)</sup> tactu, ut v. g. amplexari et osculari loca, ubi tales personæ vestigia ponunt, et sedent, *semper* procurando fructum inde capere.

Terminandum est [Exercitium] colloquio ut in prima et secunda contemplatione et recitando semel *Pater noster*.

Prima nota. Advertendum est pro *tota* hac hebdomada et ceteris sequentibus, quod solum debeo *legere*<sup>32)</sup> *Mysterium* contemplationis, quam *immediate* facturus sum, ita ut pro tunc nullum legam

<sup>31)</sup> *Tangere*. — Adverte, a S. Patre *loca* solum *tangenda*, non autem vestimenta, nedum personas commemorari; ad quas tamen seu amplexandas seu osculandas, si pia animæ valde puræ devotio impellat, memoria tenendum, quod sapienter monet Directorium, fieri id non debere nisi *cum omni reverentia et modestia ac timore*. (Direct. c. XX. n. 1). — Juvat meminisse verborum Psalmistæ: *Coram illo procident — et . . . terram lingent*.

<sup>32)</sup> *Solum debeo legere*. — Versio vulgata habet: *legere vel cogitare*, quod ultimum abest in autographo. Merito quidem. Et vero infra, in quarto ex Notandis, ubi Additionis sextæ mutatio faciendæ præscribitur, non ita restringitur *cogitatio* Exercitantis. Præterquam quod in variis actionibus per diem faciendis necessario alia etiam *Mysteria* identidem cogitanda sunt, ut in Sacro, in Horarum canonicarum recitatione, etc.

Mysterium, quod illa die vel illa hora non facturus [contemplaturus] sim, *ne* consideratio unius Mysteriorum obturbet considerationi alterius.

Secunda. Primum Exercitium de Incarnatione fiet media nocte, secundum in aurora, tertium ad horam Missæ, quartum ad *horam Vesperarum* et quintum ante horam cœnandi: perdurando spatium unius horæ in quovis ex his quinque Exercitiis; atque idem ordo servabitur in omnibus sequentibus.

Tertia. Advertendum est, quod, si qui facit Exercitia sit senex *vel debilis*, vel *etiamsi robustus* si ex prima hebdomada remanserit *aliquo modo debilis*, melius est, ut in hac secunda hebdomada *saltem* aliquoties non surgendo media nocte faciat primo mane *unam* contemplationem *et alteram*<sup>33)</sup> ad horam Missæ *et alteram* ante prandium et super illas unam repe-

<sup>33)</sup> *Et alteram — et alteram.* — Ita ex autographo patet, hoc loco S. P. intendere, ut omnino *quinque* Exercitia fiant, etiamsi media nocte non surgatur: id quod ab aliquibus in dubium vocari solet vulgati scilicet textus ambiguitate deceptis. Dico: *hoc loco*; nam aliud est, quod in *Notando* sub die secunda permittitur vel suadetur. pag. 154. Confer Annotationem S. P. in fine I. Hebdomadæ ante 10 Additiones.

tionem ad horam Vesperarum et postea applicationem sensuum ante cœnam.

Quarta. In hac secunda hebdomada in omnibus decem Additionibus, quæ dictæ sunt in prima hebdomada, mutari debent secunda, sexta, septima et ex parte decima.

In secunda erit [mutatio], statim ut excitatus fuero ponere mihi ob oculos contemplationem, quam facturus sum, desiderando magis cognoscere Verbum æternum incarnatum, *ut magis illi serviam et [magis illud] sequar.*

Et sexta [Additio] erit, frequenter in memoriam reducere *Vitam et Mysteria Christi Domini nostri* incipiendo ab ejus Incarnatione usque ad locum seu *Mysterium, in cujus contemplatione versor.*<sup>34)</sup>

Et septima erit, ut, qui exercetur, eatenus curet tenere obscuritatem vel claritatem, [et] uti amœno tempore vel diverso, *quatenus senserit sibi posse prodesse et juvare* ad inveniendum id, quod desiderat.

Et in decima Additione, ille, qui exercetur, debet se habere juxta *Mysteria*, quæ contemplatur; quia quædam postu-

<sup>34)</sup> *In cujus contemplatione versor.* — Ex autographo italice ad litteram verteretur: *che vado contemplando.*



lant pœnitentiam, et alia *non*. Ita ut fiant [serventur] omnes decem Additiones *cum multa cura*<sup>35)</sup> [diligentia et circumspectione].

Quinta nota. In omnibus Exercitiis præterquam in illis, quæ media nocte et in aurora [fient], assumetur [aliquid], quod æquivaleat *secundæ* Additioni<sup>36)</sup> modo, qui sequitur: Statim ut recordabor adesse horam Exercitii, quod facere debeo, antequam vadam [ad illud], ob oculos mihi ponens [ponam], quo vadam et coram quo, resumens [resumam] paululum Exercitium, quod facturus sum, et *postea faciens tertiam Additionem*<sup>37)</sup> intrabo in Exercitium.

<sup>35)</sup> *Cum multa cura*. — Ita ad verbum ex autographo. Quæ clausula et referri videtur ad circumspectionem adhibendam in usu decem Additionum et esse iterata earum commendatio, ut *accurate* servandas esse intelligamus; variatis quidem in hac secunda hebdomada quatuor illis, de quibus in hac *Nota quarta* actum est.

<sup>36)</sup> *Secundæ Additioni*. — In versione vulgata mendose irrepsit: *et tertiæ*. Et revera ad solam *secundam* Additionem hæc nota pertinet. *Tertia* enim Additio eadem est in omnibus Exercitiis, nec unquam variatur. Quod etiam ex postremis hujus Notæ verbis, prout ea damus ex autographo, manifestum est.

<sup>37)</sup> Hanc vide, et quod notavimus n. 35.

## SECUNDA DIE

*sumere pro prima et secunda contemplatione Præsentationem in Templo, infra [inter Mysteria Vitæ J. C. D. N.], et Fugam, ut in exilium, in Ægyptum, infra [ibidem]; et super his duabus contemplationibus fient duæ repetitiones et applicatio quinque sensuum super illas eodem modo, quo factum est die præcedenti.*

Interdum utile est, etiamsi is, qui exercetur, robustus sit ac dispositus, variari [aliquid] *ab hac secunda die usque ad quartam inclusive,*<sup>38)</sup> ut melius inveniatur id, quod desiderat, sumendo solum unam contemplationem summo mane et

---

<sup>38)</sup> *Ab hac secunda die usque ad quartam inclusive.* — Hic ergo sola quatuor Exercitia fieri concedit S. P. vel etiam suadet. Concessio tamen hæc ex autographo ad *tres solum dies* extenditur, idque nonnisi *interdum* utile esse dicitur; nequaquam vero extenditur ad *tres istas hebdomadas*, ut versio vulgata habet. Vide quæ supra notavimus ad Notam tertiam post primam diem hujus hebdomadæ n. 33. Cur autem S. P. hanc moderationem his potissimum diebus adhibendam concedit vel suadet? Fortasse ut ad grave Electionis negotium, quod post hosce dies inchoandum, mens alacrior ac minus fatigata accedat.

alteram ad horam Missæ, et repetitionem super illis facere ad horam Vesperarum et applicare sensus *ante cœnam*.

### *TERTIA DIE*

*[sumere pro prima et secunda contemplatione] quomodo puer Jesus erat obediens suis Parentibus in Nazareth,<sup>39)</sup> infra [inter Mystera Vitæ Domini nostri]; et quomodo postea invenerunt illum in Templo, infra [ibidem]; et ita consequenter facere duas repetitiones et applicare quinque sensus.*

*Præambulum ad considerandos status.*<sup>40)</sup>

*Considerato jam exemplo quod Christus Dominus noster nobis dedit pro*

<sup>39)</sup> Hoc loco S. P. invertit tantisper historiæ Evangelicæ seriem. Cur ita? Vide sequentem mox notam n. 40.

<sup>40)</sup> *Præambulum ad considerandos status* — *Considerato jam exemplo etc.* Longe major hic perspicuitas ex autographo, quam in versione vulgata. Sensus ergo S. P. est: „Considerato jam in Christo Domino exemplo „utriusque status, scilicet *primi*, communis, „cum obediret Parentibus, et *secundi*, non „communis, sed perfectioris, cum relictis „Parentibus in Templo remansit: tempus est, „ut incipiamus,“ etc. Consulte S. P. in contemplationibus diei tertiæ ordinem verborum



primo statu, qui consistit in observantia mandatorum, dum Parentibus suis obediens erat; *itemque* [considerato jam exemplo, quod idem Dominus nobis dedit] pro secundo [statu], qui est perfectionis Evangelicæ, quando remansit in Templo relinquens Patrem suum adoptivum et Matrem suam naturalem, ut æterni Patris sui servitio pure [unice] vacaret: incipiemus [hoc loco] *simul* contemplando<sup>41)</sup> ejus Vitam, investigare et petere,

Evangelii ipsiusque etiam historiæ tantisper invertit; absque ullo quidem historicæ veritatis detrimento, sed apposite ad scopum suum. Primo enim contemplandam proposuit pueri Jesu obedientiam ut formam vitæ communis. — *Erat subditus illis.* — Dein ejusdem mansionem in Templo relictis Parentibus ut formam vitæ perfectioris — *Remansit puer Jesus in Hierusalem.* — Et hujus utriusque Mysterii contemplatio hoc ordine facta viam sternit ad incipiendam considerationem statuum.

<sup>41)</sup> *Simul contemplando.* — Non sunt ergo intermittendæ contemplationes de Vita Christi, ut investigando statui vacetur; sed fieri hoc debet ex mente S. P. *simul contemplando ejus Vitam* per Mysteria sequentibus diebus assignata. Dicitur autem debere nos et *investigare* et *petere*, quid Deus a nobis circa vitæ statum velit. Non sufficit solum *investigare*, nec sufficit solum *petere*, quid

in quam vitam seu [in quo] statu divina sua Majestas *nobis uti*<sup>42)</sup> [ad suum servitium] *velit*.

Et ideo pro *aliqua* introductione<sup>43)</sup> hujus rei in primo Exercitio sequenti *videbimus* intentionem Christi Domini nostri et ex adverso [oppositam intentionem] inimici naturæ humanæ,<sup>44)</sup> et quo-

Deus a nobis circa vitæ statum velit; sed utrumque facere necesse est. Vult enim Deus, ut et nos agamus quod nostrarum est partium, scilicet vires animi applicemus ad cognoscendum, quid nos agere conveniat, ut Ipsi serviamus; et nihilominus nobis ipsi minime fidamus, sed Ejus simul imploremus lumen et gratiam, ne qua ratione noster nos sensus decipiat; id quod facile accidit, etiam sub specie boni, ni divinum nobis adsit lumen, quod proinde instantissime in hoc tanto negotio efflagitandum est.

<sup>42)</sup> *Nobis uti*. — Ita ex autographo, *nobis uti*, ut instrumentis *ad suum servitium divina sua Majestas velit*. Vide notata n. 11, ad quintam Annotationem inter 20. — *Velit*, non tantum *malit*, ut habet vulgata versio.

<sup>43)</sup> *Pro aliqua introductione hujus rei*. — Scilicet ut *aliquo modo* introducamur tum ad *inquirendum* seu investigandum, in quam vitam genere Deus uti nobis velit, tum ad id *efflagitandum* seu ad petendum hanc in rem lumen et gratiam.

<sup>44)</sup> *Inimici naturæ humanæ*. — Vid. notata ad Annot. 7 inter 20, n. 15.

modo nos debeamus disponere, ut veniamus ad perfectionem in quocumque statu seu vita, quam Deus Dominus noster eligendam nobis *dederit*.<sup>45</sup>\*)

<sup>45</sup>) *Eligendam dederit*. — Ita ex autographo. *Suggesterit*, quod habet vulgata versio, respondet solummodo investigationi status: *dederit*, respondet, tum *investigationi*, tum vel maxime *petitioni*.

\*) Diligenter consideranda, quæ modo a S. P. dicta sunt de *scopo* Exercitii proxime sequentis *de duobus Vexillis*. Nequaquam hic deliberatio instituitur, uter sequendus sit, Christusne an Lucifer; talis enim deliberatio, ut Christo prorsus injuriosa, ita inconueniens nec mediocriter absurda foret ac plane non ferenda hoc præsertim loco. Jam enim quisque et in prima hebdomada Luciferum ejusque castra in æternum exsecranda, et in *Regno Christi* Christum unice sectandum esse, probe intellexisse censendus est. Non igitur hoc agitur. — Sed eo dirigitur hoc *de duobus Vexillis* Exercitium, ut *aliquo modo introducatur* ad investigandum statum vitæ. Est ergo præambulum ad Electionem recte faciendam, in quo consideramus seu, ut S. P. loquitur, *videmus* quasi ob oculos nostros positam hinc *intentionem* Christi Domini, inde *intentionem* Luciferi. *Intentionem*, quam hic dicit S. Pater, intellige non tam *finem* ultimum, quem hinc Christus Dominus, inde Lucifer sibi proponit, quam *media*, per quæ hinc Christus,



inde Lucifer homines perducere vel pertrahere ad propositum finem intendit. *Media* vero, tam quæ Lucifer, quam quæ Christus adhibet, hoc loco proponuntur talia, quæ per se sunt *indifferentia*; quia quæ absolute bona vel absolute mala sunt, ea necessario vel amplecti vel respuere censetur, quisquis ad Electionem faciendam accedat, et est hæc animi dispositio fructus jam pridem collectus ex Exercitiis primæ hebdomadæ. Hinc etiam Luciferi *fraudes* in hoc Exercitio proponuntur, quæ non recte dicerentur *fraudes*, si aperte ad res per se malas instigaret. — Hæc porro consideratio intentionis Christi et oppositæ intentionis Luciferi docet, qua ratione *disponere nos debeamus*, i. e. quem animum concipere, quæ documenta sequi nos deceat, ut *perfecti evadamus in quocumque statu*, scilicet, sive status eligatur perfectionis Evangelicæ, sive non; quia verum Christi Jesu spiritum, quem in hoc Exercitio docemur, cum oppositione ad fraudes Luciferi cognovisse et hausisse utilissimum est omnibus, etiam illis, qui non ad perfectionis Evangelicæ statum vocatos se senserint, sed illum amplectantur, vel etiam dudum immutabili electione amplexi sint, quem S. Pater statum *communem* appellat. Mirum enim in modum juvabitur ad virtutis perfectæ exercitationem in quocumque statu et ad vitandas inimici subdolas etiam tentationes, quisquis doctrinam hic expositam probe teneat.

Quod si quis hanc meditationem *de duobus Vexillis* cum altera *de Regno Christi* comparare velit, videbit, quam lucide, quam apte

### QUARTA DIE

*meditatio de duobus Vexillis,<sup>46)</sup> altero Christi summi Ducis<sup>47)</sup> ac Domini nostri, altero Luciferi, capitalis inimici nostræ humanæ naturæ.<sup>48)</sup>*

S. P. a generalibus ad particularia meditantem deducat et quam suaviter usque et usque ad majorem perfectionem tum distinctius cognoscendam tum animosius amplectendam invitet et impellat.

<sup>46)</sup> *De duobus Vexillis.* — Nota, in hispanico non dici: *de las dos Banderas*, sed *de dos Banderas*, sine articulo. Itaque vertendum italicè: *di due Stendardi*, non *dei due Stendardi*; gallice *de deux Étendards*, non: *des deux . . .* Cur ita S. Pater? Fortasse, 1. quia Vexilla hæc per imaginationem dumtaxat proponuntur, ut sensus sit: *de duobus quibusdam veluti Vexillis*; 2. et præcipue, quia hæc meditatio ex mente S. Patris est introductio et informatio et invitatio ad vitam perfectam in consiliis Evangelicis ac præsertim in vocatione Apostolica; proinde non omnino ad omnes pertinet. Licet enim *lato sensu* omnes ad alterutram partem, Christi scilicet vel Luciferi, actu pertineant; tamen a S. P. Vexilla hæc duo *strictiori* quodam *sensu* intelliguntur: ut sub alterutro non omnes absolute *militent* homines, sed ii præcipue, qui vel Luciferum plane sectantur, ac præsertim qui dictis factisque tamquam ejus satellites conspirant cum eo ad

## Solita oratio præparatoria.

Primum præambulum est historia. Erit hic, *quomodo Christus vocat*<sup>49)</sup> *et vult*

animarum perniciem; vel qui sequuntur Christum Ducem non utcumque modove communi, sed perfecto per consilia Evangelica, et præsertim qui ut ministri Christi ei cooperantur ad animarum salutem. — Nec tamen ideo negamus, aliis etiam proponi posse hanc meditationem, cum omnibus, qui ejus intelligendæ sint capaces, utilissimum sit et dæmonis fraudes et Christi verum spiritum, mundi spiritui oppositum, cognoscere, ut, sive quis jam statum habeat, sive quemcumque extra statum perfectionis Evangelicæ eligat, in eo se perficere possit. Vide notam præcedentem.

<sup>47)</sup> *Ducis.* — Hisp. *Capitan*, malim latine *Ducem* dicere quam *Imperatorem*. Rex enim noster benignissimus non tam *imperio* mittit suos quam exemplo *ductuque* præcedit. Etiam antiqua illa versio *ms.*, qua ipsum S. P. Ignatium usum fuisse constat, ubique *Ducem* Christum Dominum appellat.

<sup>48)</sup> Vide notam 15 in 20 Annotationes p. 21.

<sup>49)</sup> *Quomodo Christus vocat . . . . et Lucifer contra . . . .* — Parum interest fortasse, sed tamen multo magis placet, ex autographo, Christum et Luciferum in ipso hoc præludio cum suis Vexillis separari, quam conjungi sub una phrasi: *quorum uterque . . . . vocat sub Vexillo suo congregandos.*



*omnes [congregare] sub suum vexillum, et Lucifer contra sub suum.*

Secundum, compositio videndo locum. Erit hic videre campum magnum totius illius regionis Hierusalem, ubi summus *Dux generalis* bonorum est Christus Dominus noster: alterum campum in regione Babylonix, ubi *Caput inimicorum*<sup>50)</sup> [dæmonum] est Lucifer.

Tertium, rogare *id, quod volo*, et erit hic, petere cognitionem fraudum mali *Capitis* et auxilium, ut ab illis mihi caveam, et cognitionem *vitæ veræ*, quam

---

<sup>50)</sup> *Caput inimicorum.* — *Caput*, hisp. *caudillo*, quod quidem licet etiam ducem significet, non tamen adeo supremum dicit; cum *caudillo* pro *cabdillo* sive *capdillo* diminutivum sit a *cabo*, *capo*, *caput*, voces autem diminutivæ in *illo* desinentes hispano idiomate fere contemptum sonent. Unde *Caudillo* usurpatur sæpe pro duce alicujus factionis, etiam in malo sensu, ut pro duce latronum, facinorosorum. At vox *Capitan* cum epitheto *general* nunquam nisi nobilissimo sensu usurpatur. Ita ergo S. P. nomine etiam distinguit duos duces, Christo tribuens nomen *Capitan general*, quod legitimæ militiæ ducem supremum sonat, Lucifero vero nomen *Caudillo*; quam distinctionem placuit in versione utcumque servare.

ostendit summus et verus *Dux*, et gratiam ad illum imitandum.<sup>51)</sup>

<sup>51)</sup> Quærat aliquis: cum hæc Meditatio ex mente S. P. sit invitatio ad vitam perfectam ac præsertim Apostolicam, cur ergo non docet in hoc præludio *zelum* etiam petere *animarum*? R. 1. Licet sit *invitatio* ad vitam Apostolicam, non tamen est exclusive pro iis, qui ad vitam Apostolicam re ipsa vocantur. Quin immo primarie est introductio ad Electionem et etiam ad vitæ Reformationem. Vide quæ supra diximus n. 45. — 2. *Zelus* quidem *animarum* excitari vehementer hic solet inter meditandum; ast petere docemur tamquam *fructum proximum gratiam duplicem*, ut semper alias pro subjecta materia: scilicet *illuminationis* intellectus ad cognoscendum, et *inspirationis* seu motionis voluntatis ad abhorrendum, vel amandum, ad cavendum vel amplectendum. Ita postea in colloquio distinctius exprimitur proprius hujus Meditationis fructus; qui est in æstimanda et desideranda *paupertate* tum spirituali tum actuali, in æstimando item et amando *contemptu*; quia hæc est *dispositio* tum omnibus necessaria ad Electionem vel Reformationem perfectam tum maxime iis, qui ad vitam Apostolicam vocentur, aut jam vocati sint. — Pulchre vero a S. P. nostro *fraudibus* Luciferi opponitur *vita vera* in Christo Jesu; nam et *fraudes* sunt omnia Luciferi promissa et denique ad *mortem* ducunt, cum Christus Jesus *veritas* sit et *vita*

Punctum primum est imaginari, ac si sederet [sedere viderem] *Caput* omnium inimicorum [dæmonum] in magno illo campo Babylonix, velut in magna quadam cathedra *ignis et fumi*,<sup>52)</sup> in figura horrenda atque terribili.

Secundum, considerare quomodo con-  
vocationem facit innumerabilium dæmo-

et quæ proponit, eo proponit, *ut vitam habeant* sui et *abundantius habeant*.

<sup>52)</sup> *In magna quadam cathedra ignis et fumi* sive *ex igne et fumo*, juxta autographum. Cathedra fingitur *ex igne et fumo* conflata, in qua soliditatis nihil, nihil veri splendoris, sed mera *agitatio* ac *turbatio* perpetua cum densa *caligine* conjuncta. Hæc porro imago *spiritum malum* exhibet, *qualis est*, non tamen *qualem se* hominum mentibus *objicit*; cum enim sit *inimicus naturæ humanæ*, specie tenus *amicum* se fingit; et ideo *fraudes* textit objecta spe fallaci divitiarum, honorum etc. . . . Ast, quantumvis fingat, sese tamen prodit in effectibus, quos ejus operationes seu *motiones* in anima producant, qui in hac imagine Luciferi mirifice adumbrantur: *Babylonia*, confusio; *cathedra*, superbia; *ignis*, commotio absque quiete; *fumus*, tenebræ; denique *horror*, nec solum *horror* sed etiam *terror*; quæ duo non sunt synonyma. Contraria plane omnia in Jesu Christo. Conferre juvat Regulas de discernendis spiritibus.



num, et quomodo illos spargit, *hos in talem civitatem*<sup>53)</sup> et *illos in aliam*, atque ita per universum mundum, nullas omittendo provincias, [nulla] loca, [nullos] status, [seu nullas condiciones hominum] *nec personas ullas in particulari*.

Tertium, considerare concionem, quam ad illos habet, et quomodo eos admonet<sup>54)</sup>

<sup>53)</sup> *Hos in talem civitatem etc.* — Ita distinctius ex autographo studium indicatur Luciferi *destinandi* emissarios hosque *innummerabiles* — *ad omnia mundi loca* et *tentandi omnes ac singulos*, non modo *nullis personarum generibus*, ut habet vulgata versio, sed *nullis etiam particularibus personis immunibus relictis*; ut nemo sit, ubicumque sit et in quocumque vitæ genere, qui non cavere sibi debeat diligentissime.

<sup>54)</sup> *Admonet (increpando instigat)*, hisp. *amonesta*, quo verbo rabies Luciferi aliquomodo exprimi videtur et imperii ejus durities. Scilicet ita convenit Principi dæmonum dæmones adhortanti. Licet enim hi satis per se ipsi odio ardeant, et ad nocendum sint promptissimi; tamen Lucifero scilicet *nunquam satis*. Itaque *increpando instigat*. — Vides in Lucifero *tyrannum*, qui cum clamore *convocationem facit (fa chiamata)* — *retia et catenas parat* — imperiose *instigat* suos — *tentare debeant (abbiano a tentare)*. — Omnia violentiam ac tyrannidem spirant. — Nota singula diligenter et vide in Christo omnia opposita n. 59, infra.

ad injicienda [hominibus] *retia* et *catenas*, ut primo *tentare* [eos] *debeant* cupiditate divitiarum, prout solet [ipse facere] ut in pluribus, quo facilius perveniant *ad vanum honorem mundi* et inde ad *magnam superbiam*:<sup>55)</sup>

<sup>55)</sup> *Ad magnam superbiam.* — *Magnam*, hisp. *crecida*, quæ novis semper incrementis *magna* facta sit. Antiqua versio *ms.*, vertit: *arrogantem superbiam.* — *Superbia* itaque terminus est; gradus autem alter *tentationum* non est proprie *mundani honoris ambitio*; hæc enim plus exprimit quam simplicem *tentationem* et jam quasi cum ipsa *superbia* coincidit: sed simpliciter *vanus mundi honor* ejusque aliquod desiderium, quod *divitiæ* (primus gradus) natura sua provocare solent. — *Fraudes* itaque *Luciferi* in eo sitæ sunt, quod excitet ad desideranda et quærenda ea, quæ per se quidem sunt *indifferentia*, ut sunt *divitiæ* et *honores*, sed quorum *cupiditas* nunquam non *periculosa*, plerumque vero etiam *exitialis* est. Certe, quicumque in quocumque statu hac cupiditate implicari se sinit, mox ea experitur, quæ *castrorum Luciferi* propria sunt, *turbationem*, *tenebras*, *commotionem*, *confusionem*, *horrorem* — statu *perfectionis* excidit — et in suo statu, si is *perfectionis* non sit, *perfectus* esse *non potest*. Hinc merito *divitiæ* et *honores* a *S. Patre* *retia* dicuntur et *catenæ*. — Præterea *Lucifer* illa bona *fallacia* et *caduca*, quasi *vera* bona essent, depingit, et, cum

Ita, ut *primus gradus sit divitiarum, secundus honoris, tertius superbiae*: et ex istis tribus gradibus inducit [Lucifer] ad omnia reliqua vitia.

Similiter ex opposito *imaginandum est* de summo et *vero Duce*, qui est Christus *Dominus noster*.

Primum punctum est considerare, quomodo Christus *Dominus noster* se sistit in magno campo illius regionis Hierusalem, in loco humili, speciosus et amabilis.<sup>56)</sup>

ea nec dare ipse possit nec facilem reddere eorum consecutionem, ita tamen desiderium eorum et cupiditatem in hominibus excitat, ut sibi persuadeant miseri ea, quæ tam ardentem exoptant, præsto sibi fore, modo sibi ne desint. — Merito observet hoc loco, qui meditatur, quanta sit mortalium cæcitas, quibus tristissima hominum per tot sæcula innumerabilium experientia (quam omnis historia omniaque monumenta testantur), quibus Lucifer ita illusit, non sufficiat ad fraudes dæmonis agnoscendas; sed porro pergant *falsa* ista bona pro *veris* appetere et prosequi, plerumque *irrito conatu* neque alio effectu, nisi ut laqueis, *retibus* et *catenis* Luciferi implicati pertrahantur in exitium sempiternum.

<sup>56)</sup> *Speciosus et amabilis*. — Hæc duo adjectiva possent ex autographo etiam referri ad locum, ut sit: *in loco humili. specioso*



Secundum, considerare quomodo universi mundi Dominus *eligit tam multas personas*, Apostolos, Discipulos etc., et eos mittit<sup>57)</sup> per *universum mundum*,

*et amœno*: et ita habet antiqua versio *ms.* Præferenda tamen videtur altera explicandi ratio, quam habet vulgata versio: sic enim primum punctum de Christo duce melius respondet primo puncto de Lucifero, et melius etiam convenit cum Regulis de discernendis spiritibus.

<sup>57)</sup> *Discipulos etc., et eos mittit.* — S. P. mentionem non facit de Angelis bonis, quos Christus Dominus *in ministerium salutis* mittit procul dubio plures etiam quam Lucifer malos. Hoc si proponeret S. P., responderet quidem magis proprie secundum hoc punctum hujus secundæ partis puncto secundo primæ partis; sed non erat hic proprius hujus meditationis scopus. Nihil tamen vetat, quominus hoc loco etiam de Angelorum missione cum oppositione ad missionem dæmonum cogitemus, id quod ad animos viris Apostolicis augendos plurimum valet; quemadmodum possumus sane etiam in secundo puncto primæ partis considerare, quam multos item homines Lucifer habeat emissarios, suos suorumque dæmonum adjutores ad infernalem suam expeditionem. — Ubi vero de Angelis, qui a Domino mittuntur ad salutem animarum, meditamur, conveniet in hoc puncto etiam illud intelligere, quod in altera parte de malis angelis positum est:

spargendo sacram suam doctrinam per omnes status et conditiones personarum.

Tertium, *considerare* concionem, quam Christus Dominus noster habet ad omnes suos servos et amicos, quos ad talem *expeditionem*<sup>58)</sup> mittit, *commendando*<sup>59)</sup>

mitti scilicet ita, ut *nullæ* etiam particulares *personæ* absque tali præsidio relinquuntur a Christo: quod a S. P., cum de solis hominibus a Christo ad hanc expeditionem vocatis ageret, dici non potuit. Estque hoc profecto notatu dignum, ne forte Lucifer diligentior videatur ad perdendos, quam Christus ad juvandos homines; quod vel leviter aut dubitanter suspicari quis ferat?

<sup>58)</sup> *Expeditionem*. — In autographo *jornada*; quæ vox est militaris. — Antiqua versio *ms.* habet *legationem*.

<sup>59)</sup> *Commendando*. — Omnino *benignitatis* Christi proprium verbum: cum *imperare* possit, *commendat*. — Infra: *Adducendo illos*, suaviter scilicet persuadendo. — Et Luciferi quidem satellites, cum sensibus hominum objiciant illecebras, his ut laqueis, retibus, catenis eos velut animalia insensata capiunt. — At Christi discipuli, cum a sensibus avocare homines ad spiritualia debeant, recte ut ratione utentes *inducere* eos debere dicuntur. Quibus vero argumentis utendum illis erit, ut ita *suadeant* et *inducant*? Nempe illis, quæ tum ex *Fundamento* — tum ex primæ hebdomadæ meditationibus — tum

illis, ut *omnes* velint [studeant] adjuvare, adducendo illos primum ad *summam* paupertatem<sup>60)</sup> spiritualem et,<sup>61)</sup> si suæ

maxime ex iis, quæ jam in secunda de Christo contemplati sumus, hauriuntur.

Ceterum vide, quam apte omnia in Christo opposita iis, quæ de Lucifero dicta fuere. Lucifer *horribilis* atque *terribilis* — Christus *speciosus* et *amabilis*. Ille cum *strepitu* et *clamore convocat* suos — Hic *pacate eligit*. Ille suos *spargit* (ital. dici posset: *caccia*) — Hic suos *mittit*. Ille *increpando instigat* suos et *imperat*, ut *tentent* adhibendo *retia* et *catenas* — Hic *blande* suis *commendat*, ut omnes *juvare* velint, suaviter *suadendo*. Quam præclare opposita tyrannidi Luciferi elucet in omnibus *humanitas* et *benignitas Salvatoris!* Certe modis loquendi usus est S. P., quibus spiritus Luciferi et contra spiritus Christi aptissime et graphice exprimuntur.

<sup>60)</sup> *Ad summam paupertatem.* — Summa paupertas spiritus *omnibus* suadenda studiose inculcatur a S. P. Ignatio et infra, in colloquio, *summa* flagitanda præscribitur. Scilicet: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat* saltem affectu *omnibus, quæ possidet*, omnibus omnino, nulla re excepta, nullam reservans, cui cor suum apponat aut cui adhæreat, *non potest meus esse discipulus*, ait Dominus. *Summa* paupertas spiritus potest sola tutum ac securum reddere a divitiarum illecebris. Non sufficit non esse



divinæ Majestati placuerit et [ad hoc] eos eligere voluerit, *non minus* [s. etiam] ad paupertatem actualem; *secundo* ad desiderium opprobriorum et contemptuum, *quia ex his duabus rebus* [s. paupertate et contemptu] sequitur humilitas:

Ita ut sint tres gradus: *primus, paupertas contra divitias; secundus, opprobrium vel contemptus contra honorem mundanum; tertius, humilitas contra superbiam:* et ex his tribus gradibus

avaritiæ deditum, necesse est *avaritiam odisse*, quemadmodum Scriptura loquitur; ut in occasionibus præsertim ac tentationibus isto dæmonis laqueo non impliceris. — Præterea, cum hæc Meditatio introductio quædam sit ad vitam Apostolicam, quicumque ad hanc inspirari se sentiat, magnopere necesse est ut Christi doctrinam de *summa* paupertate, saltem spirituali, probe intelligat et hanc, si omnibus, sibi certe vel maxime necessariam esse persuadeat, eamque omnino animo imbibat. Nam si sine hac *nemo potest esse discipulus*, quomodo poterit esse *Apostolus Christi*?

<sup>61)</sup> *Et si suæ divinæ Majestati placuerit.* — Etiam hic conditio ista apponitur circa paupertatem actualem et quidem repetitur in colloquio; propterea quod nondum censeatur cognita vocatio divina, nondum facta electio. Vide notata supra n. 7 *de Regno Christi.*

inducant [homines] ad omnes reliquas virtutes.

Colloquium [faciam] ad Dominam nostram, ut mihi obtineat<sup>62)</sup> gratiam a suo Filio *et Domino*, ut ego *recipiar* sub ejus Vexillum: et primum in *summa* paupertate spirituali, *et*, si divinæ suæ Majestati placuerit et me [ad hoc] eligere ac recipere voluerit, *non minus* [etiam] in paupertate actuali; secundo in tolerandis opprobriis et injuriis<sup>63)</sup> ad magis

---

<sup>62)</sup> *Ut . . . . obtineat.* — In Regno Christi nos promptos *offerebamus* ad paupertatem et ad opprobria, hic ea *petimus* et *flagitamus*.

<sup>63)</sup> Quare in colloquio postulare docemur solum duos primos gradus, *paupertatem* scilicet et *contemptum*? Cur non etiam *humilitatem*? — Quia scilicet humilitas fructus est, qui ex duobus illis enascitur. Porro *humilitatis* possessio suavissimum est bonum: sed exercitium, per quod ad illa eniti debemus, *paupertatis* et *contemptus*, naturæ molestissimum accidit. Hæc duo itaque potissimum flagitanda. Est enim nobis magis necessarium, petere et adhibere *media*, scilicet *paupertatem* et *contemptum*, quam *finem*, qui *humilitas* est, desiderare ac petere. — Neque ullum est ad virtutis perfectæ adeptionem utilius documentum, quam ut æstimemus, quæramus, amemus ac pro-

*in illis* eum imitandum, dummodo possim eas tolerare absque ullius peccato et [absque] disgustu suæ divinæ Majestatis. Et inde [recitabo] *Ave Maria*.

Petere eadem a Filio, ut [ea] mihi obtineat a Patre, et inde dicere *Anima Christi*.

Petere eadem a Patre, ut ipse ea mihi concedat, et dicere *Pater noster*.

Hoc Exercitium fiet media nocte et dein iterum summo mane.

Et fient duæ repetitiones *ejusdem* ad horam Missæ et ad horam Vesperarum *semper* finiendo cum tribus colloquiis *supradictis ad Dominam nostram, ad Filium et ad Patrem*; et illud [Exercitium] de *Binariis* [Classibus hominum], quod sequitur [fiet] hora ante cœnam.

---

inde etiam petamus a Domino magis *certamina*, per quæ virtutis possessio obtinenda est, quam ipsam *virtutem*; *pugnæ* magis quam *triumphum*. Præterea ipsius *virtutis* pia desideria non raro illusioni obnoxia sunt; *pugnarum* vero non item. — Est ergo sapientissimum in hoc colloquio S. P. N. consilium.



### MEDITATIO

*fiet eadem quarta die de tribus Binariis [Classibus] hominum,<sup>64)</sup> ut amplectamur optimum.*

Solita oratio præparatoria.

Primum præambulum est historia, quæ est de tribus Binariis [Classibus] hominum, et unaquæque earum [Classium]

<sup>64)</sup> *De tribus Binariis hominum.* — Hisp. *De tres Binarios de hombres*; et antiqua versio *ms.* habet: *Meditatio trium Binariorum hominum*; et infra ubique *Classis* nominatur *Binarius*. Intelliguntur ergo *Classes*, quarum singulas *bini* componant. Cur *bini*? Fortasse, ut determinato tali numero minus vaga sit meditatio et repræsentatio imaginaria de hominum *Classe*. Cur non *singuli*? Fortasse, quia *singuli* non ita constituerent *Classem* hominum, et ne qua persona particularis attingi videretur. — Est autem hujus Meditationis scopus, ut voluntatis repugnantia vincatur, et homo ab illusionem sibi caveat, qua forte solo quodam pio desiderio satis se fecisse existimet. Exemplum a S. P. ponitur in primo tentationum gradu, qui est circa divitiarum cupiditatem, quia spectat deliberationem de statu paupertatis eligendo. Potest autem ac debet pro meditantis necessitate ad quemcumque alterius generis inordinatum affectum æque applicari.

acquisivit decem millia ducatorum non pure ac debite [unice] propter amorem Dei [erga Deum], et volunt omnes se salvare et invenire in pace Deum Dominum nostrum, tollendo [excutiendo] a se *pondus*<sup>65)</sup> et impedimentum, quod in affectione rei acquisitæ habent, [quominus] ad hoc [ad salutem et ad Deum in pace inveniendum perveniant].

Secundum, compositio videndo locum. Erit hic videre me ipsum, quomodo sto [stantem] coram Deo Domino nostro et omnibus ejus Sanctis, [eo animo] *ut desiderem et cognoscam* id, quod gratius sit *divinæ suæ Bonitati*.

Tertium, petere id, quod volo. Hic erit postulare gratiam ad eligendum id, quod magis sit ad gloriam divinæ suæ Majestatis et salutem animæ meæ.

Primus Binarius [prima Classis] *vellet*<sup>66)</sup> tollere [excutere] affectum, quem habet erga rem acquisitam, *ut inveniret* in pace Deum Dominum nostrum et salvare se

<sup>65)</sup> *Pondus*. — Proprie ex autographo *gravitatem*, eo scilicet sensu, quo dixit Psalmista: *Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem?* Affectio scilicet, de qua hic agitur, *pondus* est *aggravans animam*.

<sup>66)</sup> *Vellet*. — Ita ex autographo, non: *vult*. Non *optat* vere, sed *optaret*.

*sciret* [posset], et non ponit media usque ad horam mortis.

Secundus [secunda Classis] vult tollere [excutere] affectum, sed ita vult eum tollere [excutere], ut [tamen] maneat cum re acquisita, ita *ut Deus veniat eo, quo vult ipse* [homo], et non resolvit se ad rem relinquendam, *ut ad Deum eat, etiamsi* hic status *sibi* futurus esset optimus.

Tertius [tertia Classis] vult tollere affectum, sed ita illum vult tollere, ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam vel non retinendam; sed vult *solum* velle illam vel nolle, prout Deus Dominus noster ipsi dabit velle, et [prout] personæ tali melius videbitur ad servitium et laudem divinæ suæ Majestatis; et interea *vult reputare* [ita existimare], quod omnia relinquat in affectu,<sup>67)</sup> *vires intendendo*, ut neque illam

<sup>67)</sup> *In affectu.* — Ita quidem et in autographo hisp. habetur et in versione *ms.*; nec S. P., qui utroque exemplari, ut sæpe jam monuimus, usus est, lectionem hanc emendavit. Non possum tamen, quin irrepsisse hoc loco errorem suspicer, et scriptum primitus a S. P. nostro fuisse existimem: *in effectu.* — Hæc enim *tertia Classis* eam animi dispositionem exhibere censetur, quam hoc Exercitio quærimus, quamque in primo



rem neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit *solum* servitium Dei Domini no-

præambulo S. P. exponet, nempe ut *tollatur impedimentum, quod ex affectione rei acquisitæ habetur*. Agitur enim in hac Classe de eo, qui *ita vult affectum tollere, ut non teneatur affectione ad eam retinendam vel non retinendam*. Jam vero hæc animi dispositio a tali affectione libera, non satis exprimi videtur, cum dicitur: VULT REPUTARE, *quod omnia relinquat* IN AFFECTU; minus enim est VELLE REPUTARE, *quod omnia relinquat* in AFFECTU, quam non *teneri affectione* ulla. Incohærenter itaque procederet, dum *vellet reputare* seu sibi animo fingere se habere id, quod jam censetur reipsa habere; et ad firmandum *interea* animum, donec voluntas Domini sibi innotescat, uteretur medio, quod minus valeret quam ipsa actualis ejus animi dispositio. Quid enim ad hoc valeret illud: *vult reputare, quod omnia relinquat in affectu*? Valet autem plurimum, si legatur: *In effectu*. Sic enim perfecta animi dispositio ejusque in meliora et perfecta conatus exprimitur. Atque huic lectioni respondet, quod infra dicitur: ad *rem* SUMENDAM, sic enim est in hisp.; non *retinendam*, ut habet vulgata versio. Supponitur scilicet rem fuisse jam, quantum ad animi propositum, non *in affectu* solum, sed et *in effectu* relictam. — Hac ratione *tertia* hæc *Classis* efficacissime *affectum* omnem tollere nititur, dum, ne sibi ipsa illudat (quoniam de proprio affectu sat

stri; ita ut *desiderium, ut melius possit*<sup>68)</sup> servire Deo Domino nostro, illum mo-

secure judicare vix possumus), proponit sibi, imo ita *reputat* vel certe *reputare vult* se omnia relinquere *in effectu*, et hanc animi sui dispositionem ita firmat, ut non nisi Divino obsequio id postulante ea, quæ sic reliquit, *sumere* seu iterum admittere, in animum inducere velit. Itaque:

*Prima Classis* vellet affectum noxium tollere; sed, cum nihil velit facere, nil sacrificare, ut hoc bonum obtineat, non potest dici velle revera. *Vellet* quidem, non *vult*.

*Secunda Classis* vult affectum tollere et aliqua etiam adhibere media parata est, ita tamen, ut *effectu* rem relinquere nolit. *Vult*, sed imperfecte.

*Tertia Classis* vult omnino tollere affectum; et ut tollat, parata est etiam *effectu* rem relinquere et hoc ipsum sibi proponit, imo *reputare vult*, id re ipsa se exsequi. Hæc *vult* plene ac perfecte.

Mire juvat hæc Meditatio, ut homo exploret animum suum, *tentet seipsum*, ut Apostolus loquitur, quo ab illusionem caveat; eumque *animum ab affectione* noxia liberum concipiat, qui est hujus Meditationis proprius scopus et præparatio ad Electionem recte instituendam.

<sup>68)</sup> *Desiderium, ut melius possit*. — Ex autographo verteretur ad verbum italice: *il desiderio di poter meglio servire*; gallice: *le désir de pouvoir mieux servir*.

veat ad rem *sumendam* vel relinquentem.

Facere eadem tria colloquia, quæ facta sunt in contemplatione præcedenti de duobus Vexillis.

Notandum est,<sup>69)</sup> quod, quando nos sentimus affectum vel repugnantiam *con-*

<sup>69)</sup> *Notandum est* etc. — Maximi momenti est hoc *Notandum* S. Patris, qui etiam infra sæpius ad illud nos remittit. Agitur enim in illo de modo vincendi *repugnantiam*, quam quis in se sentiat, quominus ad ea, quæ meliora sibi cognoverit, amplectenda se determinet. Scilicet orationi insistendum tunc est, et petere a Domino debemus quamvis inviti, quamvis veluti cum timore ne exaudiamur, petere tamen et instanter petere nosque ipsos quamvis repugnantes protestari promptos ad ea, quæ Dominus velit. Neque est exigui meriti aut parum efficax hujusmodi oratio, cujus ipse Dominus in Horto agonizans exemplum nobis dare dignatus est. — Non est ergo omittendum triplex colloquium propterea, quod talia desideria non sentiamus: sed contra, magis etiam tunc colloquio triplici eo modo, quo in hoc Notando monemur, insistendum. Vide etiam inter 20 Annotationes decimam sextam. Ceterum eo magis commendanda est hæc praxis, quod plerumque illud, a quo illam sentimus *repugnantiam*, illud ipsum sit, quod a nobis Dominus requirit, ut Ipsum *inveniamus in pace*, quemadmodum in primo præambulo dicitur.



*tra paupertatem actualem*, quando non sumus indifferentes ad paupertatem vel divitias, multum juvat [hominem] ad extinguendum talem affectum inordinatum, petere *in colloquiis*, (etiamsi sit contra carnem [s. carnis sensum]), ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem, et [protestari] *se [id] velle*, petere et supplicare, dummodo sit servitium et laus divinæ ejus Bonitatis.

### QUINTA DIE

*contemplatio de profectione Christi Domini nostri a Nazareth ad flumen Jordanem, et quomodo fuit baptizatus. Infra [inter Mysteria Vitæ Christi Domini nostri].*

Hæc contemplatio fiet *semel* media nocte et *iterum* in aurora et duæ repetitiones super eadem [fient] ad horam Missæ et Vesperarum, et ante cœnam trahere [applicare] ad illam quinque sensus; in unoquoque ex his quinque Exercitiis præmittendo solitam orationem præparatoriam et tria præambula, sicut *hæc omnia declarata sunt* in contemplatione de Incarnatione et Nativitate, et finiendo cum tribus colloquiis <sup>70)</sup> [meditationis] de

<sup>70)</sup> Diligenter notetur id, quod hoc loco dicitur de *colloquiis tribus* semper iterandis, et de *Nota, quæ sequitur post tres Classes*,

tribus Binariis [Classibus], vel juxta notam quæ sequitur post Binarios [Classes].

Examen particulare post prandium et post cœnam fiet de defectibus et negligentis circa *Exercitia* et Additiones hujus diei, et sic in iis [diebus], qui sequuntur.

### *SEXTA DIE*

contemplatio, quomodo Christus Dominus noster ivit a flumine Jordane ad Desertum inclusive: servando *in omnibus*<sup>71)</sup> eandem formam, quæ in quinta [die servata est].

præ oculis habenda. *Notam* hanc intellige *Notandum* illud, de quo in superiori n. 69. — Cur autem S. P. et hic et alibi passim remittit ad formam trium colloquiorum positam in fine meditationis de tribus Classibus? Cur non potius ad eam, quæ ponitur in fine meditationis de duobus Vexillis, ubi multo fusius eadem colloquiorum forma exponitur? Idque, cum in meditatione de Classibus ad præcedentem de Vexillis ipse remittat? — Fortasse, ut hac occasione *Notam* istam adjectam in fine Classium, quæ sane momenti est maximi, frequenter in memoriam revocet ejusque usum nobis commendet.

<sup>71)</sup> *In omnibus* — etiam *in tribus colloquiis, et juxta Notam, quæ sequitur post tres Classes . . . .* Atque hoc intelligendum etiam de sequentibus diebus.

*SEPTIMA DIE*

Quomodo S. Andreas et alii secuti sunt Christum Dominum nostrum. Infra [inter Mysteria].

*OCTAVA DIE*

De sermone in monte, qui est de octo Beatitudinibus. Infra [ibid.].

*NONA*

Quomodo Christus Dominus noster apparuit suis Discipulis super undas maris. Infra [ibid.].

*DECIMA*

Quomodo Dominus prædicabat in Templo. Infra [ibid.].

*UNDECIMA*

De resurrectione Lazari. Infra [ibid.].

*DUODECIMA*

De die Palmarum. Infra [ibid.].

Prima nota est, quod in contemplationibus hujus secundæ hebdomadæ, prout unusquisque vult temporis [plus vel minus] impendere, *vel* prout profectum fa-



ciat, *potest extendere vel abbreviare* [hebdomadam]: si extendere [voluerit, fiet] sumendo *Mysteria Visitationis Dominæ nostræ ad sanctam Elisabeth, Pastores, Circumcisionem pueri Jesu et tres Reges, et sic de aliis*; et si abbreviare [voluerit, poterit] etiam subtrahere [omitere] ex illis [Mysteriis], quæ [supra] posita sunt: quia hoc est<sup>72)</sup> [tantum] dare introductionem quamdam *et modum* ad

<sup>72)</sup> *Quia hoc est (tantum)*. — Licet in autographo non habeatur τὸ *tantum*, habetur tamen ut in vulgata ita et in antiqua versione *ms.*; itaque et nos posuimus, cum ex contextu omnino videatur subintelligendum. Sensus est, liberum relinqui, plura sive pauciora ex indicatis Mysteriis contemplanda assumere, quia hæc proposita sunt solummodo velut introductionis loco et ut formam præbeant ac modum, quo contemplandi usus acquiratur; qui postea tum in Exercitiis sequentibus tum etiam post completa Exercitia in quotidiana orandi consuetudine erit utilissimus. — Sive ergo plura sive pauciora *Mysteria* nunc assumat, poterit ea exercitans *postea*, etiam post Exercitia, *magis complete* contemplari: dummodo hanc *introductionem et modum* addiscat, *Mysteria Vitæ Christi* contemplandi per personas, verba, opera et certo quodam ordine certa que methodo, cum tribus illis colloquiis etc., prout in Libello proposita sunt.

*postea melius et magis complete contemplandum.*

Secunda, materia Electionum inchoabitur a contemplatione [discessus Christi] a Nazareth ad Jordanem inclusive, id est, quinta die, [tractabitur autem materia Electionum] prout in sequentibus declaratur.

Tertia, antequam *quis ingrediatur in Electiones, ut afficiatur*<sup>73)</sup> ad veram Christi Domini nostri doctrinam, multum juvat considerare et *advertere* ad tres

---

<sup>73)</sup> *Ut . . . . afficiatur.* — Intellige ex autographo, ut ad veram Christi doctrinam magno *affectu* æstimandam et amandam perducatur, hoc enim significat verbum hispanum: *affectarse*. — Nota diligenter proprium scopum considerationis hujus *de tribus Modis humilitatis*, bene distinctum ab illo, qui in Meditatione *de tribus Binariis* propositus est. Vide supra n. 64 itemque n. 67 sub finem. — In illa agebatur potissimum de dispositione animi ad tollendum *omne* impedimentum. In hac *de tribus Modis humilitatis* animus provocatur ad generosam Christi sequelam in rebus maxime arduis *magno affectu* amplectendam. Certe *tertio Modo humilitatis* nihil est altius aut perfectius in animi dispositione ad eligendum et sectandum, quidquid est in perfectione summum.

sequentes Modos<sup>74)</sup> [s. species] humilitatis, et considerando eas identidem [aliquibus temporum spatiis] per totam diem, et item faciendo colloquia, prout infra dicetur.

Primus Modus humilitatis *est necessarius ad salutem æternam, scilicet quod ita me demittam et ita me humiliem, quantum possim, ut in omnibus obediam legi Dei Domini nostri, adeo ut, etiamsi me constituerent dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro [conservanda] propria vita temporali, non veniam<sup>75)</sup> [non inducar] in de-*

<sup>74)</sup> *Modos (s. species).* — Antiqua versio *ms.* vertit *species*. Ita et infra: *Prima species humilitatis.*

<sup>75)</sup> *Non veniam (non inducar) in deliberationem transgrediendi.* — Ita ex autographo clarius exprimitur agi non tam de *actu* quam de *habitu* seu de animi dispositione. Illa etiam particula, *quantum possim*, quam vulgata versio omisit, sed quæ habetur in autographo, redundaret, si de peccato mortali *actu* non committendo ageretur. Quis enim posset unquam vere dicere: *non possum non peccare mortaliter?* Sed cum de ea animi dispositione agatur, qua ita divinæ legi me submittam, ut ne *deliberem* quidem de ea transgredienda, quacumque oblata tentatione, etiam gravissima, recte dicitur: *quantum possim, ita sim animo paratus.*



gis] Christum Dominum nostrum, *utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere*

*Christo paupere quam divitias* etc., addito in unaquaque singillatim exemplo Christi Domini, longe majorem habet efficaciam et unctionem.

Exemplo illustrari tres humilitatis Modos operæ pretium fuerit. Sit ergo sequens:

Læsus sit aliquis graviter in fortunis suis vel in honore.

*Primo humilitatis Modo* — nolet ullo pacto jus suum vindicare, si absque *peccato mortali* id consequi non possit.

*Secundo humilitatis Modo* — neque *veniali* volet committere, ut jus suum prosequeretur.

Ubi vero possit illud vindicare *absque ullo peccato*:

*Tertio humilitatis Modo* — damna sua lucra putabit in Christo, infamiam honorem; nec vindicabit, sed tacens et gaudens in Domino feret, *dummodo gloria Dei æqualis sit*, i. e. dummodo nec officii ratio neque ulla alia obligatio neque alia justa consideratio postulet, ut jus suum prosequatur. — Talis obligatio si existat, jam *non erit æqualis gloria Dei*; itaque defendet se legitime nec propterea violabit propositum *tertii Modi humilitatis*, sancta hæc sensa servans in corde suo, animumque ita dispositum gerens, ut, si forte, ut non raro accidit, justa defensio effectu careat, non modo patienter

*quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis quam honores; et magis desidero æstimari vanus [insipiens; inutilis] et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam [æstimari] sapiens ac prudens in hoc mundo.*

Itaque pro eo, *qui desiderat hanc tertiam humilitatem*<sup>78)</sup> *obtinere*, multum

ferat, sed *duplici* honore se dignatum in Christo et cum Christo gratuletur.

Ceterum, ut hoc obiter moneam, primus et secundus humilitatis Modi perfectam complectuntur *indifferentiam* et carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani *rebellionis* impugnationem omnimodam supponunt; tertius hic neque *indifferentia* neque impugnatione *rebellionis* contentus est, sed omnino in omnibus *agere contra* naturæ inclinationem docet idque *pure ob majorem Christi imitationem ac similitudinem*; itaque castissimum continet amorem Christi Regis et in hoc amore totus fundatur; ac mirifice cohæret cum exercitio de Regno Christi, quod est veluti Fundamentum Exercitiorum post primam hebdomadam, ut suo loco notavimus. Vide ibi Notam ad tertium punctum applicationis, n. 5.

<sup>78)</sup> *Qui desiderat* etc. — Ex autographo non omnibus promiscue sed iis, *qui desiderant* ad tam perfectam humilitatem pertinere, qui scilicet Christi Regis sui amore succensi et hujus tantæ perfectionis pulchri-

gis] Christum Dominum nostrum, *utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere*

*Christo paupere quam divitias* etc., addito in unaquaque singillatim exemplo Christi Domini, longe majorem habet efficaciam et unctionem.

Exemplo illustrari tres humilitatis Modos operæ pretium fuerit. Sit ergo sequens:

Læsus sit aliquis graviter in fortunis suis vel in honore.

*Primo humilitatis Modo* — nolet ullo pacto jus suum vindicare, si absque *peccato mortali* id consequi non possit.

*Secundo humilitatis Modo* — neque *veniali* volet committere, ut jus suum prosequeretur.

Ubi vero possit illud vindicare *absque ullo peccato*:

*Tertio humilitatis Modo* — damna sua lucra putabit in Christo, infamiam honorem; nec vindicabit, sed tacens et gaudens in Domino feret, *dummodo gloria Dei æqualis sit*, i. e. dummodo nec officii ratio neque ulla alia obligatio neque alia justa consideratio postulet, ut jus suum prosequatur. — Talis obligatio si existat, jam *non erit æqualis gloria Dei*; itaque defendet se legitime nec propterea violabit propositum *tertii Modi humilitatis*, sancta hæc sensa servans in corde suo, animumque ita dispositum gerens, ut, si forte, ut non raro accidit, justa defensio effectu careat, non modo patienter



*quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis quam honores; et magis desidero æstimari vanus [insipiens; inutilis] et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam [æstimari] sapiens ac prudens in hoc mundo.*

Itaque pro eo, *qui desiderat hanc tertiam humilitatem*<sup>78)</sup> *obtinere*, multum

ferat, sed *duplici* honore se dignatum in Christo et cum Christo gratuletur.

Ceterum, ut hoc obiter moneam, primus et secundus humilitatis Modi perfectam complectuntur *indifferentiam* et carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani *rebellionis* impugnationem omnimodam supponunt; tertius hic neque *indifferentia* neque impugnatione *rebellionis* contentus est, sed omnino in omnibus *agere contra naturæ* inclinationem docet idque *pure ob majorem Christi imitationem ac similitudinem*; itaque castissimum continet amorem Christi Regis et in hoc amore totus fundatur; ac mirifice cohæret cum exercitio de Regno Christi, quod est veluti Fundamentum Exercitiorum post primam hebdomadam, ut suo loco notavimus. Vide ibi Notam ad tertium punctum applicationis, n. 5.

<sup>78)</sup> *Qui desiderat etc.* — Ex autographo non omnibus promiscue sed iis, *qui desiderant* ad tam perfectam humilitatem pertinere, qui scilicet Christi Regis sui amore succensi et hujus tantæ perfectionis pulchri-

[ad hoc] prodest facere tria colloquia *de Binariis* [Classibus]<sup>79)</sup> jam dicta [v. dictis] petendo, ut Dominus noster *velit ipsum eligere ad hanc tertiam, majorem et meliorem humilitatem, quo magis eum imitetur ac* [melius ei] *serviat, si* [v. dummodo] æquale aut majus fuerit servitium et [æqualis aut major] laus divinæ suæ Majestatis.

tudine capti ad eam consequendam anhelant, qui uno verbo *insignes esse volunt* in Christi servitio, prout in contemplatione de Regno Christi dictum est; his medium hoc triplicis colloquii proponitur. Donum enim est singulare, *datum vere optimum, donum perfectum, quod desursum est* nec nisi multa et humili prece obtinendum: ita tamen, ut oratio hæc, petitio, postulatio per triplex colloquium *multum* quidem *juvet* nec tamen sola sufficiat, nisi nostra etiam exercitatio et generosa nostri victoria accedat. Eos porro, qui ad præclarum hanc humilitatem perducere vere *desiderant*, meminisse necesse est tertium hunc Modum supponere primum et secundum, ut S. P. N. clare enuntiat; ne qui absque serio studio assequendi et inviolabiliter servandi primum et secundum ad tertium adspiret vel potius adspirare sibi videatur, vane sibi blandiatur seque ipse illudat.

<sup>79)</sup> *Tria colloquia de Binariis.* — Vid. notam 70 supra, ubi indicatur, cur potius ad tria colloquia de *Binariis* seu *Classibus*, quam ad ea de Vexillis S. P. nos remittat.

*PRÆAMBULUM*  
*ad Electionem faciendam.*

In omni bona Electione,<sup>80)</sup> quantum est ex parte nostra, oculus intentionis nostræ debet esse simplex, *unice* spectando finem, ad quem creatus sum, scilicet ad laudem Dei Domini nostri et salutem animæ meæ; quapropter quidquid ego eligam, debet esse *ad hoc* [s. ad hoc dirigi], *ut* me juvet ad finem, ob quem creatus sum: non ordinando neque trahendo finem ad medium, sed medium ad finem: sicut accidit, ut multi eligant *primo* uxorem ducere, id quod est medium, et *secundario* in statu conjugali Deo Domino nostro servire, quod, [scil.] servire Deo est finis. Similiter sunt alii, qui *primo* volunt habere beneficia [Ecclesiastica] ac *postea* servire Deo in illis. Itaque hi non recta tendunt ad Deum, sed volunt ut Deus recta veniat ad ipsorum inordinatas affectiones, et consequenter *ex fine faciunt medium et ex medio*

<sup>80)</sup> *In omni bona Electione, etc.* — Totum hoc præambulum, seu præludium, ad Electionem faciendam, ex autographo simplicius est, clarius, efficacius ad scopum a S. P. N. intentum, quam in vulgata versione.



*finem*; ita ut, quod *priori loco* assumere deberent, *posteriore loco* assumant. *Primum* enim debemus pro objecto ponere velle [nos] servire Deo, id quod est finis et *secundario* beneficium assumere vel uxorem ducere, si id *magis* mihi conveniat, id quod est medium ad finem. *Nihil* ergo debet me movere ad hæc vel illa media assumenda aut ad ea relinquenda, nisi *solum* servitium et laus Dei Domini nostri et salus æterna animæ meæ.

*Ad accipiendam notitiam*, quibus de rebus fieri debeat Electio [*proponitur sequens consideratio*], et continet in se quatuor puncta et notam unam.

Primum punctum, necessarium est, ut omnia, *de quibus volumus Electionem facere*, sint indifferentia aut bona in se, quæque militent intra sanctam Matrem Ecclesiam Hierarchicam, et non *mala, neque huic [Ecclesiæ] repugnantia*.

Secundum, sunt quædam, quæ cadunt sub Electionem immutabilem; qualia sunt Sacerdotium, Matrimonium etc.; sunt alia, quæ cadunt sub Electionem mutabilem, cujusmodi est accipere beneficia [Ecclesiastica] vel ea relinquere, accipere bona temporalia vel ea *abjicere*

Tertium, in Electione immutabili, quæ jam semel facta est [executioni mandata], non est amplius quod eligatur; *quia non potest dissolvi, sicut est Matrimonium, Sacerdotium* etc. Hoc tantum advertendum est, ut si [quis] non fecit Electionem *debite et ordinate* absque affectionibus *inordinatis*, [hujus erroris] *pœnitens* procuret *bonam vitam agere* in sua Electione; quæ Electio non videtur esse [fuisse] vocatio divina, cum sit [fuerit] Electio *inordinata* et obliqua: quemadmodum multi in hoc errant facientes [fingentes sibi] ex obliqua vel ex mala Electione vocationem divinam; quia *omnis* vocatio divina est semper pura et munda, sine admixtione carnis neque *alterius cujusdam affectionis inordinatæ*.

Quartum, si quis Electionem fecit debite et ordinate rerum, quæ sunt sub Electione mutabili, et non accedendo [non adhærendo] ad carnem neque ad mundum, non est cur *denuo faciat* Electionem, sed in illa [statuat] *perfectum se reddere quantum possit*.

Nota: advertendum est, quod si talis Electio mutabilis non fuit facta sincera et bene ordinata, tunc expedit Electionem *debite facere* [instituire], *si quis deside-*

*ret,*<sup>81)</sup> ut *ex se* proveniant fructus *insignes et valde grati* Deo Domino nostro.

<sup>81)</sup> *Si quis desideret, ut ex se proveniant* etc. — *ex se*, i. e. ex vitæ suæ statu, ex omni vita sua. — Antiqua versio *ms.* sic habet: *tunc expedit facere Electionem debitam ei, qui expedit producere fructus notabiles et gratos Deo Domino nostro.* — *Expedit* — *ei qui desideret.* — Res est consilii, non præcepti. *Si vis perfectus esse.* — Præterea notandum est multos esse homines, quibus facultas eligendi nulla est, qui profecto, si sua bona norint, non habent, quod hac in parte cuiquam invideant. Sane beatus, cujus omnis vitæ ratio, omnes adeo actiones ita sunt determinatæ, necessitate vel imperio, ut quid sibi agendum sit, ne inquirere quidem debeat! Hinc est scilicet, quod facilius et salvantur et sanctificantur pauperes quam divites, servi quam domini, et qui subsunt, quam qui præsent; quia præter alia multa commoda minus illis est periculum errandi in *agnoscenda Dei erga se voluntate*, quippe quæ ipsis jam ipso facto conditionis suæ satis est manifesta. Alii multa consideratione sæpe vix eo pertinent, quo simplices illi et humiles Christiani et minimi in hoc mundo quasi aliena manu ducti nec ipsi advertentes perveniunt; illi speculativi, hi practici. — Ceterum cui facultas est eligendi et ardens salutis et perfectionis desiderium, quanto gravius est Electionis negotium, eo illud studiosius et gene-



*Tria tempora ad faciendam sanam et bonam Electionem in unoquoque ex illis.*

Primum tempus est, quando Deus Dominus noster ita *movet et attrahit* voluntatem, ut, quin dubitet nec dubitare possit talis anima *devota*, sequatur id, quòd [sibi] ostensum est, quemadmodum S. Paulus et S. Matthæus fecerunt in sequendo Christo Domino nostro.

Secundum, quando sumitur [percipitur] *multum*<sup>82)</sup> claritatis et cognitionis *per experientiam consolationum et desola-*

*rosiore animo aggrediatur, quo fructus ex se insignes ad Dei gloriam majorem producat.*

<sup>82)</sup> *Multum.* — Ita ex autographo. Sic etiam antiqua versio *ms.* habet: *multum claritatis et cognitionis.* — Quod hoc loco habet vulgata versio: *docente id aliquo consolationum . . . experimento, tò aliquo* deest in autographo: neque enim existimandum est unum, alterumve solum consolationis vel desolationis experimentum sufficere posse. Frequens requiritur hujusmodi experimentum, ut ex eo *multum* habeatur *claritatis et cognitionis* ad Electionem prudentem concludendam in hoc secundo tempore. S. P. etiam non dicit *experimentum*, quod vel unicum dici potest, sed *experientiam*, quæ plura experimenta facta seu habita esse supponit.

*tionum* et per experientiam discretionis diversorum spirituum.

Tertium tempus est *tranquillum*, [quando] considerans [quis] *primo*, ad quid natus sit homo, scilicet ad laudandum Deum Dominum nostrum et ad salvandam animam suam, *et hoc desiderans* eligit ut medium [ad hunc finem] vitam aliquam seu statum intra limites Ecclesiæ, ut [eo] juvetur in servitio Domini sui et salvatione animæ suæ.

*Dixi tempus tranquillum*, quando anima *non agitatur* diversis spiritibus, *et potentiis* suis naturalibus utitur libere *et tranquille*.

Si in primo vel secundo tempore non fit Electio, sequuntur circa hoc tertium tempus duo modi ad illam faciendam.

*Primus Modus ad faciendam sanam et bonam Electionem continet in se sex puncta.*

Primum punctum est proponere [mihi] ante oculos rem, super qua volo facere Electionem, verbi gratia officium vel beneficium, quod acceptandum sit vel relinquendum, vel aliam rem quamcumque,<sup>83)</sup> quæ cadat sub Electionem mutabilem.

<sup>83)</sup> *Vel aliam rem quamcumque.* — Ex his verbis patet, regulas istas ad faciendam

Secundum, necesse est *tenere pro ob-  
jecto* finem, ob quem creatus sum, qui  
est, ut laudem Deum Dominum nostrum  
et *salvem* animam meam; et *simul*<sup>84)</sup>

bonam Electionem non restringi ad solam  
Electionem status, sed ad alia *quæcumque*,  
quæ in deliberationem venire possunt, per-  
tinere. Et vero uterque *Modus*, quem hoc  
loco S. P. accuratissime tradit, omni homini  
spirituali suæque perfectionis studioso, ma-  
xime vero Superioribus religiosi familiaris  
esse debet, ut *ad MAJOREM Dei gloriam* se  
suaque ac suos recte dirigant. Novimus  
etiam Sanctum Parentem hisce Electionis  
modis perpetuo usum fuisse, cum Constitu-  
tiones Societatis conscriberet itemque cum  
de negotiis gravioribus deliberaret. Præ-  
clara habemus exempla hujusmodi delibera-  
tionum in Historia Societatis, v. g. P. 1.  
Lib. 2 n. 59 et seqq., ubi describitur, qua  
ratione inter primos Patres per Electionis  
modum disceptatum sit, essentne obedientiæ  
vinculo inter se conjungendi nec ne; cujus  
quidem deliberationis documentum egregium  
exstat ab omnibus illis Patribus subscrip-  
tum, quod miro plane modo post Societatis  
cladem repertum ac Domui nostræ restitutum  
in Sancti Patris sacello asservatur ac  
visitur.

<sup>84)</sup> *Et simul.* — Ita autographum, littera-  
liter: *cum hoc*, quod etiam intelligi posset:  
*hoc posito, proinde.* Antiqua versio *ms.* sic  
habet: *quin etiam oportet me esse indiffe-*



*invenire* [sentire] *me indifferentem, sine affectione ulla inordinata*: ita ut non sim magis inclinatus *neque affectus* [magis] ad acceptandam rem propositam quam ad eam relinquendam, neque magis ad relinquendam illam quam ad acceptandam; *sed ut me inveniam* [habeam] veluti in stilo stateræ [in æquilibrio] ad sequendum id, quod *sensero* esse magis in gloriam et laudem Dei Domini nostri et salvationem animæ meæ.

Tertium, petere a Deo Domino nostro, ut velit movere voluntatem meam et *ponere in anima mea*<sup>s5)</sup> id, quod ego

*rentem*. Duo distincte in hoc puncto requiruntur tamquam *præambula* simulque conditiones omnino necessariæ, sine quibus scilicet nulla spes esse potest bonæ Electionis: 1. proponere finem: 2. indifferentem se habere ad media. — Notandum autem, hoc loco dici, non ut in Fundamento: *reddere* seu *facere me indifferentem*, sed: *habere* seu, ut proprie sonat autographum: *invenire me indifferentem*. Hic enim conatus acquirendæ indifferentiæ non sufficit, sed ipsa indifferentia prærequiritur ad Electionem recte faciendam.

<sup>s5)</sup> *Ponere in anima mea*. — Antiqua versio *ms.* habet: *suggerere animæ meæ*. — Tamen illud: *ponere in anima mea* mira simplicitate sua se commendat; nec solum significat *suggerere* seu indicare *intellectui*

facere debeo circa rem propositam, *quod magis sit in laudem et gloriam suam*, discurrendo [i. e. ut discurram] bene et fideliter intellectu meo et eligendo [et ut eligam] conformiter ad suam sanctissimam et *beneplacentem* voluntatem.

sed etiam *inducere voluntatem*, scilicet, efficere ut res aliqua *sit in anima*, id est, ut tota anima intellectu simul et voluntate rem complectatur. — Atque explicat S. P. mentem suam in sequentibus: *discurrendo et eligendo*, seu *ut discurram et eligam*. — Scilicet petenda est gratia duplex, ut alias passim S. P. docet, nempe gratia *illustrationis*, ut bene ac fideliter intellectu *discurram* seu ratiociner, et gratia *piæ motionis*, ut voluntate *eligam*, quod melius esse cognovero. — *Secundum Dei voluntatem*, nec solum secundum ejus *voluntatem* sed et secundum ejus *beneplacitum*, quod est de majori perfectione. — Fortasse etiam notatu indignum non est, quod cum vulgata versio dicat: *mentem instruere et impellere voluntatem*, autographum ordine inverso habeat: *movere voluntatem meam et ponere in anima mea vel suggerere animæ meæ*. Cur ita S. P.? Fortasse, quia pia *voluntatis motio* non solum necessaria est *ad eligendum*, quod per *illustrationem* cognovero, sed etiam ipsum *intellectus discursum præcedere* debet. Nisi enim voluntas pie mota sit, applicatio intellectus nec serio fiet nec recte.

Quartum, considerare *rationando*, quot commoda vel utilitates mihi prove-  
niant, si habeam officium vel beneficium  
propositum, ad *solam laudem Dei Do-  
mini nostri et salutem animæ meæ*;<sup>86)</sup>  
et e contrario considerare similiter in-  
commoda et pericula, quæ sint in eo  
habendo: tantumdem faciendo in secunda  
parte, scilicet videre commoda et utili-  
tates in eo non tenendo; et similiter e  
contrario, incommoda et pericula in eo  
item non tenendo.

Quintum, postquam ita discurre et ra-  
tionatus sum in omnes partes super re  
proposita, videre *quam in partem ratio  
magis se inclinet*: et ita secundum ma-

---

<sup>86)</sup> *Ad solam laudem* etc. Repetitur sem-  
per distincte et inculcatur, nihil aliud nisi  
*solam* Dei laudem et animæ salutem præ  
oculis habendum esse in inquirendis, consi-  
derandis, ponderandis commodis vel incom-  
modis etc.; ita scilicet, ut nonnisi eorum  
commodorum vel incommodorum ratio ha-  
beatur, quæ juvent vel impediunt AD LAUDEM  
DEI ET SALUTEM ANIMÆ, neque alia quæcum-  
que spectentur commoda vel incommoda,  
nisi quatenus forte ad FINEM CREATIONIS no-  
stræ referantur. Quod enim aliquid vel pla-  
ceat naturæ vel displiceat, commodum sit  
sensui vel incommodum, per se quidem ad  
hanc deliberationem nihil refert.



jorem motionem rationalem et non [secundum] motionem ullam sensualem debet fieri deliberatio super re proposita.

Sextum, facta tali Electione seu deliberatione, debet is, qui eam fecit, ire *multa cum diligentia* ad orationem ante conspectum Dei Domini nostri et offerre illi talem Electionem, *ut divina sua Majestas velit illam recipere et confirmare,*<sup>87)</sup> *si majus ejusdem servitium et laus fuerit.*

*Secundus Modus ad faciendam sanam et bonam Electionem continet in se quatuor regulas et unam notam.*

Prima [regula] est, ut ille amor, qui me movet et me eligere facit rem talem, descendat desursum ex amore Dei: ita ut ille, qui eligit, sentiat *primum* in se, quod ille amor, quem plus aut minus habet erga rem, *quam eligit*, sit unice propter suum Creatorem ac Dominum.

Secunda, spectare [proponere mihi] hominem aliquem, *quem nunquam vide-*

---

<sup>87)</sup> *Ut divina sua Majestas . . . , si . . .*  
 Hæc ultima conditio etiam nunc apponitur; quia quantumvis diligenter discussa res fuerit, potest tamen surrepsisse error aut deceptio.

*rim neque cognoverim,*<sup>88)</sup> et desiderando ejus omnem perfectionem considerare quid ego illi dicerem faciendum et eligendum ad majorem gloriam Dei Domini nostri et majorem perfectionem animæ suæ: et faciendo similiter [pro me ipso] servare regulam, quam pro altero pono.

Tertia, considerare, ac si essem in articulo mortis, formam ac mensuram, quam tunc vellem tenuisse in modo præsentis Electionis: et regulando me secundum illam [formam] faciam [ita] *omnino*<sup>89)</sup> meam determinationem.

Quarta, attendendo et considerando, qualem me inventurus sim [quo animo sim futurus] in die Judicii, cogitare, quo-

<sup>88)</sup> *Quem nunquam viderim neque cognoverim.* — Ita ex autographo, vel: *antea ignotus et nunquam plane visus*, ut habet lectio vulgata correctæ. Revera enim, quod illa habebat: *amicissimus*, deliberantem periculo *affectionis humanæ* exponit, quæ omnino abesse debet; in *ignoto* contra ac *nunquam plane viso* facilius desiderari *omnis perfectio* puro animo potest, absque admixtione ullius humanæ affectionis.

<sup>89)</sup> *Omnino.* — Ex autographo *in omnibus.* — *Faciam* autem in autographo non est futuri temporis sed præsentis conjunctivi, ut sensus sit: *faciam necesse est.*

modo tunc vellem deliberasse circa rem præsentem, et regulam, quam tunc vellem tenuisse, eandem nunc assumere, ut tunc *me inveniam* [sim] *cum plena voluptate et gaudio.*

Assumptis regulis supradictis ad meam salutem et quietem *æternam*, faciam meam Electionem et oblationem Deo Domino nostro juxta sextum punctum primi Modi faciendi Electionem.

*Ad emendandam et reformandam propriam vitam et statum.*

Advertendum est, quod circa eos, qui constituti sunt in Prælatura vel in Matrimonio (sive abundant multum bonis temporalibus, sive non), ubi non habent locum vel *valde promptam voluntatem*<sup>90)</sup> faciendi Electionem rerum, quæ cadunt sub electionem mutabilem: *valde utile est* loco faciendi Electionem dare [illis] formam et modum emendandi *et reformandi* propriam vitam et statum uniuscujusque illorum, scilicet *ponendo* [firmiter tenendo ante oculos] *creationem suam, vitam et statum, ad gloriam et lau-*

<sup>90)</sup> *Valde promptam voluntatem.* — Quia qui hanc non habeat, frustra grave ac difficile hoc Electionis negotium aggredietur.



*dem Dei Domini nostri et salvationem animæ suæ propriæ; ut ad hunc finem veniat eumque assequatur, debet [tal] multum considerare et ruminare per Exercitia et Modos eligendi, prout declaratum est: quantam domum et familiam habere debeat; quomodo eam debeat regere et gubernare; quomodo eam debeat docere verbo et exemplo; similiter de suis facultatibus, quantam [partem] debeat sumere pro sua familia et domo; et quantam ad dispensandum in pauperes et in alias res pias: non volendo, neque quærendo quidquam aliud nisi in omnibus et per omnia majorem laudem et gloriam Dei Domini nostri. Cogitet enim unusquisque, tantum se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus, quantum exiverit<sup>91)</sup> [exuerit se]*


<sup>91)</sup> *Exiverit.* — Ita proprie ex autographo. Antiqua versio *ms.* habet: *quantum exspoliaverit se.* — Adverte diligenter hoc vitæ vere spiritualis ac solidæ virtutis acquirendæ axioma præcipuum. Observa et pondera relationem *tantum — quantum.* Denique magis magisque intellige, cur omnis horum Exercitiorum ratio, quod quidem ad praxim attinet, ad proprii amoris expugnationem, ad victoriam sui ipsius tamquam ad finem proximum et immediatum meditantem impellat. Quia scilicet, si fructum seu finem

a proprio suo amore, [a propria] *voluntate* et utilitate [commoditate propria].

proximum Exercitiorum (*victoriam sui*) consequatur, ultimum etiam finem, (*gloriam Dei suamque salutem ac perfectionem*) attinget: et hunc quidem ultimum *tanto* copiosius et perfectius, *quanto* plenius et generosius illi primo exercendo se tradiderit.











## [TERTIA HEBDOMADA.]



### *PRIMA CONTEMPLATIO*

*media nocte est, quomodo Christus Dominus noster perrexit a Bethania versus Hierusalem ad ultimam Cœnam inclusive. Infra [inter Mystera Vitæ Christi Domini nostri]; et continet in se orationem præparatoriam, tria præambula, sex puncta et unum colloquium.*

Solita oratio præparatoria.

Primum præambulum est, adducere [in mentem] historiam, quæ hic est, quomodo Christus Dominus noster a Bethania misit duos Discipulos in Hierusalem ad parandam Cœnam, ac dein ipse venit ad illam cum ceteris Discipulis; et quomodo, postquam comedit agnum Paschalem et cœnavit, illis lavit pedes dedit-

que sanctissimum corpus suum ac sanguinem *pretiosum* suis Discipulis; et fecit illis sermonem, postquam ivit Judas ad vendendum *Dominum suum*.

Secundum, compositio, videndo locum. Hic erit considerare viam a Bethania in Hierusalem, an lata, an angusta, an plana etc.; similiter locum Cœnæ, an amplus, an exiguus, an formæ hujus vel illius.

Tertium petere id, quod volo. Erit hic [petere] dolorem, *afflictionem* et confusionem, eo quod ob mea peccata Dominus *eat* ad Passionem.

Primum punctum est videre personas Cœnæ et, *reflectendo in me ipsum, procurare* fructum aliquem ex illis capere.

Secundum, audire ea, quæ loquuntur, et similiter aliquem fructum ex his capere.

Tertium, spectare ea, quæ faciunt, et fructum aliquem capere.

Quartum, considerare ea, quæ Christus Dominus noster patitur in humanitate vel pati vult, juxta tractum [Passionis], quem quis contemplatur; et hic incipere magno nisu et conari [excitare me] ad dolendum, tristandum et plangendum; et eo-

dem modo *laborando* [s. conando] per cetera puncta, quæ sequuntur.

Quintum, considerare, quomodo *divinitas se abscondit, scilicet* quomodo posset destruere inimicos suos et id non facit, et quomodo sinit pati *sacratissimam* humanitatem tam crudelissime [i. e. tam supra modum crudeliter et atrociter].

Sextum, considerare, *quomodo hæc omnia* patitur pro peccatis meis *etc.*; et quid debeo ego facere *et* pati pro illo.<sup>1)</sup>

Terminare colloquio ad Christum Dominum nostrum et in fine *Pater noster*.

Advertendum est, sicut superius et ex parte declaratum est, quod in colloquiis

<sup>1)</sup> Animadvertendum hoc loco est, ut in *Mysteriis* secundæ hebdomadæ adnotavimus, punctis illis de *personis, verbis, actionibus* non tam ordinem meditandi constitui, quam materiam (vid. notam n. 10, *de Incarn.*); ita tria postrema puncta, quæ in hac tertia hebdomada adjiciuntur, non sic intelligi debere, ut hæc omnino ad finem contemplationis cujusque reserventur, sed comitentur, ut ita dicam, *personarum, verborum et actionum* considerationem; scilicet, ut hæc tria puncta in promptu habeamus in decursu totius contemplationis, et ad hæc reflectamus tamquam aptissima ad fructum illum, qui hujus hebdomadæ proprius est, dolorem scilicet de pœnis Domini, colligendum.



debemus *rationari et petere* juxta subjectam materiam, scilicet prout me reperio *tentatum* vel *consolatum*, et prout desidero habere unam virtutem vel alteram; prout volo disponere de me in unam partem vel in alteram; prout volo dolere vel gaudere de re, quam contemplan: tandem petendo ea, quæ magis efficaciter circa *res aliquas particulares* desidero. Et hoc modo potest [quis] facere unum solum colloquium ad Christum Dominum nostrum, vel si *materia vel devotio* ipsum [ad hoc] moveat, potest facere *tria* colloquia, *unum* ad Matrem, *alterum* ad Filium, *tertium* ad Patrem eadem forma, prout dictum est in secunda hebdomada in *meditatione* de duobus Vexillis<sup>2)</sup> cum Nota, quæ sequitur post Binarios [Classes].<sup>3)</sup>

<sup>2)</sup> *De duobus vexillis.* — Ita omnino legendum censeo. In hispanico legitur quidem: *de los dos Binarios*, sed est evidenter mendum scriptoris; *Binarii* enim non *duo* sunt sed *tres*; cumque mox recurrat mentio *Binariorum*, hoc loco S. Auctorem scripsisse *de las dos Banderas* vix aut ne vix quidem videtur posse dubitari. — De Nota, quæ sequitur post *Binarios*, vide supra, n. 69 in secunda hebdomada.

<sup>3)</sup> In hac prima tertiæ hebdomadæ contemplatione S. Pater, ut patet, formam po-

## SECUNDA CONTEMPLATIO

*in aurora erit [de rebus gestis] a Cœna ad Hortum inclusive.*

Solita oratio præparatoria.

Primum præambulum est historia, et erit hic, quomodo Christus Dominus noster descendit cum suis undecim Discipulis ex monte Sion, ubi Cœnam fecit [fecerat], versus vallem Josaphat relinquens octo ex illis in parte una vallis

---

suit in omnibus hujus hebdomadæ contemplationibus adhibendam. Eam brevius hoc loco proponit, propterea quod, quæ ad personas, verba, actiones contemplandas pertinent, satis explicata fuere in primo Exercitio secundæ hebdomadæ. Itaque et nos ad illud Exercitium et ad Annotationes ibi positas, præsertim n. 16 remittimus. Cetera omnia perspicua sunt in ipso Libello, dummodo considerentur ac diligenter ponderentur. Copiosa item doctrina de Colloquiorum usu, quæ hic traditur, non cursim legenda aut leviter prætereunda; est enim longe utilissima; et si cum iis, quæ de eodem argumento habentur in fine primi Exercitii primæ hebdomadæ, conferantur, plena habebitur de colloquiis fructuose instituendis instructio, nobis omnibus, qui eorum usum quotidianum habere debemus saltem in matutina meditatione, peropportuna.

et caeteros tres in Horti parte, et *ponens se in oratione* sudat sudorem *tamquam guttas sanguinis*, et postquam ter fecit orationem ad Patrem et excitavit a somno tres suos Discipulos, et postquam ad vocem ejus ceciderunt inimici, et Juda eum osculante, et S. Petro abscindente auriculam Malcho, quam Christus loco suo restituit, cum comprehensus esset ut malefactor, *pertrahunt* illum per vallem *deorsum* ac dein *per declivum sursum* ad domum Annæ.

Secundum est videre locum. Erit hic, considerare viam *a monte Sion ad vallem Josaphat* et similiter Hortum, an latus, an longus, an hoc vel illo modo [situs].

Tertium, petere id, quod volo, *quod est proprium petere in Passione*, [scilicet] *dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto* [viribus, consternato], *lacrymas, pœnam internam de tanta pœna, quam Christus passus est pro me.*

In hac secunda contemplatione, postquam posita [facta] est oratio præparatoria cum tribus præambulis jam dictis, servabitur eadem forma procedendi per puncta et colloquium, quæ habita fuit in prima contemplatione de Cœna; et ad



horam Missæ et Vesperarum fient duæ repetitiones super prima et secunda contemplatione; ac dein ante cœnam trahentur [ducentur] sensus *super duas supra-dictas contemplationes*, semper præmittendo orationem præparatoriam ac tria illa præambula juxta subjectam materiam, eadem forma, ut dictum est ac declaratum in secunda hebdomada.

Prout ætas, dispositio et complexio juvat personam, quæ exercetur, faciet singulis diebus quinque Exercitia vel pauciora.

In hac tertia hebdomada mutabuntur ex parte secunda et sexta Additio. Secunda erit, statim ac excitatus fuero [a somno], proponendo mihi, quo vadam *et ad quid*, resumens paululum contemplationem, quam facere volo, *prout Mysterium fuerit*,<sup>4)</sup> adnitar, dum surgo et me vestio, ad tristandum *et* dolendum de

---

<sup>4)</sup> *Prout Mysterium fuerit.* — Non est otiosum hoc incisum. — In omnibus enim Mysteriis est quidem concipiendus dolor, varius tamen pro dolorum Christi varietate: in aliis enim Mysteriis dolores Christi interni, in aliis externi; in aliis tristitia, desolatio; in aliis ignominia; in aliis cruciatus magis contemplandi veniunt. In Crucifixo vero simul omnia in gradu summo.

tanto dolore et de *tanta pœna* Christi Domini nostri.

Sexta mutabitur non procurando adducere [non admittendo] cogitationes jucundas, licet bonas et sanctas, ut sunt de Resurrectione et Paradiso, sed imo inducendo me ipsum ad dolorem et ad pœnam et afflictionem, trahendo [ducendo] in memoriam frequenter ærumnas, labores et dolores Christi Domini nostri, quos pertulit a puncto, quo natus est, *usque ad Mysterium Passionis, in quo nunc versor.*

Examen particulare circa Exercitia et Additiones *præsentes*, fiet ita ut factum fuit in hebdomada præcedenti.

### *SECUNDA DIE*

media nocte contemplatio erit [de gestis] *ab Horto usque ad domum Annæ inclusive*,<sup>5)</sup> infra [Mysteria Jesu Christi

---

<sup>5)</sup> *Ab Horto usque ad domum Annæ inclusive.* — Ita ex autographo, tum hoc loco tum alibi passim includuntur semper a S. P. N. in contemplatione, laboriosa Domini *itiner*a, dum ab uno loco ad alium, ab uno tribunali ad alterum pertrahitur, non sine gravissima pœna et ignominia, utraque merito diligenter contemplanda.

Domini nostri]; et in aurora *a domo Annæ ad domum Caiphæ inclusive*, infra [ibid.]; et postea duæ solitæ repetitiones et applicatio sensuum eo modo, quo jam dictum est.

### *TERTIA DIE*

media nocte, *a domo Caiphæ ad Pilatum inclusive*, infra [Mysteria]; et in aurora *a Pilato ad Herodem inclusive*, ibid.; ac dein solitæ repetitiones et sensus eadem forma, qua jam dictum est.

### *QUARTA DIE*

media nocte, ab Herode ad Pilatum, ibid., faciendo [hoc Exercitium] et contemplando usque ad mediam partem Mysteriorum ejusdem domus Pilati; deinde in Exercitio, [quod fiet] in aurora, reliqua Mysteria quæ remanserunt ejusdem domus; et repetitiones et sensus, ut dictum est.

### *QUINTA DIE*

media nocte, a domo Pilati usque dum positus fuit in cruce [s. crucifixus], infra ibid.; et in aurora, ab elevatione ejus in



cruce usque dum exspiravit, ibidem; et postea solitæ duæ repetitiones et sensus.

### SEXTA DIE

media nocte, a cruce, cum deponitur, usque ad monumentum *exclusive*, ibidem; et in aurora, *a monumento inclusive usque ad domum*, in quam Domina nostra se recepit, postquam sepultus esset Filius ejus.

### SEPTIMA DIE

contemplatio totius Passionis simul in Exercitio mediæ noctis et auroræ; et duarum repetitionum ac sensuum loco considerare per totam illam diem, quam poterit [exercitans] frequentissime, quomodo corpus sacratissimum Christi Domini nostri remansit *solutum* et separatum ab anima; et ubi et quomodo sepultum; item considerando solitudinem Domini nostræ cum tanto dolore et animi afflictione; deinde ex altera parte Discipulorum [etiam] solitudinem [et mœrorem].

Notandum est, quod qui magis vult tempus producere [diutius immorari] in Passione, debet assumere in quavis contem-

platione pauciora Mysteria: scilicet in prima contemplatione Cœnam solummodo, in secunda Lotionem pedum [discipulis factam], in tertia Sacramentum illis datum, in quarta Sermonem, quem Christus illis fecit: et sic per ceteras contemplationes et Mysteria.

Item post finitam Passionem sumat uno die *integro* mediam partem totius Passionis et secundo die alteram partem et tertio die totam Passionem.

E contrario, qui voluerit magis abbreviare [tempus] in Passione [contemplanda], assumat media nocte Cœnam et in aurora Hortum, ad horam Missæ domum Annæ, ad horam Vesperarum domum Caiphæ, loco horæ ante cœnam [i. e. applicationis sensuum] domum Pilati: ita ut non faciendo repetitiones neque applicationem sensuum faciat quotidie quinque Exercitia distincta et in quovis Exercitio [contempletur] distinctum Mysterium Christi Domini nostri; et post finitam ita totam Passionem, potest facere [contemplari] alio die totam Passionem simul in uno Exercitio vel in diversis, prout magis sibi videbitur fructum percipere posse.

## REGULÆ

ad ordinandum se *in posterum in victu.*<sup>1)</sup>

Prima Regula est, quod a pane convenit minus abstinere, quia non est cibus, super quem appetitus soleat *tam inordinari* [tam inordinate ferri, modum ex-

---

<sup>1)</sup> *Regulæ etc.* — Videntur hæ Regulæ a S. Patre hoc loco positæ occasione primæ contemplationis hujus tertiæ hebdomadæ, *de Christi Domini Cæna* (Vid. Reg. 5). Certe enim hæ Regulæ non magis ad hanc tertiam hebdomadam pertinent quam ad totum Exercitiorum tempus, imo vero etiam ad omnem vitam nostram.

Multæ ex his Regulis doctrinam continent, quæ licet hic applicata ad *victum* sit, generatim tamen ad omnes actiones et affectiones ordinandas utilissime transferri potest; v. g. ut ad gulam ita ad superbiam, ad iram domandam etc. Duo notantur a S. Patre, quæ ad inordinationem in victu stimulare hominem solent, quæque proinde observare docet et expugnare, *appetitus* naturalis et *dæmonis tentatio* (Vid. Reg. 1, 3 et ult.). Eadem vero in omni alia inordinatione observari possunt ac debent; et pleraque remedia, quæ hic præscribuntur a S. Patre, æque usui erunt in alia quacumque *appetitus* ac *tentationis* materia, præsertim ea quæ habentur a Reg. 5 usque ad finem.



cedere], aut ad quem tentatio insistat [adeo impellat], uti ad ceteros cibos.

Secunda, circa potum videtur commodior [magis opportuna, necessaria magis] abstinentia quam circa *comestionem* panis: proinde multum debet considerari, quid prosit, *ut admittatur*,<sup>2)</sup> et quid noceat, ut tollatur.

Tertia, circa obsonia servari debet maxima et maxime integra abstinentia, quia tam appetitus *ad inordinationem* [excedendum modum] quam *tentatio ad investigandum*<sup>3)</sup> [ad excogitandas et quærendas lautitias] promptiores sunt in hac parte; itaque abstinentia in cibis ad *in-*

<sup>2)</sup> *Ut admittatur.* — Sane differt multum hæc expressio ab ea, quæ in vulgata versione habetur: *ut sumatur semper*. Nam, et *admittatur* minus dicit, quam *sumatur*, et *semper* abest in autographo.

<sup>3)</sup> *Ad investigandum.* — Fortasse mendum est in textu hispanico et pro *investigar* legendum *instigar*, quod certe sensum præbet planiorem. Antiqua versio *ms.* habet hoc loco: *insistere*, quod utique non respondet verbo hispanico *investigar*, bene vero *instigar*. — Similiter in prima Regula, pro *insista*, quod nunc habet textus hispanicus, omnino legendum videtur *incita*, quod idem est ac *instiga*.

*ordinationem* vitandam potest adhiberi duobus modis: primo, cum [quis] assuescat manducare cibos grossiores; altero, si delicatos [sumat] in parva quantitate.

Quarta, cavendo, *ne incidat in infirmitatem*, quanto plus quis subtraxerit de convenienti [victu], tanto citius perveniet ad *medium*,<sup>4)</sup> quod servare debet in manducando et bibendo, [idque] ob duas rationes: primo, quia sic *adjuvans sese* ac se disponens sæpe magis sentiet internas cognitiones, consolationes et divinas inspirationes, quibus ostendatur sibi *medium*, quod sibi conveniat; secundo, [quia] si persona videat se in tali abstinentia nec tantis viribus corporis *nec dispositione*, [quæ sufficiant vel aptum conservent] ad Exercitia spiritualia [peragenda], facile perveniet ad iudicandum, quid magis conveniat sustentationi corporis.

Quinta, tempore, quo quis cibum sumit, consideret, ac si videat Christum Dominum nostrum cibum sumentem cum

---

<sup>4)</sup> *Medium*. — Intellige ex autographo *viam mediam* inter excessum et defectum. — Notatu etiam dignissima est expressio illa: *adjuvans sese*.

suis Apostolis, et quomodo bibat, et quomodo respiciat, et quomodo loquatur; et *curet* eum imitari, ita ut præcipue intellectus occupetur in consideratione Domini nostri et minus in sustentatione corporis, ut ita capiat majorem *methodum*<sup>5)</sup> et ordinem circa modum, quo *se habere et gubernare* debeat.

Sexta, alias, dum cibum sumit, potest aliam considerationem adhibere vel de vita Sanctorum vel de pia aliqua contemplatione vel de aliquo negotio spirituali, quod sibi agendum sit: quia attentione defixus in re tali, *minus* sumet delectationis *et sensus* in cibo corporali.

Septima, super omnia<sup>6)</sup> caveat, ne sit totus animus suus *intentus* in id, quod

---

<sup>5)</sup> *Methodus*. — Hisp. *concierto* quasi: harmonia. Antiqua versio *ms.* vertit *formam*. — Notandum quod sequitur: *circa modum, quo se habere ac gubernare debeat*, quod latius patet neque ad solam rationem *moderandi victus* pertinet; sed respondet propositæ considerationi, quomodo Christus non modo *manducet ac bibat*, sed et quomodo *respiciat et loquatur*. Et sane in conviviiis non minori cura lingua et sensus ceteri custodiendi sunt et ab inordinatione servandi quam gustus.

<sup>6)</sup> *Super omnia*. — Merito S. P. hac utitur emphasi: *Super omnia*. Id enim præcipu-



comedit, neque in comedendo sit *festinus præ appetitu*, sed sit dominus sui tam in modo comedendi quam in quantitate, quam sumit.

Octava,<sup>7)</sup> ad tollendam [omnem] *inordinationem* [circa victum] multum juvat, *post prandium* vel *post cœnam* vel alia hora, qua non sentiat appetitum comedendi, determinare secum pro prandio vel cœna proxime futura *et ita consequenter quotidie* quantitatem, quam conveniat sumere, ultra quam neque ob appetitum quemcumque neque ob tentationem [ullam] procedat: sed imo ad magis vincendum *omnem* appetitum inordinatum

um, id *super omnia* cavendum, ne animus se effundat, sed sit dominus sui, nunquam sui impotens. Idemque in omni affectione præcipuum est, quò eniti per assiduam vigilantiam sui que victoriam quisque virtutis cultor debet.

<sup>7)</sup> *Octava.* — Regula miræ sapientiæ et ad omnem affectionem ordinandam utilissima. 1. *Tempore tranquillo prævidere* occasionem, qua inordinatio facilius possit accidere; — 2. in antecessum *statuere, quid* in ea occasione *agendum sit*, ne tentationi succumbamus, scilicet proponere tentationi contraria; — 3. quod si in occasione dein constituti acrius tentemur, etiam *plus agere*

et tentationem inimici, *si tentatur ad plus comedendum, comedat minus.*

contra illam, *quam quod prius constituera-  
mus.* Hoc scilicet est non solum *resistere*  
inimico, sed illum etiam *prosternere*, ut lo-  
quitur S. P. Ann. 13 inter 20. Hoc est *agere*  
*contra* sensualitatem, quod item plus est  
quam *resistere.* (Vide de *Regno Christi*,  
notam sub n. 5.)



Cum amplexatus recidisset in



collum Benjamin... Gen. 45, 14.



Et osculans osculatus est eum



cum amore suo. Tob 11, 11.





## [QUARTA HEBDOMADA.]

### PRIMA CONTEMPLATIO

quomodo *Christus Dominus noster apparuit* *Domine nostræ*. *Infra [vid. inter Mysteria].*

Solita oratio præparatoria.

Primum<sup>1)</sup> præambulum est historia, quæ hic est: quomodo, postquam *Christus* exspiravit in cruce, et corpus remansit separatum ab anima, et cum illo semper unita *Divinitas*, *anima beata*<sup>2)</sup> descendit

<sup>1)</sup> Hoc præambulum diligenter consideretur; præbet enim copiosam contemplandi materiam circa personas, verba, opera etc.; quæ alioqui in hac contemplatione, prout inter mysteria proponitur, jejunior videri posset.

<sup>2)</sup> *Anima beata*. — Notatu dignum est hoc epitheton *beata*, quod animæ apponitur in

ad Infernum pariter unita cum Divinitate, unde eripiens animas justas<sup>3)</sup> et veniens ad sepulchrum et resurgens apparuit benedictæ Matri suæ in corpore et anima.

Secundum, compositio videndo locum; quod hic erit videre dispositionem sancti

autographo. Et vero Christi anima momento, quo corporis soluta vinculis fuit, eodem perfecta ac plena beatitudine sibi debita perfrui cœpit. Quamquam enim propter unionem hypostaticam et gloria corpori et beatitudo animæ Christi esset debita omnino ac propria, fuit tamen etiam in Christo *corpus mortale*, maxime in passione, vero sensu *animæ ergastulum*, ex quo hæc egressa statim in ipsa morte victrix plene ac perfecte glorificata est. Et procul dubio terræ motus ceteraque illa signa, quæ Christi mortem subsecuta sunt, non minus victoriæ hujus trophæa, quam luctus creaturarum ob extinctum Salvatorem indicia fuisse censenda sunt.

<sup>3)</sup> *Animas justas.* — Omnes ac singulas participes facit triumphi et gloriæ, prout laborum participes olim exstiterunt. (*Ex Regno Christi.*) Quam multa hic se offerunt, quibus venturum Christum Patriarchæ et Prophetæ præfiguraverunt, acta præclare ac tolerata, quæ nunc a triumphatore Christo sua obtinent præmia! — Quid vero in Virgine, quæ omnium maxime laborum ac dolorum fuit particeps? — Quale huic, quale illis solatium affert Christus? Ut in quinto puncto.

sepulchri et locum seu domum Dominæ nostræ, respiciendo partes ejus in particulari, item cubiculum, oratorium etc.

Tertium, petere id, quod volo, et erit hic petere gratiam,<sup>4)</sup> ut læter et gaudeam

<sup>4)</sup> *Petere gratiam.* — Bene advertenda est gratia, quæ petenda dicitur. Est autem hæc: ut *lætetur* et *gaudeamus* idque *intense*. Qua vero de re gaudeamus? DE GLORIA ET GAUDIO CHRISTI DOMINI NOSTRI. Id quod in vulgata versione minus clare exprimitur illo verbo: *participemus*. Christum Dominum, Regem ac Ducem nostrum tam bene de nobis meritum, *gloria* et *gaudio* ineffabili fruentem contemplamur. Hæc nostræ lætitiæ vera ratio, *ex amore erga Christum Dominum*, qui amor purissimus atque sanctissimus hujus hebdomadæ præcipuus est fructus. Et vero contemplatio tantæ gloriæ Regis nostri, qui in hoc Mysterio apparet, qualis est, *gloria generis humani*, mirum in modum valet ad confirmandam in nobis et augendam æstimationem Ejus et ad Ejus amorem in nobis magis magisque accendendum itemque ad æstimationem et amorem laborum Ejus et crucis Ejus, per quam tanta parta est victoria et gloria. Unde hic *amor Christi*, quem præcipuum dicimus esse hujus hebdomadæ fructum, nequaquam sterilis est affectus, sed mire efficax ad confirmandos nos in proposito, illum sequendi et imitandi, et præcipue excitat *alacritatem* laborandi et patiendi, dum vivimus



*intense* de tanta *gloria* et *gaudio* Christi Domini nostri.

hanc mortalem vitam, ad exemplum et ex amore *talis ac tanti* Regis nostri. — Itaque possunt quidem et debent etiam hæc My-steria gloriosa nostræ fragilitati etc. vires addere propter *spem*, quæ hic excitatur, fore ut aliquando id fiat in membris, quod in capite jam videmus impletum; præcipuum tamen est, ut de Christi gloria *propter ipsum Christum* gaudeamus, nostri ipsorum nostræque propriæ felicitatis tantisper veluti obliti. Ita nostræ miseræ ac pœnæ, quibus etiam, dum maxime in hac quarta Exercitiorum hebdomada versamur, exercitari non raro nos vult Deus (quod item Dei famuli in præcipuis anni solemnitatibus experiri aliquando solent), fructum solidum harum contemplationum non impediunt. Nam ut Christi gloria et gaudium extra mundi hujus vicissitudines positum est, ita nostrum de hac Christi gloria gaudium securum erit et inviolabile; ut proin cogitemus ac dicamus: „Mihi quidem tempus gaudendi de meo bono necdum advenit, sed *sufficit mihi*, quod Rex ac Dux meus Christus gloria et gaudio potiatur.“ Qui quidem animi sensus in angelico cantico *Gloria in excelsis* sublimibus illis Ecclesiæ verbis exprimitur: *Gratias agimus tibi* PROPTER MAGNAM GLORIAM TUAM. Et hoc est vere ac proprie *delectari* IN DOMINO. — Ita certe gavisa fuisse in resurrectione Filii Mater sanctissima censenda

Primum punctum, secundum et tertium sint eadem solita, quæ habuimus in Cœna Christi Domini nostri.

Quartum, considerare, quomodo Divinitas, quæ videbatur se abscondere in Passione, apparet et ostendit se nunc tam miraculose in *sanctissima* Resurrectione *per veros et sanctissimos ejus effectus*.

Quintum, *speculari* officium consolandi<sup>5)</sup> [suos], quod Christus Dominus noster exercet, et comparando, quomodo solent amici amicos consolari.<sup>6)</sup>

est, cui vel solam cogitationem de gloria et gaudio, quo Filium jam frui sciebat, plenissimum præbuisse solatium in ferendis per multos deinceps annos exsilii hujus laboribus dubitandum non est.

<sup>5)</sup> *Consolandi*. — Christus redivivus consolatur omnes suos: 1. *sua propria gloria*, qua illi gaudent magis quam de quacumque sua ipsorum felicitate; 2. *felicitate*, quam illis præbet vel *in re*, ut Patribus ac Justis in limbo, vel *in spe*, ut Matri sanctissimæ, Discipulis inque illis etiam unicuique nostrum. — Dum ergo peregrinamur a Domino, *gaudere* nos decet, Christo quidem de gloria jam impleta, nobis autem *spe*. *Gaudete IN DOMINO, et SPE gaudentes*.

<sup>6)</sup> Vide notam n. 1, in tertia hebdomada.

Terminare uno vel pluribus colloquiis juxta subjectam materiam et *Pater noster*.<sup>7)</sup>)

In contemplationibus sequentibus procedatur per omnia Mysteria Resurrectionis eo modo, qui infra sequitur, usque ad Ascensionem inclusive, adhibendo et servando de cetero in tota hebdomada Resurrectionis eandem formam et methodum, quæ servata fuit in tota hebdomada Passionis. Ita ut hac prima contemplatione de Resurrectione se regat [hanc tamquam normam sequatur contemplans] quantum ad præambula juxta subjectam materiam; et quantum ad quinque puncta, sint eadem; et Additiones, quæ habentur infra, sint eadem: atque ita in reliquis omnibus potest se regere [dirigere] juxta modum hebdomadæ Passionis, ut in repetitionibus, in sensuum applicationibus, in abbreviandis vel extendendis Mysteriis.

Secunda nota, *communiter* in hac quarta hebdomada magis convenit, quam in ce-

<sup>7)</sup> *Pater noster*. — Licet S. P. solum *Pater noster* dicendum præscribat, non tamen inopportunum erit ad Beatam Virginem, quæ magna pars est hujus contemplationis, addere: *Regina Cæli*. Idque eo magis, quod vel uno vel pluribus colloquiis terminandum dicatur hoc Exercitium.



teris tribus præteritis, facere quatuor Exercitia et non quinque: primum, statim ut quis surrexerit mane; secundum ad horam Missæ vel ante prandium loco primæ repetitionis; tertium ad horam Vesperarum loco secundæ repetitionis; quartum ante cœnam, trahendo [applicando] quinque sensus *super tria Exercitia ejusdem diei, notando et moram faciendo in partibus principalioribus, et in quibus senserit majores motiones et gustus spirituales.*<sup>8)</sup>

<sup>8)</sup> *Majores motiones et gustus spirituales.*  
 — Cum alibi S. P. de repetitionibus agens semper remittat simpliciter ad formam præscriptam in primæ hebdomadæ Exercitio tertio, hic non ita, sed sistendum dicit in iis, in quibus *majorem motionem et gustum spiritualem* senserimus, nec jubet sisti etiam in illis, in quibus senserimus *desolationem*.  
 — Cur ita? Fortasse quod minus conveniat huic hebdomadæ *laboriosum* studium quærendi id, quod optamus, quasi terram fodiendo, ut aquarum venam reperiamus abundantiore, sed veluti sponte oblata consolatione, sive potius gustu spirituali, spirituali inquam, etiamsi minus quandoque sensibili, suaviter fruendo vel utendo contentissimus. Fortasse etiam supponit S. P. desolationem vix locum habere in hac hebdomada, inter hæc gloriosa Christi mysteria, in anima, quæ ad ea contemplanda accedat

Tertia, quamvis in omnibus contemplationibus data sint tot puncta numero certo [definita], puta tria vel quinque etc., ille [tamen], *qui contemplatur*,<sup>9)</sup> potest ponere plura vel pauciora puncta, prout melius se [habere] reperiet. *Ad quod* multum juvat, priusquam quis intret in contemplationem, *conjecturare* [prævidere conjectura probabili] et definire puncta, quæ assumere debet, certo numero.<sup>10)</sup>

In hac quarta hebdomada inter omnes decem Additiones mutari debent secunda, sexta, septima et decima.

Secunda erit, statim ut excitor a somno, ponere ob oculos contemplationem, quam

---

post Exercitia trium præcedentium hebdomadarum rite disposita.

<sup>9)</sup> *Qui contemplatur*. — Ita S. P., non: *qui exercitatur*. Fortasse quia hæc adnotatio æque extra tempus Exercitiorum ac in Exercitiis contemplanti cuique opportunissima est. — Neque minus certe conveniet secundæ et tertiæ hebdomadæ, quam hujus quartæ mysteriis contemplandis.

<sup>10)</sup> *Certo numero*. — In hoc punctorum numero conjectura probabili prævidendo ac definiendo itemque fructu, qui potissimum quærendus sit, determinando, præcipue consistit illa, quam quotidie ante nocturnum examen ex majorum nostrorum instituto facere solemus, *præparatio ad matutinam meditationem*. (Cong. VII. decr. 25.)

facturus sum; *volendo affici* et exhilarescere de tanto gaudio et lætitia Christi Domini nostri.

Sexta, memoriæ objicere et *cogitare* res, quæ movent ad *delectationem, hilaritatem* et *lætitiā* spiritualem, ut de Paradiso.

Septima, uti claritate [lucis], et commoditatibus tempestatis, ut *veris et æstatis* tempore<sup>11)</sup> *refrigerio* [auræ, herba-

<sup>11)</sup> *Veris et æstatis* tempore. — Hisp. *verano* utrumque significat, scilicet anni tempus a mense Aprili ad Octobrem. — *Refrigerio* (auræ, herbarum, florum). Ita plenius exprimi existimo sensum vocis hisp. *frescura*, cui respondet ital. *fresco*. — Antiqua versio *ms.* habet: *rebus amœnis et jucundis*. — Valde notanda sunt infra: *in quantum animā existimat . . . sibi posse esse adjumento*; ut meminerimus nonnisi *media* hæc esse ad finem et eatenus solum adhibenda, quatenus ad finem profutura existimentur, non amplius. Regula enim *Fundamenti* semper et ubique in suo vigore tenenda est. — Notandum item quod dicitur de fine in hac hebdomada nobis proposito: *ad gaudendum* IN CREATORE ET REDEMPTORE SUO. Absit a nobis alius quidam lætitiæ sensus, quasi de labore longi itineris tandem ad finem vergente in hac postrema Exercitiorum hebdomada ad quietem adspirantes gaudeamus! A quo sensu nimium naturali



rum, florum], et hyemis tempore sole vel [ignis] calore, *in quantum* anima existimat vel *conjectura supponit sibi posse esse adjumento* ad gaudendum *in* Creatore et Redemptore suo.

Decima, loco pœnitentiæ attendat ad *temperantiam* et [ad tenendum] medium in omnibus, nisi [sit tempus, quo] præcepta sint jejunia vel abstinentiæ, quas Ecclesia indicit; quia hæc semper impleri debent, nisi adfuerit justum impedimentum.

## CONTEMPLATIO

*ad obtinendum amorem.*

Primo, convenit duo animadvertere.

Primum est, quod amor *debet poni magis in operibus quam in verbis.*<sup>1)</sup>

et humano incredibile dictu est, quantum sæpe quidam minus cauti detrimentum capiant; jam illis ultimis diebus, quibus maxime fervere animos æquum esset, relaxantes sese ac tepescentes et incipientes jam tum deperdere salutaria illa sensa, quæ in præcedentibus Exercitiis spiritu Dei afflante non sine labore conceperant; maximo sane christianæ ac religiosæ perfectionis damno nec facile deinceps reparando.

<sup>1)</sup> *In verbis.* — Idem censendum de affectu sterili et inefficaci. Affectus enim tales sunt *verba interna.*

Alterum, [quod] amor consistit in communicatione, <sup>2)</sup> [quæ fit] *ab utraque parte*,

### NOTA.

Quæ sequuntur, nempe *Contemplatio ad amorem excitandum* et *tres Modi orandi*, ex autographo censenda sunt extra seriem IV hebdomadarum. Cum enim post 20 Annotationes in capite cujusque paginæ perpetuo notatum legatur in autographo: *prima hebdomada*, — *secunda hebdomada*, — *tertia hebdomada*, — *quarta hebdomada*, — id quod et nos in hac editione imitati sumus; ubi ad *Contemplationem de amore* ventum est, inscriptio illa *quartæ hebdomadæ* in autographo omittitur atque ita deinceps.

Nec tamen hinc sequitur non recte fieri solere, quod usus habet, ut hæc *Contemplatio* detur in fine quartæ hebdomadæ veluti pro conclusione et coronide Exercitiorum. Imo vero nec alio loco poni opportunius poterat a S. Patre hæc *Contemplatio* et vix alio tempore melius ac fructuosius institui potest. *Amor Dei*, qui hic docetur, est ultimus terminus, est perfectio hujus vitæ. Merito præmissa est meditatio vitæ, mortis ac resurrectionis D. N. J. C.: per Jesum enim, nec nisi per Jesum aditus nobis ad Deum Ejusque amorem patet. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* — *Ego sum ostium.* — *Ego sum via.* — Cumque ad Jesum pervenire non possimus, nisi peccata in primis expellantur, itemque inordinatæ passionnes frenentur, ideo hinc initium fieri debuit,

scilicet *ut det et communicet amans amato ea, quæ habet, vel ex iis, quæ*

in prima scilicet Exercitiorum hebdomada. Et sane frustra ad hunc amorem Dei adspiret, qui non ante omnia in abnegatione sui ipsius strenue se exercuerit. Recte itaque et ordinatissime processum est, ut demum ad hunc felicem terminum, amorem Dei, perveniretur.

Aptissime vero hæc Contemplatio respondet *Fundamento*: ita tamen, ut, cum *Fundamentum* proponi censeatur incipientibus, in illo de hac *perfectione* Dei amoris ne mentio quidem fiat. Ibi enim S. P. solummodo loquitur de laude ac reverentia Deo exhibenda deque Illi serviendo et parat animum ad impedimenta removenda; in hac vero *Contemplatione de amore Dei*, quæ purgatis jam et exercitatis proponitur, S. P. ad ea ducit, quæ in laude ac reverentia Deo exhibenda inque ejus servitio absolutissima sunt ac perfectissima.

<sup>2)</sup> *In communicatione (quæ fit) ab utraque parte etc.* — Totam hanc versionem ex autographo diligenter velim considerari. Ita enim mentem suam S. P. expressit, ut ad amorem Dei erga hominem hominisque vicissim erga Deum optime omnia applicari possint; *communicet amans amato et vicissim amatus amanti ea, quæ habet, vel ex iis, quæ habet vel potest.* — Si enim *amans* intelligatur Deus, homo vero *amatus*: apte dicitur *amans* Deus *amato* homini commu-



*habet vel potest, et sic vicissim amatus amanti: ita ut, si alter habet scientiam, det illi, qui eam non habet; si honores, si divitias; et sic [porro] alter alteri [vicissim].*

Oratio [præparatoria] solita.

Primum præambulum est compositio, quæ hic est videre, quomodo consisto coram Deo Domino nostro, Angelis et Sanctis *interpellantibus pro me.*

Secundum, petere id, quod volo. Erit hic petere *cognitionem internam*<sup>3)</sup> tot ac tantorum bonorum [a Deo] acceptorum, ut ego *integre [hæc] recognoscens [vel integro grati animi sensu] possim in omnibus amare et servire divinæ suæ Majestati.*

---

*nicare ea, quæ habet, vel ex iis, quæ habet vel potest.* Neque enim potest Deus infinitus, quantumvis amans, finitæ creaturæ omnia, quæ habet ipse, communicare; recte vero *ex iis, quæ habet vel potest,* communicare dicitur pro capacitate scilicet amati.

<sup>3)</sup> *Cognitionem internam.* — Ita ex autographo distinctius, quam in vulgata versione, *duplex* gratia exprimitur, quam ubique S. P. docet postulandam, *cognitionis* seu illuminationis, et *affectionis* seu voluntatis, et executionis officii per lumen divinæ gratiæ cogniti.

\*) Primum punctum est, adducere in

\*) Quatuor puncta quæ sequuntur solent quibusdam confusionem quamdam parere, quod non satis distincta ipsis videantur ista quatuor, sed et secundum punctum et tertium in ipso jam primo puncto videantur contineri. Cui incommodo ut remedium aliquod suggeramus, ita distinguenda sunt ex ipso textu S. P. N., ut in *primo puncto* contemplerur generatim Dei in nos *beneficia*, seu præstita seu præstanda, quatenus scilicet summa bona nobis inde ex Ejus amore provenerunt ac porro proveniunt et proventura in æternum firma spe confidimus.

In *secundo puncto* contemplerur beneficia illa præstari a Deo *præsenti* in omnibus, in quibus Ille nobis bona sua communicat, et in nobis ipsis; ita ut *personaliter* in omnibus ipse nobis benefaciat. Quæ certe ratio plurimum amoris superaddit in beneficiis.

In *tertio puncto* contemplerur Deum non modo præsentem nobis benefacere ceterisque creaturis propter nos, sed *operantem* etiam et quodammodo *laborantem* in nobis et in aliis creaturis, adjuvantem et nos et creaturas omnes, ut nobis benefaciat. Quod cum in quocumque benefactore amoris significationem plurimum adaugeat, in Deo profecto, qui, licet causis secundis verum actum tribuat, ipse tamen suo concursu etiam operatur in illis in bonum nostrum, amoris est plane inexplicabilis et infiniti.

memoriam beneficia accepta Creationis,

Addiderim hoc loco non videri mihi prohiberi, quominus tum in secundo tum in tertio puncto distinctius etiam de Deo Redemptore cogitemus, ut scilicet:

In *secundo* quidem *puncto* perpendamus etiam illam Dei *præsentiam*, quam æterni Patris Filius tum in carne mortali præstitit, cum *in terris visus est et cum hominibus conversatus est*, tum eam, quam præstat nobis in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

In *tertio* vero *puncto* Dei Redemptoris veros et gravissimos *labores ac dolores*, quos pro nobis ipse, verus Dei Filius, sustinere dignatus est, cum pro nobis *non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum*.

Præterea cum in primo puncto non solum beneficia jam præstita, quæve omni tempore nobis præstantur a Deo, sed etiam in futurum, in æternum præstanda proposita sint; nil vetat quominus etiam hæc duo puncta, secundum nempe et tertium, simili modo ad futura nobis in cœlis bona ab eo, qui contemplatur, extendantur. Solet enim S. P., postquam semel aliquid satis indicavit, cetera nobis inde colligenda relinquere. Quam ampla vero contemplandi materia de Deo *præsentate* atque *operante* in bonum nostrum, si hæc ad Paradisi gaudia æterna applicemus!

In *quarto* demum *puncto* nulla est difficultas, satis enim primo intuitu distinguitur



Redemptionis et dona particularia, *ponderando multo* cum affectu, quantum fe-

a præcedentibus. Continet enim rationem amoris Dei purissimi ac perfectissimi, scilicet, *propter Ipsum solum* ejusque perfectiones infinitas. Quæ ratio Deum amandi merito ad ultimum punctum reservata fuit a S. Patre. Ad hanc tamen perfectissimi amoris rationem viam sternunt tum *secundum* tum *tertium* punctum, dum in creaturis Deum ipsum cernere præsentem et operantem docent; sed habent illa adhuc annexam considerationem boni, quod inde *ad nos* derivatur, nam et in secundo dicitur: *dans — dans mihi*, et in tertio: *propter me*; in hoc vero quarto puncto a bono nostro fit abstractio, et pura purissima proponitur ratio perfectionis absolutæ in Deo, ad quam contemplandam introducimur consideratione perfectionum, quas in creaturis deprehendimus, quæque quantumvis insignes nobis videantur, non sunt tamen nisi radii, nonnisi rivuli infinitæ illius perfectionis.

Sic autem distincta quatuor puncta distinctum et cuique puncto accuratius respondentem excitabunt affectum, et colloquium primi puncti merito variabitur, id quod S. P. etiam innuit.

Ceterum brevissimis punctis materiam contemplandi copiosissimam, imo vero infinitam S. P. N. complexus est; quam qui animo purgato riteque disposito tractare aggredia-  
tur, finem aut terminum, dum vivit mortalem

cerit<sup>4)</sup> Deus Dominus noster pro me, et quantum mihi dederit ex iis, quæ habet; et consequenter, [*quantum*]<sup>5)</sup> idem Dominus desideret dare seipsum mihi, in quantum potest, juxta divinam suam *ordinationem*; ac deinde reflectere in me ipsum considerando, quæ ego *multa cum*

hanc vitam, non inveniet. Vere enim hic vena ostenditur seu *fons AQUÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM*.

<sup>4)</sup> In vulgata versione additur hoc loco: *atque pertulerit*, quod neque in autographo hispanico neque in versione antiqua *ms.* habetur. Ceterum cum in hoc puncto etiam beneficium *Redemptionis* considerandum proponatur, sensus illorum verborum *quantum fecerit . . . . pro me*, naturaliter is est: *fecerit* tum *agendo* tum *patiendo*. Quamquam totum hoc primum punctum simpliciter beneficia Dei generatim contemplanda proponit, *quatenus* sunt *bonum nostrum*, abstractione facta a *modo*, quo Deus hæc omnia nobis præstitit aut præstat aut præstiturus est. Vid. quæ supra diximus de *quatuor punctis* hujus Contemplationis.

<sup>5)</sup> (*Quantum*) *idem Dominus*. — *Tò quantum* hoc loco eo libentius ex antecedentibus subintellectum admisi, quod in antiqua *ms.* versione latina, qua S. P. usum fuisse constat, etiam insertum reperiatur; licet in autographo hispanico absit hæc particula, prout etiam abest τὸ *quod*, positum in versione vulgata.

*ratione et justitia*<sup>6)</sup> debeam ex mea parte offerre et *dare* suæ divinæ Majestati, scilicet omnia mea et me ipsum *cum illis, ut qui* [aliquid alteri] *offert* multo cum affectu:

7) *Sume*,<sup>8)</sup> Domine, *et suscipe* omnem

*Juxta divinam suam ordinationem.* — Ita litteraliter ex autographo, et placet magis quam *decretum*: ne cui fors cogitatio de prædestinationis Mysterio sane minime opportuna hoc loco contemplationem interturbet. — *Quantum potest juxta divinam suam ordinationem*, intelligo de ordine Providentiæ suæ, qua liberæ creaturæ cooperationem requirit Deus, ut illi seipsum, quantum potest, communicet.

<sup>6)</sup> *Multa cum ratione et justitia.* — In hispanicis editionibus passim nunc legi solet: *con mucha razon y instancia.* — Sed certe mendum est. In exemplari *ms.*, quo S. P. usus est, quodque sua manu variis in locis correxit, legitur: *justicia.* Et sic omnino legendum esse patet etiam ex utraque versione latina; nam et vulgata hanc lectionem exprimit: *quid æquum justumque sit*; et antiqua *ms.* versio habet: *rationabiliter et juste.* — Quod infra insertum est textui (*aliquid alteri*) ex antiqua versione *ms.* desumptum est: *sicut qui offert aliquid alteri.*

7) *Sume, Domine, et suscipe etc.* — Quidquid est hic discriminis inter hanc litteralem versionem et latinam vulgatam, diligenti con-



meam libertatem,<sup>9)</sup> meam memoriam, meum intellectum, et omnem voluntatem

sideratione dignum existimo, præsertim ista: 1. *Sume, Domine, et suscipe*; 2. *Omnia tua sunt*; 3. *Dispone (de illis) pro omni voluntate tua.*

*Sume, Domine, et suscipe.* — Ex vulgata versione posset quis existimare hujus oblationis eum tantummodo sensum esse, ut Dei donis, *memoria præsertim, intellectu et voluntate*, nonnisi juxta Dei beneplacitum uti statuamus. Qui quidem sensus, licet verissimus sit atque sanctissimus et in hac sui oblatione necessario contineatur, nequaquam tamen ea omnia complectitur, quæ in autographo exprimi videntur; imo vero hic non est proprius sensus neque præcipuus hujus oblationis. Est enim *oblatio* dantis seu offerentis proprie sic dicta, et ut talis respondet huic primo puncto, in quo ut *amans* Deus *amato dare* ex iis, quæ habet, consideratur, ita *amatus amanti* vicissim *dare* seu offerre ea, quæ habet, censendus est.

Jam vero S. P. duplici utitur verbo: *Sume* seu *tolle* et *suscipe*, in quo certe amplius quid indicari videtur, quam simplex propositum, sancte hisce Dei donis utendi.

Ac *suscipi* quidem illud dicitur, quod sponte ab altero offertur; *sumi* autem vel *tolli* dicitur, quod etiam pro lubitu auferatur, quamvis alter non offerat. „*Sume* ergo, „ait S. P., *tolle, aufer* pro tuo lubitu; es „enim Dominus omnium, *omnia tua sunt*:

meam, quidquid habeo *et* possideo:<sup>10)</sup> tu mihi hæc omnia dedisti, tibi, Domine, ea

„si auferas quæ dedisti, mea non tollis sed  
 „ea, quæ *tua* sunt ac semper manent *tua*;  
 „tu amandus æque atque laudandus, et cum  
 „*das* et cum *aufers*. (*Dominus dedit, Do-*  
 „*minus abstulit: sit nomen Domini bene-*  
 „*dictum.*) Neque vero habere volo, nisi  
 „quod et quantum tu me habere volueris.  
 „*Tolle, Domine, — et suscipe:* nam equidem  
 „lubens etiam volensque tibi offero omnia.“  
 Itaque cum dicit: *Sume* seu *tolle — et sus-*  
*cipe:* non modo usurum se Dei donis non-  
 nisi juxta ejus beneplacitum statuit; sed lu-  
 bens, quantum quidem in se est, his ipsis  
 Dei donis *cedit* plane, ut Dominus ea pro  
 suo beneplacito vel *minuat* vel etiam om-  
 nino *auferat*.

Propterea etiam, paulo infra, non modo  
 ea *tradit* Domini voluntati *gubernanda*, ut  
 habet vulgata versio; sed ait: *omnia tua*  
*sunt*, duplici titulo scilicet, et quod *tu ea*  
*mihi dedisti*, et quia ego, libera donatione  
 mea, *tibi ea restituo*; ergo *dispone de illis*  
*juxta omnem voluntatem tuam*, quæ verba  
 certe plus sonant quam: *tibi ea trado guber-*  
*nanda*; et procul dubio etiam illam inclu-  
 dunt divinæ voluntatis dispositionem, qua  
 fortasse velit aliquando ea ipsa dona sua vel  
*minuere* in nobis vel etiam plane *auferre*.

Atque hoc sensu, maxime cum non solum  
 de quibusvis Dei donis, verum etiam de ipsis  
 animæ potentiis agatur, exprimitur certe ob-

restituo: *omnia tua sunt, dispone* [de illis] pro omni voluntate tua. Da mihi

latio maxime heroica. Quamvis enim memoria, intellectus liberumque arbitrium ejusmodi sint Dei dona, sine quibus Deo servire non possimus; ut proinde, qui his renuntiat, renuntiare videatur ipsi facultati Deo serviendi: quia tamen accidit non raro etiam Dei famulis, ut vel infirmitate aliqua vel senio ad conditionem adeo miserabilem redigantur et multos quandoque annos harum animi facultatum usu destituti vivant: quis dubitet, quin et oblatio hujusmodi fieri possit, et heroicæ resignationis et amoris ardentissimi actus futurus sit, si quis libere, ex Dei amore, ad ejusmodi humilitatis ac morales nullitatis veluti abyssum pro divino beneplacito adeundam sese offerat, solo *ejus amore et gratia* contentus?

Itaque hæc talis oblatio sui plane universalis, qua majorem amplioremve excogitari posse non existimo, ex autographo exprimi videtur; et hoc demum sensu hæc S.P. verba plane respondent donationi universali, ad quam divinæ Bonitati offerendam *de ejus ipsius donis ac datis* omnis hæc Contemplatio legitimo ratiocinio nos introducit. — Ceterum hujusmodi oblatio sui, *serio* aliquando facta, vel sola posset fortasse Dei famulo illud damnum compensare, quod alioqui gravissimum atque irreparabile subire cogeretur, si quando, ut fert humana conditio, in tam miserabilem infirmitatem incideret.



tuum amorem et gratiam, *nam hæc mihi sufficit.*

Est denique operæ pretium meminisse, totum hoc colloquium: *Sume, Domine*, etc. non esse *petitionem*, quasi hoc a Deo precaremur, ut sua dona a nobis auferat, sed meram esse *oblationem*, actum scilicet plenæ atque perfectæ resignationis. Sunt enim verba *offerentis* omnia sua seque ipsum, ut expresse monet S. P.

<sup>8)</sup> *Sume.* — Præter sensum hujus verbi, quod modo fusius exposuimus in explicatione hujus colloquii, non abs re videtur alterum indicare, qui et valde naturalis est et ex præmissa beneficiorum divinorum consideratione sponte fluit. Scilicet ut perpensis Dei beneficiis ac donis, dum reflecto ad me, quid vicissim ego dare Deo possim, prorumpam in illam vocem: *SUME, Domine, omnia quæ habeo — omnia tua sunt.* Quasi dicam per exclamationem præ admiratione tantæ bonitatis: *Quid enim ego dare tibi possum, Domine, quod jam tuum non sit? SUME — Domine — et quoniam tanta est tua benignitas, ut mihi facultatem esse velis aliquid tibi offerendi, SUSCIPE* etc. Maxime vero hunc sensum hispanicus textus verbo *Tomad* habere videtur; et optime hoc convenit cum eo, quod S. P. dicit, hanc oblationem faciendam tamquam ab eo, qui offert (aliquid alteri) *multo cum affectu.* — *Tomad, Sume*, etiam illum sensum habere potest, ut quasi tenacitatem meam et pravitatem indignans, qua

Secundum, attendere quomodo Deus *habitat* in creaturis: in elementis dans esse, in plantis dans vegetare, in animalibus dans sentire, in hominibus dans intelligere: et ita in me [*habitat*] dans mihi esse, vivere, sentire et faciens me intelligere: *item* faciens me templum [sui], cum creatus sim ad similitudinem et imaginem suæ divinæ Majestatis; similiter reflectendo ad me ipsum, eo modo, quo dictum est in primo puncto, vel alio, [si] *quem sensero meliorem.*<sup>11)</sup> Ea-

parcum me erga Deum fuisse et etiamnum esse sentiens, exclamem: *Tu ipse, Domine, sume, sume omnia mea* etc., et me ipsum *sume* et tibi vindica tuo jure etc.

<sup>9)</sup> *Libertatem.* — Intellige non liberum arbitrium, quod infra offertur, cum *voluntatem omnem* nostram offerimus, sed libertatem illam, qua nostri juris sumus, neque ullo externo impedimento prohibemur facere quod volumus. In libertate hac comprehendi existimo etiam sanitatem et honorem et vitam.

<sup>10)</sup> *Habeo et possideo.* — *Habere* dicimur ea, quæ nobis sunt in nobis ipsis, ipsa scilicet bona *interna* ac personalia corporis et animi; *possidere* potius bona quævis *externa* seu extra nos posita.

<sup>11)</sup> *Meliorem.* — Satis indicat S. P. alium aliquem affectum diversum ab eo, quem ipse in primo puncto posuit, et *meliorem* magisque materiæ hujus secundi puncti responden-

dem ratione fiet super quolibet puncto quod sequitur.

Tertium, considerare, quomodo Deus *operatur* et laborat propter me in *omni-*

tem excitari hoc loco posse. Respondebit autem considerationi Dei *habitantis*, id est *præsentis* in creaturis et in me ipso: — si ego me vicissim illi *præsentem* semper sistam, *providens illum in conspectu meo semper* (Ps. 15.); — si viva fide ac sollicito studio coner *Deum in omnibus quærere* (ut nobis præscribit Reg. Sum. 17), *invisibilem* (Deum) *tamquam videns sustinere*, ut Apostolus loquitur (ad Hebr. c. XI. v. 27); — si *ambulare coram eo*, si in *eius conspectu stare* semper, si cogitationes meas et verba mea et opera, ut *Eo præsente* et inspectante, quam possim perfectissime ordinare studeam *sollicite ambulans cum Domino Deo meo*, — si me *templum Dei* esse, quæ quidem pulcherrima est idea et magnifica, practice meminero, ac proin *glorificem et portem Deum in corpore meo*, ut idem Apostolus loquitur (I. ad Cor. VI.). Hæc ergo et his similia sensa concipi et *magno cum affectu* Deo offerri in hoc secundo puncto conveniet.

Quod si quis in hoc secundo puncto contemplationem Dei *præsentis* ad Christi Dei in SS. Eucharistiæ Sacramento itemque ad Ejusdem in nobis ipsis Communionis tempore præsentiam extendat, nova et copiosa affectuum copia, qui tantæ Bonitati respondeant, contemplanti se offeret.



*bus rebus creatis super faciem terræ, id est, habet se ad modum laborantis, ut in cœlis, elementis, plantis, fructibus, gregibus etc.: dando esse, conservando, donando vegetationem et sensum etc. Deinde reflectere ad me ipsum.<sup>12)</sup>*

<sup>12)</sup> *Reflectere ad me ipsum* — et scilicet facere, ut in secundo puncto monuit S. P., *eo modo, quo dictum est in primo puncto, vel alio, si quem sensero meliorem.* — In hoc tertio puncto, ubi Deum contemplamur *operantem et laborantem* quodammodo in omnibus rebus creatis propter nos, affectus huic considerationi respondens erit, ut et nos vicissim *operari et laborare* propter Ipsum statuamus, ne amor noster in solo affectu, quod fere idem foret quam in solis verbis, consistat. — Ac Deus quidem in creaturis *operatur et laborat* quodammodo, utique sine labore, qui in Deum cadere non potest; at si Christum Deum spectemus *operantem et laborantem* pro nobis in vita sua mortali, incomparabiles Ejus labores ac dolores ad efficacem desiderium *laborandi et patiendi* pro Deo quam plurima rapere animos nostros debent.

Respondebit item ille affectus: ut Deum in omnibus creaturis *operantem* contemplans, discam viva fide, quæcumque a creaturis mihi obveniant, sive grata illa sint sive ingrata, omnia prorsus tamquam de ipsius Dei manu admittere et excipere, et omnia prorsus tamquam Ejus munera et beneficia infi-

Quartum, speculari, quomodo omnia bona et dona descendunt desursum, ut *mea limitata potentia* a summa et infinita illa desursum, et eodem modo justitia, bonitas, pietas, misericordia etc., sicut a sole descendunt radii, a fonte aquæ etc.<sup>13)</sup> Dein terminare reflectendo in me ipsum,<sup>14)</sup> ut dictum est.

Finire cum colloquio et *Pater noster*.

nito amore in me collata, ut vere sunt omnino omnia. Nec enim est *malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (Amos. c. 3), et *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. c. 8). Unde merito *semper et ubique Deo gratias agam* in omnibus.

<sup>13)</sup> *Sicut a sole radii, a fonte aquæ.* — Aptissimæ similitudines, quibus omnia bona desursum a Deo descendere docemur, ut eadem ab Ipso semper etiam dependere intelligamus, cessatura scilicet, si quando se Deus subtrahat; plane ut radii a sole, aquæ a fonte, non origine solum, verum et duratione pendent.

<sup>14)</sup> *Reflectendo in me ipsum.* — Patet huic quarto puncto respondere affectum amoris purissimi erga Deum *propter Ipsum solum* Ejusque infinitas perfectiones. Scilicet, ut ex creaturarum limitatis perfectionibus ad infinitas Dei perfectiones cognoscendas et amandas veluti per gradus quosdam ascendamus — atque inde *exuentes nos, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum,*

## *TRES MODI ORANDI*

*et primus [quidem primo] super præceptis.*

Primus Modus orandi est circa decem præcepta et septem peccata mortalia, tres potentias animæ et quinque sensus corporis, qui Modus orandi est potius dare formam, modum et [quædam] Exercitia, *quomodo* anima se *præparet* [ad exercitia facienda], et ut in illis proficiat,

---

*affectum universum in ipsarum Creatorem conferamus, Eum in omnibus creaturis amando et omnes nonnisi in Eo juxta sanctissimam ac divinam Ipsius voluntatem* (Reg. item Sum. 17).

Pro conclusione hujus pulcherrimi argumenti *de amore Dei* juvat repetere, quod in *Nota* huic Contemplationi præmissa innuimus, veram nostri *abnegationem* esse *conditionem*, sine qua non possimus eo pertinere, quo hæc Contemplatio nos invitat. Itaque aureum illud documentum, quod a S. P. positum est in fine secundæ hebdomadæ, et ad quod exercendum omnia S. P. N. Exercitia nos ducunt et impellunt, hic adscribere operæ pretium visum est: *Hoc unusquisque persuasum habeat, TANTUM se in studiis spiritualibus* (quorum finis ac terminus est perfectus Dei amor) *promoturum esse, QUANTUM ab amore sui ipsius et proprii commodi affectione sese abstraxerit.*



et ut oratio accepta sit [Deo], quam dare formam et modum *aliquem* orandi [proprie dictum].

Primo fiat æquivalens *secundæ Additioni*<sup>1)</sup> *secundæ hebdomadæ*, scilicet antequam intrem in orationem, *quiescat paululum spiritus*, sedendo vel ambulando, prout melius ei videbitur, considerando *quo vadam et ad quid*; et hæc eadem Additio fiet ad initium omnium Modorum orandi.<sup>2)</sup>

[Dein fiat] oratio quædam præparatoria: veluti petere gratiam a Deo Domino nostro, *ut possim cognoscere*, in quo de-

<sup>1)</sup> *Secundæ Additioni secundæ hebdomadæ*. — Intellige illam Additionem, quæ habetur in *quinto* ex Notandis positis post primæ diei secundæ hebdomadæ contemplationem quintam.

<sup>2)</sup> *Ad initium omnium Modorum orandi*. — Id licet proprie dictum sit hoc loco de tribus orandi Modis, qui hic traduntur, valet tamen idem præceptum ad omnem quamcumque orationem sive mentalem sive vocalem: et hæc præparatio, si omni orationi, seu brevior seu longior futura sit, præmittatur, ut sane decet, non poterit non esse efficacissima ad bene orandum. Nec enim tumultuarie ab actionibus humanis, fortasse etiam vanis, ad agendum cum Deo vel Sanctis transeundum est.

fecerim circa decem præcepta; *et item petere gratiam et auxilium ad emendandum me in posterum; postulando perfectam intelligentiam illorum ad melius ea servanda et ad majorem gloriam et laudem suæ divinæ Majestatis.*

Pro primo Modo orandi convenit *considerare et cogitare* in primo præcepto, quomodo illud servaverim *et in quo defecerim, tenendo regulam*<sup>3)</sup> [sistendi in hac consideratione] per spatium, quo quis recitat ter *Pater noster* et ter *Ave Maria*; et si in hoc tempore invenio defectus meos [s. peccata mea], petere veniam *et remissionem* illorum *et dicere unum Pater noster*; et hoc eodem modo fiat in quovis ex omnibus decem præceptis.

<sup>3)</sup> *Tenendo regulam* etc. — Intellige *ordinariam*, ut sensus sit: *satis fore ordinarie, plerumque, insumi spatium* etc.; posse autem ac debere *aliquando* protrahi diutius vel etiam contrahi, prout in Notando dicitur. Observa etiam ex autographo: 1. Spatium indicari, quo ter recitari possit non solum *oratio Dominica*, ut habet vulgata versio, sed *et salutatio Angelica*. 2. *Petitionem veniæ et remissionis* — (venia ad *culpam*, remissio ad *pœnam* refertur) non fieri debere simpliciter *recitando semel Pater noster*; sed peti veniam et remissionem primum, *deinde* recitari *Pater noster*.

Notandum est, quod, quando quis venerit ad cogitationem [sive discussionem] præcepti alicujus, in quo reperit non habere se ullum habitum peccandi, non est necesse, ut immoretur tanto tempore: sed secundum quod quis reperit se plus vel minus *impingere* [offendere] contra illud mandatum, ita debet plus vel minus immorari in *consideratione et scrutinio* illius [præcepti]; et hoc idem servetur in peccatis mortalibus.

Post finitum discursum jam dictum *super omnibus præceptis*, accusando me in illis, et petendo gratiam *et auxilium* ad emendandum me in posterum, debet terminari colloquio ad Deum Dominum nostrum juxta subjectam materiam.<sup>4)</sup>

---

<sup>4)</sup> *Juxta subjectam materiam.* — Intellige: pro ratione, qua me reperero me habuisse in observatione præceptorum, v. g. *gratias agendo*, ubi per Dei misericordiam ab alicujus præcepti violatione præservatum me fuisse invenero; *dolendo* de iis, in quibus deliqui; *petendo gratiam et auxilium* in futurum ad servanda præsertim ea præcepta, quæ transgrediendi periculum majus immingere mihi in mea præsentia conditione intelligam; *excitando* me ad odium quam maximum hujusmodi peccatorum.



*Secundo, super peccatis mortalibus.*

Circa *septem* peccata mortalia post additionem [supra dictam] fiat oratio præparatoria modo jam dicto, solum mutando, quod materia hic est de peccatis, quæ evitanda sunt, et prius erat de præceptis, quæ sunt servanda; et similiter servetur ordo et regula jam dicta et colloquium.

Ad melius cognoscendas culpas commissas in peccatis mortalibus considerentur eorum contraria: *atque ita ad melius vitanda ea* [peccata], *proponat et curet ille* [qui hunc orandi Modum adhibet] *sanctis exercitiis* acquirere et *possidere* septem virtutes illis [peccatis] contrarias.

*Tertio, super potentiis animæ.*

Circa tres potentias animæ servetur idem ordo et regula, quæ in præceptis, faciendo suam additionem, *orationem præparatoriam* et colloquium.

*Quarto, super quinque sensibus corporis.*

Circa quinque sensus corporis servabitur semper idem ordo, mutando materiam illorum.

Qui vult imitari in usu sensuum suorum Christum Dominum nostrum, commendet se in oratione præparatoria *suæ divinæ Majestati*; et post consideratum

unumquemque sensum dicat unum *Ave Maria vel unum Pater noster*; et qui voluerit imitari in usu sensuum Dominam nostram, *in oratione præparatoria* se commendet illi, *ut sibi obtineat gratiam a Filio suo ac Domino ad hoc ipsum*; et post consideratum unumquemque sensum dicat unum *Ave Maria*.

### *SECUNDUS MODUS ORANDI*

*est [sive fit] contemplando significationem singularum vocum orationis [illius, circa quam hic Modus orandi exercetur].*

Eadem Additio, quæ fuit in primo Modo orandi, erit in hoc secundo.

Oratio præparatoria fiet conformiter personæ, ad quam dirigitur oratio [circa quam hic Modus orandi exercetur].

Secundus Modus orandi est, ut *ille* [qui hunc Modum vult adhibere], genibus flexis<sup>5)</sup> vel sedens, prout magis [ad hoc

---

<sup>5)</sup> *Genibus flexis vel sedens.* — Quod supra notavimus (n. 2), ubi de *præparatione* orationi præmittenda agebatur, idem hoc loco notare juvat: scilicet ista duo, quæ hic a S. P. dicuntur de *corporis situ* adhibendo *pro animi vel corporis dispositione* tamquam medio ad finem; itemque de *oculis* in oratione vel *claudendis* vel *defigendis in unum locum neque huc illuc movendis* ad omnis

vel illud] dispositum se reperit, et prout magis eum devotio comitatur, tenendo oculos clausos vel defixos in unum locum, neque huc illuc eos movendo, *dicat: Pater, et consistat in consideratione hujus vocis tamdiu, quamdiu invenit*<sup>6)</sup> significationes [varias], comparationes,<sup>7)</sup> gustum et consolationem *in considera-*

orationis bonum successum valere plurimum. Ne quis forte ea nonnisi in hoc secundo orandi Modo adhibenda sibi existimet.

<sup>6)</sup> *Invenit.* — Ita autographum. Exprimitur applicatio adhibenda in quærendo. Verbum *incident*, quod habet vulgata versio, hanc ideam quærendi, id est conatus adhibendi et applicationis, non exprimit, quam omnino requirit S. P., et insinuat etiam voce illa *consideratione*, semel atque iterum hoc loco usurpata.

<sup>7)</sup> *Comparationes.* — Comparationes seu similitudines, si quæ in oratione quærenti se offerant, solent esse utilissimæ non solum ad gustum spiritus, sed etiam ad efficaciam spiritualis profectus. Itaque fere videmus eas fuisse Sanctis maxime orationi deditis familiarissimas. Quin etiam consuetum videtur Divino Spiritui per eas potissimum animam illustrare ac docere. Nec leviter debet in illis transcurri, sed omnis ratio similitudinis cum objecto, quod consideramus, quam fieri poterit, accuratissime persequenda. — Hoc item, quod de comparationibus ac similitudinibus dicimus, ad omnem orationem mentalem pertinere intelligendum est.



*tionibus pertinentibus ad talem vocem; et eodem modo faciat in quavis voce orationis Dominicæ vel alterius orationis cujuscumque, quam [assumere] voluerit ad orandum hoc Modo.*

Prima regula est, quod [qui sic orat] persistet hoc modo unam horam *in tota oratione Dominica*, qua [oratione] expleta, dicit unum *Ave Maria, Credo, Anima Christi et Salve Regina*, voce vel mente, modo *solito*.

Secunda regula est, quod si ille, qui *contemplatur orationem Dominicam*, *inveniat* in una voce vel in duabus *tam bonam materiam cogitandi* et gustum et consolationem, non curet progredi ulterius, etiamsi terminetur hora *in eo, quod invenit*; qua finita, dicit reliquum *orationis Dominicæ modo solito*.

Tertia est, quod si in una voce vel duabus *orationis Dominicæ* immoratus fuerit una hora *integra*, alio die, *quando volet redire ad [eandem] orationem*, dicat supradictam vocem vel duas illas *modo solito*, et in voce, quæ sequitur *immediate, incipiat contemplari eo modo, quo dictum est in regula secunda*.

Advertendum est, quod finita oratione Dominica *intra unum vel multos dies*, debet fieri idem circa salutationem Angelicam, et postea *circa reliquas oratio-*

*nes, ita ut per aliquod tempus semper se exerceat circa unam ex illis.*

Altera nota est, quod finita oratione, convertendo se ad personam, ad quam directa fuit illa oratio, paucis verbis petat *virtutes vel gratias*, quibus sentiat magis se indigere.

### *TERTIUS MODUS ORANDI*

*erit per [sive, ad] mensuram [sive, in numerum, ad modum rhythmi].<sup>8)</sup>*

Additio erit eadem, quæ fuit in primo et secundo Modo orandi.

Oratio præparatoria erit sicut in secundo Modo orandi.

Tertius Modus orandi est, quod ad quemlibet anhelitum seu [ad quamlibet]

<sup>8)</sup> *Per (ad) mensuram (sive, in numerum, ad modum rhythmi).* — In autographo hispanico *por compas*; quæ expressio cum de aliis mensuræ speciebus tum præsertim de illa adhibetur, qua in musico concentu, rhythmo, metro, pulsu, temporum spatia ac soni temporibus respondententes rite atque *in numerum* distribuuntur. Metaphora hæc, ab arte musica deducta, cum hoc orationis Modo ideam copulat harmoniæ cujusdam sacræ, in qua respirationibus singulis piæ cogitationes et affectus ex æquo respondent, et *cor et caro exsultant in Deum vivum.*

respirationem *orandum est* [oretur] *mentaliter*, dicendo unam vocem orationis Dominicæ vel alterius orationis, quæ recitetur, *ita ut una sola vox dicatur inter unum anhelitum et alterum; et, dum durabit tempus ab uno anhelitu ad alterum*, attendatur *præcipue* ad significationem talis vocis vel ad personam, ad quam recitat [oratio dirigitur], vel ad vilitatem sui ipsius vel ad differentiam inter tantam altitudinem [illius personæ] et tantam vilitatem propriam; et eadem forma et regula procedet in reliquis vocibus orationis Dominicæ; et ceteras orationes, scilicet: *Ave Maria, Anima Christi, Credo et Salve Regina* dicet *more consueto*.

Prima regula est, quod altero die vel alia hora, qua [sic] orare velit, dicat *Ave Maria ad mensuram*; et ceteras orationes *more consueto, et ita consequenter*<sup>9)</sup> *procedendo per ceteras*.

<sup>9)</sup> *Et ita consequenter* etc. — Intellige, si primum hoc tertio orandi Modo se exercuerit circa *Pater noster*, secundo circa *Ave Maria*, tertio idem faciat circa *Anima Christi*; atque ita porro circa ceteras orationes. — Supponitur vero in hac regula singulis vicibus nonnisi singulas orationes hoc modo pertractari, cum post singulas ita pertractatas reliquæ *more consueto* recitandæ dicantur.



Secunda est, quod qui voluerit *plus immorari*<sup>10)</sup> in orando *ad mensuram*, *potest dicere* omnes supradictas orationes vel partem illarum, servando eundem ordinem anhelitus *ad mensuram*, prout declaratum est.

<sup>10)</sup> *Plus immorari*. — Id est, plus temporis impendere quam quod requiratur ad unicam orationem hoc tertio orandi Modo decurrendam.









## MYSTERIA VITÆ CHRISTI DOMINI NOSTRI.



Notandum est in omnibus Mysteriis sequentibus, omnia verba, quæ sunt inclusa intra parenthesin, esse ex ipso Evangelio, non item ea, quæ sunt extra [parenthesin]; et in quovis Mysterio, pro maxima parte invenient [qui meditaturo sunt] tria puncta ad *meditandum et contemplandum* in illis *majori cum facilitate*.

### DE ANNUNTIATIONE DOMINÆ NOSTRÆ

*scribit S. Lucas cap. I. litt. C. D.*

Primum punctum est, quod Angelus S. Gabriel salutans Dominam nostram ei nuntiavit conceptionem Christi Domini nostri: (Ingressus Angelus ad eam dixit:



Ave, gratia plena, concipies in utero, et paries Filium).

Secundum, confirmat Angelus ea, quæ dixerat Dominæ nostræ, nuntiando conceptionem S. Joannis Baptistæ dicens illi: (Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua . . .).

Tertium, respondit Angelo Domina nostra: (Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum).

### *DE VISITATIONE DOMINÆ NOSTRÆ AD ELISABETH*

*agit S. Lucas cap. I. litt. D.*

Primo, cum Domina nostra visitasset Elisabeth, S. Joannes Baptista, existens in utero matris suæ, sensit visitationem, quam fecit Domina nostra: (Et ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth et exclamavit voce magna et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui).

Secundo, Domina nostra cantat canticum dicens: (Magnificat anima mea Dominum).

Tertio, (Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus: et reversa est in domum suam).

## DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI NOSTRI

*agit S. Lucas cap. II. litt. A. B.*

Primo, Domina nostra et sponsus ejus Joseph eunt a Nazareth in Bethlehem: (Ascendit Joseph a Galilæa in Bethlehem, ut profiteretur *subjectionem Cæsari* cum Maria desponsata sibi uxore prægnante).

Secundo, (Peperit Filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinauit eum in præsepio).

Tertio, (Facta est multitudo militiæ cœlestis dicentium: Gloria in altissimis Deo).

## DE PASTORIBUS

*scribit S. Lucas cap. I. litt. B. C.*

Primo, Nativitas Christi Domini nostri manifestatur Pastoribus per Angelum: (Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator).

Secundo, Pastores eunt in Bethlehem: (Venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Joseph et Infantem positum in præsepio).

Tertio, (Reversi sunt Pastores glorificantes et laudantes Deum).

### *DE CIRCUMCISIONE*

*scribit S. Lucas cap. II. litt. C.*

Primo, circumciderunt puerum Jesum.

Secundo, (Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur).

Tertio, reddunt Puerum Matri suæ, quæ compatiebatur de sanguine, qui de *Filio suo* exhibat [fundebatur].

### *DE TRIBUS REGIBUS MAGIS*

*scribit S. Matthæus cap. II. litt. A.*

Primo, tres Reges Magi stellam sequentes ducem venerunt ad adorandum Jesum dicentes: (Vidimus stellam ejus in Oriente et venimus adorare eum).

Secundo, adoraverunt eum et obtulerunt ei munera: (Procidentes adoraverunt eum et . . . obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham).

Tertio, (Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam).



*DE PURIFICATIONE DOMINÆ  
NOSTRÆ ET PRÆSENTATIONE  
PUERI JESU*

*scribit S. Lucas cap. II. litt. C.*

Primo, *deferunt* puerum Jesum ad Templum, ut *præsentetur* Domino tamquam primogenitus, et *offerunt* pro eo (Par turturum aut duos pullos columbarum).

Secundo, Simeon veniens ad Templum (Acceptit eum in ulnas suas) dicens: (Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace).

Tertio, Anna (Superveniens confitebatur Domino et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel).

*DE FUGA IN ÆGYPTUM*

*scribit S. Matthæus cap. II. litt. C.*

Primo, Herodes volebat occidere puerum Jesum, itaque occidit Innocentes; et ante illorum cædem Angelus monuit Joseph, ut fugeret in Ægyptum: (Surge et accipe Puerum et Matrem ejus et fuge in Ægyptum).

Secundo, profectus est Ægyptum versus: (Qui consurgens, nocte, secessit in Ægyptum).

Tertio, (Erat ibi usque ad obitum Herodis).

*QUOMODO CHRISTUS DOMINUS  
NOSTER REDIIIT EX ÆGYPTO*

*scribit S. Matthæus cap. II. litt. D.*

Primo, Angelus monet Joseph, ut revertatur in Israel: (Surge et accipe Puerum et Matrem ejus et vade in terram Israel).

Secundo, (Consurgens venit in terram Israel).

Tertio, quia regnabat Archelaus, filius Herodis, in Judæa, refugit in Nazareth.

*DE VITA CHRISTI DOMINI NOSTRI  
AB ANNO ÆTATIS DUODECIMO  
AD TRIGESIMUM*

*scribit S. Lucas cap. II. litt. G.<sup>1</sup>)*

Primo, erat obediens Parentibus suis. (Proficiebat sapientia et ætate et gratia.)

---

<sup>1</sup>) Cur S. P. hoc Mysterium præcedere voluerit, licet ratione temporis proxime sequens priorem locum postulet, vide *Præambulum ad considerandos status* hebdomadæ secundæ die tertio et ibi adnotata n. 39. Porro hoc Mysterium in duo divisum puncta eo modo, quo hic damus, habetur in autographo hispanico. In antiqua tamen versione *ms.* distinctum est in tria puncta eo plane ordine, quo in versione vulgata: atque

Secundo, videtur exercitasse artem fabrilem, ut indicare [insinuare] videtur S. Marcus cap. VI. (Nonne hic est faber?)

### *DE ADVENTU CHRISTI IN TEMPLUM CUM ESSET ANNORUM DUODECIM*

*scribit S. Lucas cap. II. litt. F. G.*

Primo, Christus Dominus natus annos duodecim, ascendit a Nazareth in Hierusalem.

Secundo, Christus Dominus noster mansit in Hierusalem, et nesciverunt Parentes ejus.

Tertio, elapsis tribus diebus invenerunt illum disputantem in Templo et sedentem in medio Doctorum; et interrogantibus illum Parentibus suis, *ubi fuisset*, respondit: (Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?)

### *QUOMODO CHRISTUS BAPTIZATUS FUIT*

*scribit S. Matth. cap. III. litt. C.*

Primo, Christus Dominus noster vâle dicto *benedictæ* Matri suæ, venit a Na-

---

hæc posterior divisio procul dubio fuit a S. P. approbata, unde etiam in hispanici textus editiones passim recepta est; et ipsa



zareth ad flumen Jordanem, ubi erat S. Joannes Baptista.

Secundo, S. Joannes baptizavit Christum Dominum nostrum; et volenti illi excusare se, reputando se indignum, qui ipsum baptizaret, dicit Christus: (Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam).

Tertio, descendit Spiritus Sanctus super eum, et vox Patris de cœlo attestans: (Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui).

### *QUOMODO CHRISTUS FUIT TENTATUS*

*scribit S. Luc. cap. IV. litt. A. et Matth. cap. IV. litt. A. B.*

Primo, postquam esset baptizatus, secessit in desertum, ubi jejunavit quadraginta dies et quadraginta noctes.

Secundo, tentatus fuit ab inimico tribus vicibus: (Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant; mitte te deorsum; hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me).

Tertio, (Angeli accesserunt et ministrabant ei).

---

materia primi puncti, prout hic proponitur, duo distincta puncta continet: 1. *erat obediens* — 2. *proficiebat*.

*DE VOCATIONE APOSTOLORUM*

Primo, videntur ter vocati fuisse S. Petrus et S. Andreas: primum ad quamdam notitiam, id constat ex S. Joanne cap. I.; secundo ad sequendum *aliquo modo* Christum cum proposito revertendi *ad possidenda ea, quæ reliquerant*, ut dicit S. Luc. cap. V.; tertio, ad sequendum in perpetuum Christum Dominum nostrum. S. Matth. cap. IV. et S. Marc. cap. I.

Secundo, vocavit<sup>2)</sup> Philippum, ut habetur cap. I. S. Joannis, et Matthæum, ut ipse Matthæus dicit cap. IX.

Tertio, vocavit ceteros Apostolos, de quorum particulari vocatione Evangelium non facit mentionem.

*Et etiam alia tria consideranda sunt:*

Primo, quomodo Apostoli erant *rudis* et *abjectæ* conditionis.

Secundo, dignitas, ad quam fuere tam suaviter vocati.

Tertio, dona *et gratiæ*, quibus fuere elevati supra omnes Patres novi et veteris Testamenti.

---

<sup>2)</sup> Recte hoc loco versio vulgata ponit *filios Zebedæi*, ex Evangelio *S. Matth. IV.*, licet hoc in autogr. non habeatur.

*DE PRIMO MIRACULO FACTO IN  
NUPTIIS CANÆ GALILÆÆ*

*scribit S. Joan. cap. II. litt. B.*

Primo, fuit invitatus Christus Dominus noster cum suis Discipulis ad nuptias.

Secundo, Mater indicat Filio defectum vini dicens: (Vinum non habent). Et mandavit ministris: (Quodcumque dixerit vobis, facite).

Tertio, convertit aquam in vinum: (Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum Discipuli ejus).

*QUOMODO CHRISTUS DOMINUS  
NOSTER EJECIT E TEMPLO EOS  
QUI VENDEBANT*

*scribit S. Joan. cap. II. litt. C.*

Primo, ejecit *omnes* eos, qui vendebant, e Templo, flagello facto ex funibus.

Secundo, evertit mensas et pecunias nummulariorum *divitum*,<sup>3)</sup> qui erant in Templo.

<sup>3)</sup> Notatu dignissima sunt epitheta *divitum* et *pauperum* a S. P. pie simul et probabiliter meditante adjecta, quibus rationem insinuat, cur Dominus diverso modo egerit; cum illis severe, cum his mitius.



Tertio, *pauperibus*, qui vendebant columbas, mansuete dixit: (Auferte ista hinc et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis).

### *DE SERMONE, QUEM FECIT CHRISTUS IN MONTE*

*scribit S. Matth. cap. V. litt. A. B.*

Primo, ad dilectos suos Discipulos *separatim* loquitur de octo Beatitudinibus: (Beati pauperes spiritu, mites, misericordes, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt justitiam, mundo corde, pacifici, et qui persecutionem patiuntur).

Secundo, hortatur illos, ut utantur bene suis talentis: (Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est).

Tertio, se ostendit non transgressorem legis sed consummatorem, explicans præceptum de non occidendo, non mœchando, non pejerando, et de diligendis inimicis: (Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui ode-runt vos).

## QUOMODO CHRISTUS SEDAVIT MARIS TEMPESTATEM

*scribit S. Matth. cap. VIII. litt. C.*

Primo, dum Christus Dominus noster dormiebat in mari, facta est magna tempestas.

Secundo, Discipuli ejus territi excitarunt eum, quos ob exiguam fidem, quam habebant, reprehendit dicens illis: (Quid timidi estis, modicæ fidei?)

Tertio, præcepit ventis et mari, ut cessarent; et ita illis cessantibus factum est tranquillum mare, de quo mirabantur homines dicentes: (Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?)

## QUOMODO CHRISTUS AMBULABAT SUPER MARE

*scribit S. Matth. cap. XIV. litt. C.*

Primo, cum Christus Dominus noster esset in monte, jussit Discipulos abire in naviculam; et dimissa turba cœpit orationem facere solus.

Secundo, navicula jactabatur fluctibus, ad quam Christus venit ambulans super aquam; et Discipuli putabant phantasma esse.

Tertio, dicente illis Christo: (Ego sum, nolite timere), S. Petrus *ejus jussu* venit ad illum ambulans super aquam, qui dubitans cœpit mergi: sed Christus Dominus noster illum *liberavit*, et reprehendit eum de modica ejus fide, ac postea *intrante illo* in naviculam, cessavit ventus.

### QUOMODO APOSTOLI FUERE MISSI AD PRÆDICANDUM

*scribit S. Matth. cap. X. litt. A. B.*

Primo, vocat Christus *dilectos* suos Discipulos et dat illis potestatem, ejiciendi dæmonia ex hominum *corporibus* et curandi omnes infirmitates.

Secundo, *instruit* illos *de* prudentia et patientia: (Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ).

Tertio, tradit illis modum eundi: (Nolite possidere aurum, neque argentum: gratis accepistis, gratis date). Deditque eis materiam prædicandi: (Euntes prædicare dicentes: quia appropinquavit regnum Cœlorum).



## DE CONVERSIONE MAGDALENÆ

*scribit S. Luc. cap. VII. litt. E. F. G.*

Primo, *intrat* Magdalena, ubi Christus Dominus noster accumbit mensæ in domo Pharisæi, quæ ferebat vas alabastri plenum unguento.

Secundo, stans *pone Dominum circa pedes ejus*, lacrimis cœpit eos rigare et capillis capitis sui eos *tergebat* et *osculabatur* pedes ejus et unguento eos *ungebat*.

Tertio, cum Pharisæus accusasset Magdalenam, Christus loquitur in ejus defensionem dicens: (Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et dixit ad mulierem: Fides tua te salvam fecit, vade in pace).

## QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER DEDIT AD MANDUCANDUM QUINQUE MILLIBUS HOMINUM

*scribit S. Matth. cap. XIV. litt. B. C.*

Primo, Discipuli, *cum jam sero fieret*, rogant Christum, ut *dimittat* multitudinem hominum, qui cum ipso erant.

Secundo, Christus Dominus noster mandavit [Discipulis], ut *sibi* afferrent panes, et *jussit*, ut [turbæ] *discumberent*, et *benedixit* et *fregit* et *dedit Discipulis suis panes illos*, et *Discipuli multitudini*.

Tertio, (Manducaverunt et saturati sunt, et tulerunt reliquias duodecim cophinos).

### *DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI*

*scribit S. Matth. cap. XVII. litt. A. B.*

Primo, assumens *comites* Christus Dominus noster dilectos suos discipulos Petrum, Jacobum et Joannem transfiguratus est, et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus sicut nix.

Secundo, loquebatur cum Moyse et Elia.

Tertio, *dicente* S. Petro, ut facerent tria tabernacula, sonuit vox de cœlo, quæ dicebat: (Hic est Filius meus dilectus; ipsum audite). Quam vocem cum audissent Discipuli ejus, præ timore ceciderunt in facies suas; et Christus Dominus noster tetigit eos et dixit illis: (Surgite et nolite timere. Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat).

## *DE RESURRECTIONE LAZARI*

*Joan. XI. litt. A. B. C. D.*

Primo, *certiorem faciunt* Christum Dominum nostrum *Martha* et *Maria* de infirmitate Lazari, qua cognita substitit per duos dies, ut miraculum esset evidentius.

Secundo, antequam eum resuscitet, *petit* [exigit] *ab una et ab altera, ut credant*, dicens: (Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet).

Tertio, eum resuscitat postquam lacrimatus esset et orationem fecisset: et modus eum resuscitandi fuit jubendo: (Lazare, veni foras).

## *DE CÆNA IN BETHANIA*

*Matth. cap. XXVI. litt. A.*

Primo, Dominus *cœnat* in domo Simonis leprosi simul cum Lazaro.

Secundo, *effundit* Maria unguentum super caput Christi.

Tertio, murmurat Judas dicens: (Ut quid perditio hæc unguenti?) Sed ille excusat denuo Magdalenam dicens: (Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me).



## DOMINICA PALMARUM

*Matth. cap. XXI. litt. A. B.*

Primo, Dominus mittit [Discipulos] ut adducant asinam et pullum, dicens: (Solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos).

Secundo, conscendit asinam coopertam vestimentis Apostolorum.

Tertio, exeunt ad excipiendum illum, sternentes in via vestimenta sua et ramos arborum et dicentes: (Hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis).

## DE PRÆDICATIONE IN TEMPLO

*Luc. cap. XIX. litt. G.*

Primo, erat quotidie docens in Templo.

Secundo, finita prædicatione *quia non erat, qui eum exciperet Hierosolymis, redibat in Bethaniam.*

## DE CÆNA [ULTIMA]

*Matth. XXVI.; Joan. XIII. litt. A.*

Primo, comedit agnum Paschalem cum suis *duodecim Apostolis*, quibus prædixit mortem suam: (Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est).

Secundo, lavit pedes Discipulorum suorum etiam [ipsius] Judæ, incipiens a S. Petro, qui considerans majestatem *Domini* et suam *propriam vilitatem*, nolens *consentire*, dicebat: (Domine, tu mihi lavas pedes?) Sed S. Petrus nesciebat, eum in hoc præbere exemplum humilitatis, et ideo [Jesus] dixit: (Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis).

Tertio, instituit sanctissimum *Sacrificium* Eucharistiæ in *maximum* signum sui amoris dicens: (Accipite et comedite). Finita cœna Judas exit ad vendendum Christum *Dominum nostrum*.

### *DE MYSTERIIS FACTIS A CÆNA<sup>4)</sup> USQUE AD HORTUM INCLUSIVE*

*Matth. XXVI. et Marc. XIV.*

Primo, Dominus finita cœna, et cantans hymnum, profectus est ad montem Oliveti cum suis Discipulis metu plenis; et relinquens octo in Gethsemani dicens: (Sedete hic, donec vadam illuc et orem).

---

<sup>4)</sup> *A cœna usque ad hortum inclusive.* — Observa in omnibus hisce mysteriis Dominicæ passionis peculiari modo indicari a S. P. patientis Domini *itineræ*, quod item supra notavimus, in heb. III. die 2, n. 5.

Secundo, assumptis comitibus S. Petro, S. Jacobo et S. Joanne oravit ter ad Dominum dicens: (Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu). Et existens in agonia orabat prolixius.

Tertio, in tantum timorem *venit*, ut diceret: (Tristis est anima mea usque ad mortem), et sudavit sanguinem *tam* copiosum, *ut dicat* S. Lucas: (Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram). *Id quod jam supponit* vestimenta esse (fuisse) *plena* sanguine.

### *DE MYSTERIIS FACTIS AB HORTO USQUE AD DOMUM ANNÆ INCLUSIVE*

*Matth. XXVI; Luc. XXII.; Marc. XIV.*

Primo, Dominus *osculandum* se permittit Judæ et comprehendi ut latronem [a satellitibus], quibus dixit: (Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidie apud vos sedebam docens in Templo, et non me tenuistis). Et dicente eo: (Quem quæritis?) ceciderunt in terram inimici.

Secundo, S. Petrus vulneravit quemdam servum Pontificis, cui mansuetus Dominus dixit: (Converte gladium tuum in locum suum); et sanavit *vulnus* servi.



Tertio, derelictus a suis Discipulis pertrahitur ad Annam, ubi S. Petrus, qui eum secutus erat *a longe*, eum negavit semel; et Christo data fuit alapa [a ministro] dicente illi: (Sic respondes Pontifici?)

*DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO  
ANNÆ USQUE AD DOMUM  
CAIPHÆ INCLUSIVE*

Primo, illum pertrahunt ligatum a domo Annæ ad domum Caiphæ, ubi S. Petrus eum bis negavit, et respectus a Domino (Egressus foras flevit amare).

Secundo, mansit Jesus tota illa nocte ligatus.

Tertio, *præterea ii, qui tenebant eum captivum*, illudebant ei et *percutiebant eum* et *velabant ei faciem* et *dabant ei alapas* et *interrogabant eum*: (Prophe-tiza nobis, quis est qui te percussit?) et similia blasphemabant contra illum.

*DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO  
CAIPHÆ USQUE AD [DOMUM]  
PILATI INCLUSIVE*

*Matth. XXVI.; Luc. XXIII.; Marc. XV.*

Primo, pertrahunt eum *omnis multitudo Judæorum* ad Pilatum, et coram illo eum accusant, dicentes: (Hunc inve-

nimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Cæsari).

Secundo, postquam Pilatus eum semel et iterum examinasset, ait Pilatus: (Ego nullam inuenio in eo causam).

Tertio, *ei prælatus fuit Barabbas latro*: (Clamaverunt omnes dicentes: non hunc sed Barabbam).

### *DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO PILATI USQUE AD [DOMUM] HERODIS*

Primo, Pilatus misit Jesum [utpote] Galilæum ad Herodem, *Tetrarcham Galilææ*.

Secundo, Herodes *curiosus* interrogavit eum *multum*, et ille nihil ei respondit, licet Scribæ et Sacerdotes *constanter* eum accusarent.

Tertio, Herodes eum spreuit cum exercitu suo, induens eum veste alba.

### *DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO HERODIS USQUE AD [DOMUM] PILATI*

*Matth. XXVII.; Luc. XXIII.; Marc. XV. et  
Joan. XIX.*

Primo, Herodes remittit eum ad Pilatum, *ob quam causam* facti sunt amici, cum prius essent inimici.

Secundo, *apprehendit* Jesum Pilatus et *flagellavit* eum; et milites *fecerunt coronam de spinis* et *posuerunt eam super caput ejus*, et *vestierunt eum purpura* et *veniebant ad eum* et dicebant: (Ave, Rex Judæorum), et dabant ei alapas.

Tertio, *eduxit eum foras in conspectum omnium*: (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum), et dixit eis Pilatus: (Ecce Homo); et *cum vidissent eum Pontifices*, clamabant dicentes: (Crucifige, crucifige eum).

### *DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO PILATI USQUE AD CRUCEM INCLUSIVE*

*Joan. XIX. litt. D.*

Primo, Pilatus sedens *ut judex*, tradidit illis Jesum, ut eum crucifigerent, postquam illum Judæi negassent [esse suum] Regem dicentes: (Non habemus Regem nisi Cæsarem).

Secundo, portabat crucem humeris suis, et cum non posset eam portare, coactus fuit Simon Cyrenæus, ut illam portaret post Jesum.

Tertio, crucifixerunt eum *in medio* duorum latronum ponentes hunc titulum: (Jesus Nazarenus, Rex Judæorum).



*DE MYSTERIIS FACTIS IN CRUCE*<sup>5)</sup>*Joan. XIX. litt. E. F. G.*

Primo, locutus est septem verba in cruce: oravit pro iis, qui eum *crucifigebant*;<sup>6)</sup> veniam dedit latroni; commenda-

<sup>5)</sup> *De Mysteriis in cruce.* — Magnum hic notatur discrimen inter vulgatam versionem et autographum. In illa servatur fere ordo historiæ; in autographo contra, historiæ serie prætermittitur ordo rerum contemplandarum *accommodatus* videtur ad commendatam toties a S. P. considerationem *personarum, verborum, actionum* et, in tertia hebdomada, *eorum, quæ Dominus patitur*. In primo puncto videmus *personam*, Jesum ejusque *verba*, et *ea, quæ patitur*. In secundo *inanimata*, quæ veluti *personificata* suo modo *dolent* et *dolorem suum loquuntur*. In tertio *inimicos Christi eorumque verba et actiones*. Porro in aperto Christi latere merito hæc desinit contemplatio et in transfixo Jesu corde conquiescit. In corde — *doloris* et *amoris* pelago. — Hi duo affectus in corde Salvatoris dominati sunt in tota vita mortali et in his Passionis mysteriis præcipue elucet — et incomparabiliter majores fuerunt in Corde, quam in omnibus iis, quæ exterius in Vita et in Passione tamquam signis quibusdam manifestavit.

<sup>6)</sup> Ita, in ipso actu crucifixionis, ut innuit S. Lucas, qui solus Evangelistarum hoc Domini verbum commemorat.

vit S. Joannem Matri suæ, et S. Joanni Matrem; dixit alta voce: (Sitio), <sup>7)</sup> et dederunt ei *fel et acetum*; *dixit*: se esse derelictum; *dixit*: (Consummatum est); *dixit*: (Pater, in manus tuas commendo spiritum meum).

Secundo, sol obscuratus fuit, petræ scissæ, sepulchra aperta, velum Templi divisum in duas partes, a summo usque deorsum.

Tertio, blasphemant illum dicentes: (Vah, qui destruis Templum Dei, descende de cruce); fuerunt divisa vestimenta ejus; percussum lancea latus ejus *manavit* aqua et sanguine.

### *DE MYSTERIIS FACTIS A CRUCE USQUE AD SEPULCHRUM IN- CLUSIVE*

*Ibidem.*

Primo, fuit *depositus* de cruce per Joseph et Nicodemum in conspectu Matris suæ dolorosæ.

---

<sup>7)</sup> Videtur ex S. Joanne verbum hoc: *Sitio* prolatum a Domino ultimo loco ante istud: *Consummatum est*. — Actus ergo ille obedientiæ, *cum accepit acetum, ut Scriptura impleretur*, ultimus fuit, post quem *dixit: Consummatum est. Derelictum* se dixisse

Secundo, fuit delatum corpus ad sepulchrum et unctum et sepultum.

Tertio, *positi* fuere custodes.

### *DE RESURRECTIONE CHRISTI DOMINI NOSTRI, DE PRIMA EJUS APPARITIONE*

Primo, apparuit Virgini Mariæ; quod, licet non dicatur in Scriptura, habetur pro dicto, cum dicat, eum apparuisse *tam multis aliis*; quia Scriptura supponit nos habere intellectum, sicut scriptum est: (Adhuc et vos sine intellectu estis?)

### *DE SECUNDA APPARITIONE*

*Marc. XVI. litt. E.*

Primo, *eunt* valde mane Maria Magdalene, Jacobi et Salome ad monumentum dicentes: (Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?)

Secundo, *vident* lapidem revolutum et *Angelum*, qui dicit: (Jesum quæritis Nazarenum: surrexit; non est hic).

Tertio, apparuit Mariæ, quæ remansit juxta sepulchrum, postquam abiissent *ceteræ*.

---

videtur, postquam Matrem ipsam, quæ sola sibi supererat in terris, quodammodo abdicavit.



## DE TERTIA APPARITIONE

*S. Matth. ult. cap.*

Primo, *exeunt* istæ *Mariæ* e monumento cum timore et gaudio magno, *volentes* annuntiare discipulis *Resurrectionem* Domini.

Secundo, Christus Dominus noster illis apparuit in via dicens illis: (Avete); et illæ accesserunt et prostraverunt se ad ejus pedes, et adorarunt eum.

Tertio, Jesus dicit illis: (Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt).

## DE QUARTA APPARITIONE

*S. Luc. cap. ult. litt. B.*

Primo, cum audisset ex mulieribus Christum resurrexisse, ivit *cito* S. Petrus ad monumentum.

Secundo, intrans in monumentum vidit sola linteamina, quibus coopertum fuit corpus *Christi Domini nostri, et nihil aliud.*

Tertio, cogitanti S. Petro de his rebus apparuit Christus; et propterea dicebant Apostoli: (Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni).

## DE QUINTA APPARITIONE

*ult. cap. S. Lucæ.*

Primo, *apparet* Discipulis, qui ibant in Emmaus loquentes de Christo.

Secundo, reprehendit illos *ostendens per Scripturas, quod Christus debebat mori et resurgere*: (O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?)

Tertio, ad preces illorum *remanet ibi et fuit cum illis, donec data ipsis communionem* disparuit; et ipsi revertentes dixerunt *Discipulis*, quomodo cognovissent eum *in communionem*.

## DE SEXTA APPARITIONE

*Joan. cap. XX. litt. E. F.*

Primo, Discipuli erant congregati (Propter metum Judæorum), excepto S. Thoma.

Secundo, *apparuit* illis Jesus, cum essent januæ clausæ: et *stans in medio illorum* dicit: (Pax vobis).

Tertio, dat illis Spiritum Sanctum dicens illis: (Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis).

## DE SEPTIMA APPARITIONE

*Joan. XX. litt. G.*

Primo, sanctus Thomas *incredulus*, quia aberat ab apparitione præcedente, dicit: (Nisi videro . . . non credam).

Secundo, *apparet illis* Jesus inde post dies octo, cum essent januæ clausæ, et dicit S. Thomæ: (Infer digitum tuum huc et vide . . . et noli esse incredulus sed fidelis).

Tertio, S. Thomas *credidit* dicens: (Dominus meus et Deus meus); cui ait Christus: (Beati, qui non viderunt et crediderunt).

## DE OCTAVA APPARITIONE

*Joan. cap. ult. litt. A. B.*

Primo, Jesus *apparet* septem ex suis Discipulis piscantibus, qui tota nocte nihil prendiderant: et jacentes rete ad ejus mandatum (non valebant illud trahere præ multitudine piscium).

Secundo, per hoc miraculum S. Joannes illum cognovit, et dixit S. Petro: (Dominus est) qui projecit se in mare, et venit ad Christum.



Tertio, dedit illis ad comedendum<sup>8)</sup> partem piscis assi et favum mellis; et commendavit oves [suas] S. Petro examinato primum tribus vicibus de caritate et dicit illi: (Pasce oves meas).

### *DE NONA APPARITIONE*

*Matth. cap. ult. litt. D.*

Primo, Discipuli ex mandato Domini eunt ad montem Thabor.

Secundo, Christus illis apparet et dicit: (Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra).

Tertio, misit eos per totum mundum ad prædicandum dicens: (Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti).

### *DE DECIMA APPARITIONE*

*In Ep. 1. ad Corinth. cap. XV. litt. B.*

(Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul.)

---

<sup>8)</sup> *Partem piscis assi et favum mellis.*  
— Ita in autographo. Quæ verba cum in Evangelio ad aliam apparitionem pertineant, dicendum est Sancto Patri memoriter puncta hæc scribenti illud evenisse, quod non raro etiam SS. Patribus verba Scripturæ ex memoria referentibus accidisse nemo ignorat.

*DE UNDECIMA APPARITIONE**In Ep. 1. ad Corinth. cap. XV. litt. B.**(Deinde visus est Jacobo).**DE DUODECIMA APPARITIONE*

Apparuit Josepho ab Arimathea, ut pie cogitatur meditando, et legitur in vita Sanctorum.

*DE DECIMATERTIA APPARITIONE**Ep. 1. ad Corinth. cap. XV. litt. B.*

Apparuit S. Paulo post Ascensionem: (Novissime tamquam abortivo visus est mihi). Apparuit etiam in anima Patribus sanctis Limbi, et *postquam* [eos inde] *eduxisset, et corpus iterum assumpsisset*, multis vicibus apparuit Discipulis et *conversabatur* cum illis.

*DE ASCENSIONE CHRISTI DOMINI  
NOSTRI**Act. 1. litt. A. B.*

Primo, postquam per spatium quadraginta dierum apparuisset Apostolis, *faciens* [præbens] *multa argumenta et signa* et loquens de Regno Dei, *mandavit*

illis, ut in Jerusalem promissum Spiritum Sanctum expectarent.

Secundo, eduxit illos ad montem Oliveti et in præsentia eorum elevatus est, et nubes sustulit eum ab oculis eorum.

Tertio, aspicientibus illis in cœlum dicunt illis *Angeli*: (Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum).<sup>9)</sup>

<sup>9)</sup> Quam opportune terminatur ultima Contemplatio de gloriosis Christi mysteriis illa admonitione Angelorum: *Viri Galilæi, quid statis . . . .?* et futuri iudicii commemoratione! Scilicet ut nos, illud iudicium prospicientes, contemplationis suavitate non contenti, ad *opera* Christo digna nos accingamus.






Ait Jacob: Jura mihi. Juravit ei



Esau. et vendidit... Gen 25, 33



Elcasarus compellabatur carnem



porcisam manducare II M 6, 18



## REGULÆ

*ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo*<sup>1)</sup> *varias motiones, quæ in anima excitantur: bonas, ut suscipiantur, malas, ut rejiciantur. Suntque magis propriæ [sive convenientes istæ Regulæ] pro prima hebdomada.*

Prima Regula: in illis, qui eunt [ruunt] a peccato mortali in peccatum mortale,

<sup>1)</sup> *Ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo.* — Notatu dignum est ex autographo: 1. Regulas istas non tantum ad *discernendos* animi motus inservire, sed etiam ad illos *sentiendos* sive observandos. Quam multi enim sunt, qui motus animæ suæ ne *sentiunt* quidem, id est, non attendunt, non observant. Ut ergo ad illos reddamur attenti, Regulæ istæ mirifice juvant. 2. Dicitur: *ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo. Aliquo modo, aliqua ratione* per sequentes Regulas motus animi dignosci possunt, ne



solet communiter inimicus proponere eis delicias *apparentes*,<sup>2)</sup> *efficiendo, ut ima-*

scilicet solas hasce Regulas sufficere existimemus, cum non modo alteræ deinde subtiliores ab ipso S. P. nostro tradantur, verum etiam singulari lumine divino et gratia opus sit, quod donum *Discretio spirituum* vocatur. Nemo vero sibi ad propriam directionem Regulas sufficere existimet solas absque directoris ductu.

Ceterum in hisce Regulis omnes variationes ex autographo diligenter velim observari, quamvis nullam adnotationem subjiciamus. Magis enim hic quam usquam alias, textus S. P. ex autographo clarior redditur; id quod etiam in hoc argumento de discernendis spiritibus momenti est majoris fortasse, quam usquam alias.

<sup>2)</sup> *Apparentes*. — Nonnisi *apparentes* delicias proponere potest, ipse miserrimus; et *inimicus* cum sit odio flagrans in humanam naturam non vult nec potest velle, nisi quo noceat vel animæ vel corpori vel utrique; quod si quid delectabile objiciat, bonum illud apparens est, vanum, fucatum, fallax, et certo certius ad malum animæ inferendum bonum illud qualecumque dirigitur. Vide dicta ad annot. 7 ex 20, n. 15. Exponuntur in his duabus primis Regulis media, quibus utitur tum malus angelus tum bonus, contraria pro fine, quem uterque intendit contrarium, et pro dispositione cujusque hominis pariter contraria. — Adverte tamen poni a



*ginentur* delectationes et voluptates sensuales, quo magis illos conservet et *ad-augeat* [promoveat] in suis *vitiis et peccatis*: in quibus personis bonus spiritus *utitur modo contrario*, pungendo illos et remordendo illis conscientias per *synderesin* rationis.

Secunda: in illis, qui *intense procedunt* in purgandis suis peccatis, et in servitio *Dei Domini nostri de bono in melius ascendendo*, *obtinere modum contrarius ei, qui in prima Regula* [notatus est]; tunc enim proprium est mali spiritus, *mordere, tristitia afficere* et ponere impedimenta, *inquietam reddendo* [animam] per falsas rationes, ne pergat ulterius. Et proprium boni [spiritus est] dare animum et vires, consolationes, lacrimas, inspirationes et quietem [animi], *facilia reddendo* [omnia] et removendo omnia impedimenta, ut *in bene operando procedat* ulterius.

Tertia: *de consolatione spirituali. Voco* [dico, nomino] consolationem, quando in

---

S. P. duo extrema, nempe exemplum peccatoris *perditissimi* in prima regula, *ferventis pœnitentis* vel *justi* in secunda. Ergo ubi de *tepido* agitur, magna discretione opus est in applicandis hisce regulis. Vid. dicta supra n. 1.

anima *excitatur*<sup>3)</sup> motio *aliqua* interior, qua *inflammari incipit* anima in amore sui Creatoris ac Domini; et *consequenter*, quando [anima] nullam rem creatam super faciem terræ amare potest *in se ipsa sed* [solummodo] in Creatore omnium illarum. Item quando fundit<sup>4)</sup> lacrimas moventes ad amorem Domini sui, sive sit ob dolorem de suis peccatis, sive de Passione Christi Domini nostri, sive de aliis *rebus* directe ordinatis in ejus servitium et laudem. Denique voco consolationem omne augmentum *spei, fidei* et caritatis et omnem lætitiã internam, quæ *vocat et attrahit* [hominem] *ad res cœlestes* et ad propriam salutem animæ suæ, *reddendo illam quietam* et pacificando illam *in suo Creatore ac Domino*.

Quarta: *de desolatione spirituali*. Voco desolationem *omne*, [quod est] contrarium *tertiæ Regulæ* [dictis in tertia Regula]:

<sup>3)</sup> *Excitatur* — *inflammari incipit*. — In autographo quædam videtur exprimi gradatio, quam utcumque conservare studuimus. *Excitatur*, hispanice: *se causa (causatur) motio aliqua, cum qua seu per quam, hisp. viene la anima a inflammarse (venit anima ad inflammandum se)*.

<sup>4)</sup> *Fundit*. — Hisp. *lança* i. e., *ejicit* — exprimitur *vis lacrimarum erumpentium*,

ut, obtenebrationem animæ, turbationem in illa, motionem ad res infimas ac terrenas, inquietudinem variarum agitationum et tentationum, moventem ad diffidentiam sine spe, sine amore; cum se reperiat [anima] totam pigram, tepidam, tristem et *veluti separatam a Creatore ac Domino suo*; quia sicut consolatio contraria est desolationi, eodem modo cogitationes, quæ oriuntur ex consolatione, contrariæ sunt cogitationibus, quæ oriuntur ex desolatione.

Quinta: tempore desolationis *nunquam mutatio facienda est, sed standum firmiter et constanter* in propositis ac determinatione, in qua erat [homo] die *præcedente ejusmodi desolationem*,<sup>5)</sup> vel in determinatione, in qua erat in præcedenti consolatione; quia sicut in consolatione nos magis ducit et *consilio suo* dirigit bonus spiritus, ita in desolatione malus, *cujus consiliis non possumus* invenire viam [deduci] ad recte quid decernendum.

<sup>5)</sup> *Die præcedente ejusmodi desolationem.* — Ita ex autographo clarius exprimitur, nunquam in desolatione mutari debere concepta *prius* proposita; *prius*, inquam, id est, non modo ea quæ *in consolatione* sensibili, sed quæ *prius*, ante desolationem, *in animi quiete* statuta fuerant.



Sexta: licet in desolatione non debeamus mutare priora proposita, *valde* [tamen] *juvat intense mutare*<sup>6)</sup> *se* [sive modum agendi, ut pugnemus] contra ipsam desolationem: v. g. insistendo *magis* orationi, *meditationi*, *multum* [nos] examinando, et *extendendo nos magis* [am-

<sup>6)</sup> *Valde juvat intense mutare se* etc. — Ergo consilia quidem prius concepta mutanda non sunt, sed mutanda ratio se ipsum tractandi, et hæc mutatio *intense* facienda est *contra ipsam desolationem*, et talis mutatio *valde* juvat ad desolationem vincendam. Porro, in quo consistere ista mutatio debeat, distincte docemur a S. P.: scilicet ut v. g. 1. *magis insistamus orationi et meditationi*; 2. *multum* nos, conscientiam nostram, actus nostros nostraque omnia *examinemus*; 3. *amplius* aliquid et abundantius suscipiamus in exercendis pœnitentiæ operibus modo aliquo nobis nostroque statui, nostræ complexionis accommodato seu convenienti. In triplici hoc exercitio *orationis, examinis et pœnitentiæ* torpere nos facit desolatio. Ergo *contraria contrariis curanda*. — Utinam, quæ hic B. P. *valde* proficua esse dicit in desolatione, diligenter a nobis in usum deducerentur, dum desolatione premimur! Notanda illa: *intense . . . magis . . . multum . . . extendendo nos magis . . .* quæ, in vulgata versione omissa, ex autographo restituiamus.

plus quid agendo] *in aliquo convenienti modo faciendi pœnitentiam.*

Septima: *ille, qui est in desolatione, consideret, quomodo Dominus ipsum reliquit probationis gratia in suis potentiis naturalibus, ut resistat variis agitationibus et tentationibus inimici; potest enim [resistere] cum auxilio divino, quod semper ipsi manet, licet aperte illud non sentiat [sibi adesse], quia Dominus subtrahit ipsi multum suum favorem, magnum amorem [sensibilem] et gratiam intensam, manente tamen ipsi gratia, quæ sufficiat<sup>7)</sup> ad salutem æternam.*

Octava: *ille, qui est in desolatione, [in eo] laboret, ut persistat in patientia, quæ est contraria vexationibus, quæ sibi ingruunt: et cogitet se cito esse consolant-*

<sup>7)</sup> *Quæ sufficiat.* — Ita ex autographo. Non modo *quæ satis esse queat, sed quæ vere satis sit, vere sufficiat* ad tentationes vincendas. Neque vero intelligitur hic *gratia sufficiens* eo sensu, quo a theologis dicitur per oppositionem ad *gratiam efficacem.* — Satis patet ex dictis in posteriore parte hujus Regulæ, non excludi a S. Patre sed omnino etiam subintelligi *gratiam*, licet minus copiosam, ubi in priori parte Regulæ hominem relinqui dicebat *in suis potentiis naturalibus; naturalibus*, id est *ordinariis*, gratia supernaturali minime exclusa.

dum; *adhibendo diligentias*<sup>8)</sup> [sive conatus] contra ejusmodi desolationem, prout dictum est in sexta Regula.

Nona: tres causæ sunt præcipuæ, ob quas desolatos nos reperimus. Prima est, quia sumus tepidi et pigri seu negligentes in exercitiis nostris spiritualibus; atque ita *ob culpas nostras elongatur* spiritualis consolatio a nobis. Secunda, ut probet nos [Dominus], *quantum valeamus* et quousque *procedamus* in ejus servitio et laude absque *tanto* stipendio consolationum et *magnarum* [specialium] gratiarum. Tertia, ut det nobis *veram notitiam et cognitionem, qua intime sentiamus*, non esse ex nobis, acquirere vel retinere magnam devotionem, amorem intensum, lacrimas neque ullam aliam consolationem spiritualem, sed totum esse donum et gratiam Dei Domini nostri, et *ne in aliena domo nidum ponamus*<sup>9)</sup>

<sup>8)</sup> *Adhibendo diligentias* (sive conatus). — *Tò præsertim*, quod legitur in vulgata versione, abest in autographo. Et vero sancti illi conatus, de quibus in Regula sexta, *omnino* adhibendi in desolatione, si *spem* fundatam quærimus *adfuturæ brevi consolationis*.

<sup>9)</sup> *Ne in aliena domo nidum ponamus*. — Locutio proverbialis alludit ad nidificationem hirundinis; antiqua versio *ms.* legit



efferendo intellectum nostrum in *aliquam* superbiam vel vanam gloriam, attribuendo nobis ipsis devotionem vel ceteras partes spiritualis consolationis.

Decima: ille, qui est in consolatione, *cogitet*, quomodo se habebit in desolatione, quæ postea [ei] superveniet, sumendo *novas vires pro illo tempore*.

Undecima: ille, qui *est* in consolatione, *procurat* humiliare sese atque deprimere, quantum potest, cogitando, quam parum

---

in hisp. pro *casa*, quæ vera est lectio, *cosa*, et sic expressit: *ut in nulla re aliena quiescamus*. — Sensus est, ne, quod alienum est, nobis ut proprium usurpemus atque ita securitatem capiamus ibi, ubi capienda non est: ut qui *in aliena domo* sibi habitationem figeret, exturbandus scilicet inde, cum domino domus visum fuerit. — Notatu dignum est, in autographo non *superbiæ crimen* dici nec simpliciter *superbiam*, sed lenissime *aliquam superbiam*; quo intelligamus vel levem *aliquam* superbiam vel exiguam *aliquam* complacentiam Deo vehementer displicere, et ob ejusmodi levem etiam complacentiam non raro nos cœlesti consolatione merito privari. Et vero illud maxime omnium in consolatione timendum atque cavendum, ne evanescamus neve securitatem capiamus, vanam semper et inanem; nisi in *sola Domini misericordia* confidamus eique *soli* omnia bona nostra accepta referamus.

valeat tempore desolationis sine *illa tali* gratia seu consolatione. E contrario cogitet ille, qui *est* in desolatione, se posse multum cum gratia, *quæ sufficit ad resistendum* omnibus suis inimicis, *sumendo vires in Creatore ac Domino suo.*

Duodecima: inimicus [noster] facit se [exhibet se, gerit se] ut femina, in quantum est [ipse] *debilis per vim* [i. e. si reprimatur] et *fortis per voluntatem* [ma-  
liti-  
am, et rabiem].<sup>10)</sup> Nam sicut proprium est feminæ, dum rixatur cum aliquo viro, perdere animum, capi-  
endo fugam, quando homo ei os impavidum ostendit; et e contrario si vir incipit fugere, perdendo

<sup>10)</sup> *Debilis* etc. — Notatu valde digna sunt ista duo epitheta contraria inter se, et tamen verissima imago, quæ dæmonis naturam egregie depingit. *Debilis per vim*, hisp. *por fuerza*, ital. *per forza*, s. *suo malgrado*, scilicet quod, licet valeat viribus, reprimi tamen possit et sic *per vim* et invitus ac maxime nolens *debilis* reddatur; voluntate tamen prava ac nocendi cupiditate *fortis*. Plane ut improba femina. Quod in vulgata versione dicitur: *quoad imbecillitatem virium*, nisi subintelligatur, quod vires ejus per generosam resistentiam frangantur, verum sensum non exprimit. Quis enim belluam illam *viribus* per se *imbecillum* dicat? Vid. not. mox sequentem, n. 11.

animum, *ira, vindicta et ferocia* feminæ est valde magna et prorsus *sine mensura* [extrema]. Eodem modo proprium est inimici [nostri], viribus destitui et animum perdere (*in fugam vertentibus se tentationibus ejus*), quando ille, *qui se exercet in rebus spiritualibus*, os impavidum opponit tentationibus inimici, *faciendo oppositum e diametro* [id est contrarium omnino ei, quod ipse per suas tentationes prætendit].<sup>11)</sup> Et e contrario, si qui se exercet *incipit* timere et perdere animum in patiendis tentationibus, non est bestia adeo efferata super faciem terræ, ut [est] inimicus humanæ naturæ *in prosecutione perversæ suæ intentionis cum adeo magna* [maxima] *malitia*.

Decima tertia: sic etiam se gerit, ut vanus [falsus] amator, *in quantum vult esse secretus et non detegi*. Nam sicut

<sup>11)</sup> Hoc loco in versione antiqua *ms.* inseritur: *ideo ait Paulus: Resistite diabolo, et fugiet a vobis*. Itemque in fine hujus duodecimæ Regulæ: *ideo recte dicit Job de dæmone: Non est potestas super terram, quæ comparetur illi*. — Quæ quidem in autographo hispanico non habentur; admissa tamen fuere a S. P. in illa versione, qua ipse uti consueverat. Et sane hi textus doctrinam hac Regula contentam egregie confirmant.



[talis] homo vanus [falsus], qui loquens ad malum finem allicit [sollicitat] filiam aliquam alicujus boni patris vel uxorem boni mariti, vult ut verba sua et suasiones sint secretæ: et contra displicet ei summopere, quando filia patri, vel uxor marito detegit vana [fallacia] ejus verba et intentionem pravam; quia facile colligit, fore ut non possit rem inceptam ad finem perducere. Eodem modo, quando inimicus naturæ humanæ ingerit animæ *justæ* suas fraudes et suasiones, *vult ac desiderat, ut recipiantur et teneantur in secreto*: sed quando [illa] eas detegit bono suo confessario, vel alteri personæ spirituali, quæ cognoscat ejus *fraudes ac malitias*, valde ei displicet; quia [hinc] infert, fore ut non possit malitiam suam, quam inchoarat, perficere, cum detectæ sint fraudes suæ manifestæ.

Decima quarta: sic etiam [gerit se] ut *belli dux*<sup>12)</sup> ad vincendum ac deprædandum id, quod desiderat. Nam, sicut belli dux et *caput exercitus*, castra ponendo et explorando vires ac dispositionem ar-

<sup>12)</sup> *Belli aux*, et infra, *caput exercitus*. — Duobus hisce locis habetur in autographo vox *caudillo*, quæ etiam de *duce latronum* usurpari solet, ut notavimus in *contempl. de duobus Vexillis*, n. 50.

cis alicujus, eam impugnat ex parte debiliori; eodem modo, inimicus humanæ naturæ *circumiens* explorat *omni ex parte* virtutes omnes nostras theologicas, *cardinales* et morales; et qua parte nos reperit debiliores et *egentiores pro nostra æterna salute*, ea parte nos impugnat et procurat nos expugnare.

### REGULÆ

ad eundem effectum *cum majori discretionē spirituum, et conducunt [conveniunt] magis*<sup>1)</sup> *pro secunda hebdomada.*

Prima: proprium est Dei et Angelorum ejus, in suis motionibus dare veram lætitiā et gaudium spirituale, removendo omnem tristitiā et turbationem, quam inimicus inducit; cujus proprium est, militare [pugnare] contra ejusmodi lætitiā<sup>2)</sup> *et consolationem spiritualem ad-*

<sup>1)</sup> *Magis.* — *Magis* conveniunt vel convenire solent; non ita ut omnino semper et exclusive secundæ hebdomadæ conveniant. Pendet enim hoc non tam ex hebdomada Exercitiorum, in qua quis versatur, quam ex animæ dispositione et habitu. Vide dicta ad Annot. decimam inter 20, n. 17.

<sup>2)</sup> *Contra ejusmodi lætitiā.* — Lætitia spiritualis cum sit ad animæ profectum utilissima, nil mirum, si dæmon hanc lætitiā

ducendo *rationes apparentes, subtilitates et assiduas fallacias.*

Secunda: solius est Dei *Domini nostri*, dare consolationem animæ sine causa præcedente; quia proprium est Creatoris [animam] *intrare, egredi,*<sup>3)</sup> *facere motionem in illa*, trahendo illam totam in amorem *sucæ divinæ Majestatis*. Dico: sine causa, [id est, sine] ullo prævio sensu vel cognitione alicujus objecti, per quod illa talis [ejusmodi] consolatio adveniat [animæ] *per ejus* [proprios] *actus intellectus et voluntatis.*<sup>4)</sup>

impugnare animamque Deo deditam turbare, quibuscumque possit artibus, conetur. Inimicus enim cum sit, animam, quam *ad malum pertrahere* se tam facile posse non sperat, saltem *impedire a profectu* vel saltem *vexare* et affligere tentat; proque odio isto suo etiam *vexare* in primis contentus est non sine spe *impediendi* hac ratione majus bonum ac tandem etiam *pertrahendi* animam ad *malum*. — Patet agi de anima, qualis describitur in secunda ex prioribus Regulis *ad spiritus dignoscendos*.

<sup>3)</sup> *Intrare, egredi.* — Ita ex autographo. Intellige, *uti Creatorem anima sibi dedita ut propria domo*. Quæ similitudo adhibetur etiam infra in Reg. 7.

<sup>4)</sup> *Per ejus* (proprios) *actus intellectus et voluntatis.* — Hæc ultima verba hujus Regulæ, ex autographo, tollere videntur ambi-



Tertia: cum [s. præcedente] causa potest consolari animam æque Angelus bonus ac malus ad fines [tamen] contrarios: bonus Angelus *ad profectum animæ, ut crescat et ascendat de bono ad melius;*<sup>5)</sup> et malus angelus *ad contra-*

guitatem illam vel potius inexplicabilem obscuritatem, quam versio vulgata præ se ferre quibusdam visa est, ac si *nec sensibus nec intellectui nec voluntati* quidquam *objectum esset*; hoc enim posito, quid erit, de quo anima consolationem concipiat? — Et quidem *in voluntati* plane deest in autographo neque admitti posse hoc loco videtur. — Omnino igitur, et intellectui et maxime voluntati objectum aliquod adsit necesse est; sed non ita aut cognitum aut ratiocinatione comprehensum, ut *talis* inde consolatio *per ejus* (proprios) *actus intellectus et voluntatis* oriri in anima potuerit. — Innuitur id quidem in vulgata versione illis verbis: *ejusmodi* consolationem *causare* ex se: multo tamen clarius ex autographo exprimitur. In versione vero *ms.* hoc loco habetur sequens citatio: *B. Thomas 1. 2. q. 9. art. 6. et q. 10. art. 4.* quibus locis Doctor Angelicus agit de motione voluntatis, movente Deo.

<sup>5)</sup> *Ut crescat et ascendat de bono ad melius* etc. — Supponit S. P. hoc loco hominem, qui consolationem accipit, esse actu in bono statu, cui proin bonus Angelus consolationem ingerit, ut ad *meliora* proficiat, malus contra, ut ad *minus bonum* vel etiam *ad malum* declinet.

*rium, et deinceps* ut trahat illam ad perversam suam intentionem et malitiam.

Quarta: proprium est angeli mali, qui in Angelum lucis *se transfigurat, intrare cum anima devota* [i. e. incipere suggerendo cogitationes animæ devotæ conformes] et *exire secum ipso* [i. e. finire, suggerendo suas]; scilicet [solet] inducere cogitatus bonos et sanctos *conformiter* [ad dispositionem] talis animæ justæ; ac dein paulatim procurat *pervenire ad finem suum* trahendo [inducendo] animam in suas fraudes occultas ac *perversas intentiones.* <sup>6)</sup>

<sup>6)</sup> Hæc quarta Regula summi est momenti uti et, quæ proxime sequitur, quinta, ne decipiamur specie boni et a vero bono delamur. Nulla enim est virtus, ad quam ferri majori studio animam aliquam contingat, quin dæmon id animadvertens continuo tentet specie ipsius illius virtutis, sive per excessum sive alio artificio, animam vexare, impedire, perdere. Cogita v. g. quam multos *zelus* indiscretus, quam multos *devotio* inordinata perdidit vel certe impedit et perdit vel impedit quotidie, fallente scilicet dæmone; cujus tamen fallacias anima vere *humilis* et præsertim *obediens* facile vitabit. Parum enim proficit inimicus extrinsecus agens, nisi domesticus *amor proprius* in eandem ruinam conspiret.

Quinta: debemus valde attendere ad discursum [s. seriem] cogitationum; et si principium, medium et finis, [si, inquam, tria hæc] sint *omnia bona, tendentia ad omne bonum* [s. ad id, quod omnino bonum sit],<sup>7)</sup> signum est boni Angeli; sed si in discursu [in serie] cogitationum, quas suggerit, desinat in rem aliquam malam vel distractivam vel minus bonam quam ea, quæ anima prius sibi proposuerat facienda, vel ipsam *debilitet, vel inquietam reddat, vel conturbet animam auferendo illi suam pacem, tranquillitatem et quietem, quam prius habebat, clarum signum est procedere [cogitationes illas] a malo spiritu, inimico nostri profectus ac salutis æternæ.*<sup>8)</sup>

<sup>7)</sup> *Sint omnia bona, tendentia ad id, quod omnino bonum sit.* — Omnia, quæ in principio, medio et fine diligenter discussis deprehendantur, et *bona sint* necesse est et *nonnisi ad bonum inclinent.* Duo hæc distincta sunt et per oppositum ex consequentibus clarius intelliguntur. Nota præsertim signum mali spiritus esse, si cogitationes illæ animam *inquietam* reddunt vel *conturbant.* Quantumvis ergo boni speciem habeant, inquietudo illa et conturbatio illas tibi saltem suspectas reddat.

<sup>8)</sup> *Ac salutis æternæ.* — Ex autographo, periculum indicatur non modo amittendæ



Sexta: quando inimicus humanæ naturæ fuerit deprehensus *et cognitus* ex cauda sua serpentina *et fine malo*, ad quem inducit, utile est ei, qui fuit ab eo tentatus, considerare postea discursum [sive seriem] bonarum cogitationum, quas sibi suggessit, et principium illarum, et quomodo paulatim procuraverit, ut ipsum *descendere* [excidere] *faceret* a suavitate illa et lætitia spirituali, in qua erat, *donec illum deduceret ad depravatam suam intentionem*; ut istiusmodi experientia cognita *et notata* caveat sibi in posterum ab ejus consuetis fraudibus.

Septima: in iis, qui procedunt de bono in melius, bonus Angelus tangit talem animam dulciter, leviter et suaviter, ut gutta aquæ, quæ intrat in spongiam; et malus [angelus] tangit [eam] acute et cum sonitu et inquietudine, ut quum aquæ gutta decidit super petram; eos autem, qui procedunt de malo in pejus, tangunt supradicti spiritus modo contrario. Cujus rei causa est, quod dispositio animæ sit dictis Angelis contraria, vel similis: quando enim est contraria, *intran*t [spiri-

---

majoris perfectionis, verum etiam *salutis æternæ*, ubi ab illusionibus dæmonis homo non caveat.

tus]<sup>9)</sup> cum strepitu et sensationibus, ita ut percipi facile possit [eorum accessus]; quando autem est similis, intrat [spiritus] cum silentio, tamquam in propriam domum et aperta porta.

Octava: quando consolatio est sine causa, licet ei non *insit* fraus, cum a solo Deo Domino nostro [tunc] procedat, ut dictum est [Reg. 2]; tamen *persona spiritualis, cui dat Deus talem consolationem, debet multa cum vigilantia et attentione considerare ac discernere proprium tempus actualis* ejusmodi consolationis a sequenti [tempore], in quo anima remanet fervens et favorem [divinum] ac reliquias consolationis præteritæ etiamnum sentit; quia sæpe in hoc secundo tempore per suum proprium discursum *ex habitibus* [suis] et *ex consequentiis* [haborum] *conceptuum* et *judiciorum* [vel ex judiciis propriis], sive per bonum spiritum sive per malum, format *varia proposita* et *consilia*, quæ non dantur

<sup>9)</sup> *Intrant* (spiritus). — Quod hoc loco habet vulgata versio: *ei se conjungit*, plus dicere videtur, quam quod significandum est. Cum enim agatur solum de spiritus cujusvis *motione*, si spiritus dicatur animæ *se conjungere*, indicari videretur non *motio* tantum, sed etiam animæ *consensus*; de quo quidem hic sermo non est.

immediate a Deo Domino nostro; ac proinde *valde bene discutiantur* necesse est, antequam iis *integer* assensus tribuatur, et deducantur ad effectum.

*In Ministerio distribuendi*<sup>1)</sup> *eleemosynas debent servari sequentes Regulæ.*

Prima: si facio distributionem parentibus vel amicis vel personis, quas amo, quatuor [ista] considerata mihi erunt, de quibus dictum est ex parte in materia Electionis. Primum est, ut *amor ille, qui me movet meque facit dare eleemosynam, descendat desursum* ex amore Dei Domini nostri; ita ut sentiam primum in me, amorem, quem *plus minusve* habeo erga tales personas, esse propter Deum, et ut *in causa, ob quam eas magis amo, reluceat Deus.*

Secunda: volo proponere mihi hominem aliquem, quem nunquam viderim neque cognoverim; et cum [s. posito

<sup>1)</sup> *In Ministerio distribuendi.* — Notatu valde dignus est hic loquendi modus S. P. N., quo eleemosynarum distributio *Ministerium* appellatur; ut proin, qui eas distribuunt, *ministros* se esse intelligant: quod cum generatim verissimum est, tum maxime, ubi de redditibus Ecclesiasticorum beneficiorum distribuendis agitur.



quod] ego desiderem omnem ejus perfectionem *in* ministerio et statu, quem habet, eo modo, quo vellem eum tenere *medium* in suo modo distribuendi [eleemosynas] ad majorem gloriam Dei Domini nostri et majorem perfectionem animæ suæ: eo ipso modo ego faciens, *nec plus nec minus*, servabo *regulam et mensuram*, quam alteri vellem et [quam] *judico esse talem*, [qualis convenit majori Dei gloriæ et animæ perfectioni].

Tertia: volo considerare, ac si essem in articulo mortis, *formam et mensuram*, quam tunc vellem tenuisse in officio meæ administrationis; et juxta illam [formam et mensuram] me dirigendo, eam servare in actibus meæ distributionis.

Quarta: considerando, qualem me inventurus sim [quo animo sim futurus] in die Judicii, cogitare *bene*, quomodo tunc optaturus sim me usum esse *hoc officio et munere ministerii hujus*; et regulam, quam tunc optarem tenuisse, eamdem nunc tenere.

Quinta: quando quis sentit se inclinatum et affectum erga aliquas personas, quibus vult distribuere, *se detineat* [s. expectet] ac ruminet bene quatuor Regulas supradictas, examinando et *probando* suam affectionem ope illarum [Regula-

rum],<sup>2)</sup> *neque det* eleemosynam, donec *conformiter ad illas* [Regulas] suam inordinatam affectionem *omnino* removerit et *abjecerit*.

Sexta: quamvis nulla sit culpa in assumendis *bonis Dei Domini nostri* ad ea distribuenda, quando quis vocatus est *a Deo et Domino nostro* ad tale ministerium: tamen *in* [determinanda] quantitate, quam debet sumere et applicare sibi ipsi, ex iis, *quæ habet, ut det aliis, dubium* [timor] est de *culpa* et excessu; proinde [qui in ejusmodi est ministerio] *reformare se* potest in vita sua et statu per Regulas supradictas.

Septima: propter rationes jam dictas et alias *multas, semper* [tanto] melius est et securius in eo, quod ad propriam personam et statum domus [v. familiæ] pertinet; quanto magis se [quis] restrinxerit et [sibi] diminuerit, et quanto propius accesserit ad summum *nostrum Pontificem, exemplar et regulam nostram, qui est Christus Dominus noster*: juxta quam doctrinam tertium Concilium Car-

---

<sup>2)</sup> *Ope illarum (Regularum)* — hisp. *con ellas*, posset etiam referri ad personas, ita ut sensus sit: *probando affectionem suam erga illas personas*, scil. an purus sit et bene ordinatus ille affectus.

thaginiense (cui interfuit S. Augustinus) decernit et *mandat*, ut supellex Episcopi *sit* vilis et pauper. Idem debet considerari in omnibus vivendi modis [s. statibus] habita ratione conditionis et status personarum *servataque proportione*: quemadmodum in matrimonio habemus exemplum Sancti Joachim et Sanctæ Annæ, qui dividentes facultates suas [s. redditus] in tres partes, primam dabant pauperibus, secundam ministerio et servitio Templi, tertiam sumebant ad *sustentationem* suam et *sucæ familieæ*.

*Ad sentiendos et dignoscendos scrupulos et suasiones inimici nostri, juvant Notæ sequentes.*

Prima: appellant vulgo scrupulum illud, quod procedit ex nostro proprio iudicio et libertate: scilicet quando ego *libere judico* [mihi formo iudicium] esse peccatum, quod peccatum non est; sicut accidit, ut aliquis, postquam calcavit incidenter crucem ex paleis [formatam], *judicet suo proprio iudicio* se peccasse. Atque hoc est proprie iudicium erroneum, non verus scrupulus.

Secunda: postquam calcavi illam crucem, vel postquam cogitavi vel dixi vel feci aliquid aliud, venit mihi extrinsecus



cogitatio, me peccasse, et ex altera parte mihi videtur, quod non peccaverim; *tamen* sentio in hoc turbationem, scilicet *in quantum dubito* [s. timeo de peccato] *et in quantum non dubito*: istud est proprie scrupulus et *tentatio*, quam inimicus ingerit.

Tertia: primus ille scrupulus primæ Notæ est valde abhorrendus, quia *totus* est error; sed secundus Notæ secundæ per aliquod spatium temporis non parum prodest animæ, *quæ se dat* spiritualibus exercitiis: *imo* magnopere purgat *et mundat* talem animam, *separando illam valde* ab omni specie [apparentia] peccati juxta illud Gregorii: *Bonarum mentium est, ibi culpam cognoscere, ubi culpa nulla est.*

Quarta: inimicus valde observat sitne anima *crassa* an *delicata*: et si est delicata, procurat illam reddere magis delicatam *ad extremum usque*, quo facilius eam turbet ac *profliget*<sup>1)</sup> [confundat]: v. g. si videt animam aliquam non ad-

<sup>1)</sup> *Profliget* (confundat). — Verbum hispanicum *desbaratar* bellicum est et confusio-  
nem illam ac perturbationem exprimit, quæ solet accidere, cum exercitus ab hoste victore *funditur*.

mittere in se peccatum [nec] mortale nec veniale, nec speciem [apparentiam] ullam peccati deliberati: tunc inimicus, cum non possit efficere, ut illa cadat in aliquid, quod speciem habeat peccati, procurat efficere, ut ipsa *judicet* [esse] peccatum, ubi peccatum non est, ut in aliquo verbo vel cogitatione *minima*. Si anima est crassa, inimicus procurat illam reddere magis crassam; v. g. si prius nihili faciebat peccata venialia, procurabit, ut [jam] mortalia parvi pendat; et *si prius* [peccata] *curabat aliquantum*, [procurabit], ut [ea] nunc *multo minus* vel *omnino non* curet.

Quinta: anima, *quæ desiderat* proficere in vita spirituali, *semper* debet procedere modo contrario [ei], quo procedit inimicus: scilicet si inimicus tentat crassiorem reddere animam, [ipsa] procuret reddere se delictiorem; similiter si inimicus procurat ipsam attenuare [delictiorem reddere], ut *in extremum* deducat, anima procuret *solide se firmare in medio*,<sup>2)</sup> ut omnino quietam se reddat.

<sup>2)</sup> *Solide se firmare in medio*. — Ita ex autographo: ubi notatu dignum est, non poni a S. Patre, quod in vulgata versione legitur: *relaxet contra*. Licet enim hoc videatur sequi ex generali propositione S. P. in

Sexta: quando talis anima *bona* vult dicere vel operari aliquid intra Ecclesiam, intra intelligentiam Majorum nostrorum, quod sit in gloriam Dei Domini nostri, et venit [ingruit] ipsi *cogitatio aliqua vel tentatio extrinsecus*, ut ne dicat, neve operetur illud, adducendo ei *rationes apparentes* vanæ gloriæ vel alterius [mali] *etc.*; tunc *debet* elevare mentem ad *suum Creatorem et Dominum*; et si videat [illud] esse ejus debiti servitii, vel saltem non [esse] contra [ejus obsequium], debet *facere* [procedere] *per diametrum* [recta] contra illam tentationem juxta Bernardum eidem respondentem: *Nec propter te incepti, nec propter te finiam.*

initio hujus Regulæ, tamen id hoc loco in applicatione ejusdem Regulæ non dicit; sed potius vult animam, quam dæmon in anxietates conjicere tentat, *in medio* firmiter ac *solide* consistere. — Et vero, qui *relaxat* conscientiam, cum eam *dæmon* quærit *nimum restringere*, si ultra *medium* in ea relaxanda se dissolvat, gravissimum incurrit periculum, ne in illud ipsum malum impingat, quo inimicus eam per illas ipsas angustias conatur tandem pertrahere: id quod etiam tristis plurimorum scrupulosorum comprobatur experientia.



*Ad sentiendum vere, sicut debemus, in Ecclesia Militante, servantur Regulæ sequentes.*

Prima: deposito omni iudicio [proprio], debemus tenere animum paratum et promptum ad obediendum in omnibus veræ Sponsæ Christi *Domini nostri*, quæ est nostra sancta Mater Ecclesia Hierarchica. <sup>1)</sup>

Secunda: laudare [commendare] confessionem, [quæ fit] Sacerdoti, et susceptionem sanctissimi Sacramenti semel in anno, et *multo magis* quovis mense, et *multo melius* octavo quoque die cum conditionibus requisitis ac debitis.

Tertia: laudare [commendare] Missæ auditionem *frequentem*, item cantus, psalmos et longas orationes in Templo et extra illud; item [laudare] horas ordinatas tempore destinato ad omne officium divinum et ad omnem orationem, et omnes Horas canonicas.

Quarta: laudare multum Religiones, virginitatem et continentiam, et *non adeo*

---

<sup>1)</sup> *Quæ est nostra sancta Mater Ecclesia Hierarchica.* — Antiqua versio *ms.* qua, ut sæpe memoravimus, S. P. N. usus est, ita habet: *Hæc autem est sancta Mater Ecclesia Hierarchica, quæ Romana est.*

[non tantum laudare] matrimonium, *quantum ullum ex istis* [prædictis statibus].

Quinta: laudare vota Religionis, obedientiæ, paupertatis, castitatis et aliarum perfectionum supererogationis. Et advertendum est, quod, cum votum sit circa res, quæ propius accedunt [atingunt] ad perfectionem Evangelicam, in iis, quæ ab illa elongantur [recedunt], non debet fieri votum: v. g. de negotiatione exercenda vel de matrimonio ineundo *etc.*

Sexta: laudare reliquias *Sanctorum*, præstando illis [reliquiis] venerationem et faciendo orationem ad illos [Sanctos]; laudando stationes, peregrinationes, indulgentias, jubilæa, *cruciatas* et candelas accensas in Ecclesiis.

Septima: laudare *statuta* [Ecclesiæ] circa jejunia et abstinentias, ut quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, feriæ sextæ et sabbati; item pœnitentias, non solum internas sed etiam externas.

Octava: laudare ornamenta et ædificia Ecclesiarum, item imagines easque venerari *secundum* id, quod repræsentant.

Nona: *laudare denique* omnia præcepta Ecclesiæ, *animum gerendo promptum* ad quærendas rationes in ejus [v. eorum] defensionem et nullo modo in ejus [v. eorum] impugnationem.

Decima: debemus esse *magis prompti* ad probandum *et laudandum* tam statuta, commendationes, quam mores nostrorum Majorum [i. e. Superiorum, quam ad reprehendendum]: quia, etiamsi aliquando ea non sint, *vel non essent* talia [i. e. quæ laude digna sint, tamen] loqui contra illa, sive prædicando in publico sive *sermonem habendo* coram personis vulgaribus [ex vulgo], generaret potius murmurationes et scandalum quam utilitatem; atque ita indignaretur populus contra Majores suos sive temporales sive spirituales. Itaque [v. verumtamen] sicut damnosum est, male loqui ad plebem de Majoribus absentibus, ita *potest utile esse* loqui de malis [eorum] moribus ad illas ipsas personas, quæ possunt iis remedium adferre.

Undecima: *laudare* doctrinam Positivam et Scholasticam; quia sicut *magis proprium* est Doctorum *positivorum*, ut Sancti Hieronymi, S. Augustini et S. Gregorii etc., movere affectus ad amandum *in omnibus* [omnino] Deum Dominum nostrum eique serviendum; ita est *magis proprium* Scholasticorum, ut S. Thomæ, S. Bonaventuræ, et Magistri sententiarum etc. res ad salutem æternam necessarias definire *vel declarare* pro nostris temporibus, et ad magis impugnandum



*et declarandum* omnes errores et omnes *fallacias*; quia Doctores scholastici, cum sint recentiores, non solum proficiunt [fructuose utuntur] vera intelligentia sacræ Scripturæ et positivorum ac sanctorum Doctorum [scriptis], sed etiam ipsi, illuminati cum sint et illustrati virtute divina, juvantur [auxilium sumunt] a Conciliis, canonibus et constitutionibus sanctæ nostræ Matris Ecclesiæ.

Duodecima: debemus cavere a faciendis comparationibus inter nos, qui adhuc vivimus et Beatos vita functos; quandoquidem *non parum in hoc erratur*, v. g. cum dicitur: iste plus scit quam S. Augustinus; est alter vel major quam S. Franciscus; est alter S. Paulus virtute, sanctitate etc.

Decima tertia: ut in omnibus veritatem assequamur [ne in ulla re erremus], debemus *semper* [fixum] tenere, ut album, *quod ego video, credam* esse nigrum, si Ecclesia Hierarchica ita illud [esse] definiat: credendo inter Christum Dominum nostrum Sponsam et Ecclesiam ejus Sponsam eundem esse spiritum, qui nos gubernat et regit ad salutem animarum nostrarum; quia per eundem spiritum et Dominum nostrum, qui dedit decem mandata, regitur et gubernatur *sancta nostra Mater* Ecclesia.

Decima quarta: licet verissimum sit, neminem posse salvari, *quin sit prædestinatus et quin habeat fidem et gratiam*: [tamen] valde attendendum est in modo loquendi et disserendi de his omnibus.<sup>2)</sup>

Decima quinta: non debemus loqui multum de prædestinatione *per modum consuetudinis*; <sup>3)</sup> sed, si *aliquo modo et interdum* sermo de illa habebitur, ita habeatur, ut plebs non veniat in errorem aliquem, ut quandoque solet, dicendo: si debeo salvari vel damnari, jam determinatum est, et propter mea bona vel mala opera jam non potest aliud evenire; et inde torpescentes negligunt opera, quæ conducunt ad salutem *et profectum spiritualem animarum suarum*.

Decima sexta: eadem ratione advertendum est, ne multum loquendo de fide *et cum multa intensione*, sine ulla distinc-

---

<sup>2)</sup> *De his omnibus*. — Nil aliud habetur in autographo hispanico. In antiqua tamen versione *ms.* leguntur addita verba, quæ sequuntur: *ne dum plurimum prædestinationi et gratiæ tribuamus, vires et conatus liberi arbitrii infringamus; vel dum nimium extollimus liberi arbitrii vires, gratiæ Jesu Christi derogemus*.

<sup>3)</sup> *Per modum consuetudinis*. — Posset fortasse verti: *ordinarie*. Ceterum antiqua versio *ms.* ita habet: *ex usu et consuetudine*.

tione et declaratione, *occasio detur* plebi torpescendi et *pigritandi* in operando, sive ante fidem caritate formatam, sive post.

Decima septima: item non debemus loqui tam copiose insistendo tantopere gratiæ, ut *generetur venenum* [falsum dictamen], *quo tollatur libertas*. Itaque *de fide et gratia* potest sermo haberi *quantum fieri potest*, cum auxilio divino, ad majorem laudem *divinæ suæ Majestatis*, sed non ita *neque iis modis* maxime in nostris temporibus tam periculosis, ut opera et liberum arbitrium *capiant detrimentum aliquod vel pro nihilo habeantur*.

Decima octava: licet *super omnia æstimandum* sit servire *multum* Deo Domino nostro ex puro amore: [tamen] debemus *multum* laudare timorem suæ divinæ Majestatis; quia non solum timor filialis est res pia et *sanctissima*, sed etiam timor servilis, ubi [si] *quid aliud melius et utilius homo non assequatur*, juvat *multum* ad *emergendum* e peccato mortali; et postquam ex hoc emersit [quis], facile pervenit ad timorem filialem, qui totus [s. omnino] acceptus et gratus est Deo Domino nostro, quia est *simul* [inseparabiliter conjunctus] *cum amore Divino*.

FINIS.

---



### NOTA.

In antiqua versione *ms.* sic legitur hoc loco: *Laus Deo. Scripta fuerunt ista Exercitia Anno Domini 1541. Die nono Julii, Romæ.* Ex quo patet, cum versio ista *ms.* hispanico autographo, quale nunc habemus, omnino respondeat, jam illo anno, probabiliter vero etiam multo ante, Exercitia Sancti Patris eadem omnino fuisse, eademque mansisse semper, nullo verbo addito, nullo mutato.



## APPENDIX I.

---

# DIRECTORIUM IN EXERCITIA SPIRITUALIA.

---

### PRÆFATIO AD LECTOREM.

**D**irectorium Exercitiorum spiritua-  
lium ante aliquot annos typis ex-  
cusum, eo consilio ad Provincias missum  
fuit, ut antequam suprema manus operi  
imponeretur, usus atque experientia do-  
cerent, an aliquid addi, aut detrahi, vel

---

Nota Editoris. Hoc Directorium in Exer-  
citia spiritualia, quamvis primo et per se ad  
usum Patrum Societatis Jesu tantum com-  
positum sit, nunc de expressa A. R. P. Præ-  
positi Generalis S. J. licentia evulgatur.

etiam commodius dici posse videretur; atque in hunc finem omnes monuimus, ut si alicui tale quidpiam occurreret, per suos Superiores ad R. P. N. Generalem Romam mitteret. Cum autem quædam a nonnullis observata, ac Romam transmissa fuissent; iis omnibus in quinta Congregatione generali, a Deputatis Patribus ad Directorium recognoscendum, diligenter atque exacte discussis, iterumque a R. P. N. Patribusque Assistentibus accurate perpensis; ad hunc tandem modum Directorium accommodari posse visum est: speramusque laborem hunc non solum probatum iri, sed etiam iis, qui spiritualia Exercitia tradituri sunt, valde utilem fore. Reliquum est, ut hac occasione Nostri (ut plenius ad Provinciales communibus litteris scriptum est) in posterum ad Exercitia spiritualia frequentanda studiosius incumbant, et aliis etiam majori cum utilitate tradere studeant. Datum Romæ, Kalendis Octob. MDXCIX.

Mandato R. P. N. Generalis.

**Jacobus Dominicus,**  
*Secretarius.*





# DIRECTORIUM

## IN EXERCITIA SPIRITUALIA.

---

### PROCEMIUM.

*De dignitate et utilitate Exercitiorum, et de  
necessitate Directorii.*

---

1. **I**nter alia instrumenta quæ Deus, pro sua bonitate ac clementia, Societati nostræ, tum ad propriam, tum ad proximorum salutem perfectionemque procurandam, largiri dignatus est, non postremum locum habent spiritualia Exercitia.

2. Hæc enim sunt spiritualia quædam documenta, quæ, ut in hujus libri Præfatione dicitur, non tam ex libris, quam ex unctione Spiritus Sancti, et ex interna experientia et usu, noster in Christo

B. P. Ignatius composuit. Hæc sunt lumina, quæ ei Dominus in ipso primo conversionis fervore inspiravit, ac deinde in omni progressu ejus virtutis et sanctitatis semper confirmavit.

3. Quemadmodum igitur Dominus Deus ideam totam Societatis nostræ, tum exteriorem, tum etiam quæ ad interiorem virtutum formam pertineret, ei tamquam Capiti et Fundatori communicavit, ita etiam cum oratio et communicatio cum Deo sit tanti momenti, ut magna ex parte, religiosa observantia ac spiritualis profectus ex ea pendeat; plurimum referebat habere hanc methodum et directionem ad orationem faciendam ab eodem Capite nostro, quam nos quoque omnes sequeremur, et præ oculis semper habere conaremur.

4. Atque hæc causa est, cur ipse B. P. N. Ignatius in omni sermone, ut accepimus, et vero praxi ipsa tantopere Nostris commendare soleret usum horum Exercitiorum: ac in Constitutionibus quoque tam crebro eorum mentionem faciat, et præsertim parte 4, cap. 8, § 5, ubi dicitur omnes operam dare debere, ut in hoc armorum spiritualium genere tractando, quod tantopere conferre cernitur ad Dei obsequium, dexteritatem habeant. Exstat etiam ejus epistola ad Sacerdotem

quemdam, Mionam nomine, qui Parisiis fuerat ejus Confessarius, in quæ satis manifeste ostendit quid ille sentiret de his Exercitiis. Monet enim eum, atque etiam instanter rogat, ut ea faciat diligenter: et si fecerit, promittit ei magnam utilitatem spiritualem, tum in se ipso, tum ad alios quam plurimos juvandos; idque verbis valde gravibus et significantibus.

5. Idem vero testimonium dederunt alii et plurimi, et quidem insignes viri, et doctrina, et virtute, et rerum humanarum experientia, ac præcipue etiam spiritualium peritia: qui cum hæc Exercitia re ipsa experti essent, ita ea probarunt, ut illorum usu, majorem quam sperare ausi essent, suarum animarum fructum se consecutos esse, tum verbo, tum scripto libenter prædicarent.

6. Sed præ omnibus est auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ, diligenti examine doctorum virorum præmisso, hæc Exercitia approbavit anno MDXLVIII, *ut pietate et sanctitate plena* (hæc enim sunt ejus verba) *et ad ædificationem spiritualemque fidelium profectum valde utilia.*

7. Postremo est etiam ipsa experientia ingentis ac prope incredibilis utilitatis, quæ ex his Exercitiis faciendis subsequi



solet. Primum enim plurimi ex Nostris, præsertim primis temporibus, hoc modo spiritum vocationis acceperunt, ut vere dici possit, Societatem nostram hoc maxime medio et initio coaluisse, et postea incrementum accepisse. Deinde plurimi etiam alii relicto mundo alios Religiosos Ordines ingressi sunt; multi jam ingressi, egregie reformati sunt; nec singuli tantum, sed sæpe integra Cœnobia. Complures etiam in sæculo ipso cum ita vitiis addicti essent, ut nullo modo neque cohortationibus, neque concionibus avelli possent, hoc uno sese converterunt, et ad meliorem vitam constanter ducendam revocarunt. Denique negari non potest, quin valde magnus fructus in omni hominum genere, et statu, et conditione effectus sit; et ubi eorum usus magis viget, ibi etiam multo major morum reformatio cernitur.

8. Nec debet aliquis mirari, quod tanti effectus consequantur, et quidem non admodum longo tempore, addo etiam, non adeo magno labore. Nam cum Dei voluntas sit sanctificatio nostra, ut ait Apostolus (1. Thess. 4, 3.), et ideo Bonitas illa immensa semper parata sit sua dona effundere super creaturam suam; sine dubio, si ipsamet non poneret impedimentum, sed potius se ipsam disponderet, fa-

cile ac brevi magnas a Deo gratias consequeretur. Hoc igitur faciunt hæc Exercitia, et sane valde efficaciter, ut animam disponant, ad hæc dona accipienda. Primum enim removent eam ab omni aliarum rerum ac negotiorum occupatione, et quasi ad solitudinem quamdam ducunt, ut et Deus ad ejus cor loquatur, et ipsa faciat quod dicitur in Psalm. (Ps. 45, 11.): *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus*. Deinde vero posito statim ante oculos ultimo hominis fine, nempe æterna beatitudine, ostendunt primum, quantum hactenus aberraverit, et ita peccatorum dolorem, et odium ingenerant: deinde virtutum pulchritudinem aperiunt, et Christi Domini exemplo ad ejus imitationem accendunt. Denique etiam modum tradunt totius vitæ ex Dei regula ac voluntate reformandæ, sive status ipse mutandus sit, sive non mutandus, verum in melius corrigendus.

9. Cum ergo horum Exercitiorum tantæ sint utilitates, tantusque fructus, facile apparet, quam eorum usus Nostris omnibus commendatus esse debeat; si præsertim illud addamus, quod cum humilitate cognoscere possumus, et certe etiam debemus, hoc totum quodcumque est, nempe peculiarem hanc instructionem, ac modum meditandi, et peculiaria hæc do-


cumenta tam utilia, tamque solida, esse præclarum quoddam donum ac munus a Deo datum Societati nostræ. Quare cum id Deus nobis donarit, et ideo donarit ut uteremur, non est dubium, quin hoc ipsum excitare omnes debeat, ut avidius utamur, nec talem thesaurum absconditum, et quasi defossum inutiliter teneamus.

10. Verum quam utilis est hic Exercitiorum usus, quem dicimus, tam etiam est necessarium aliquam methodum habere in iis tradendis: tum quia non omnes eandem peritiam aut dexteritatem habere possunt, tum quia non omnia hoc Exercitiorum spiritualium libro comprehendere potuerunt (et ideo sunt in eo aliqua paulo obscuriora, quod ad praxim attinet), tum denique etiam, ut servetur a Nostris omnibus uniformitas, et non suo quisque ingenio et placito Exercitia interpretetur, ex qua re novi ac varii subinde modi introducerentur.

11. Has igitur ob causas Congregatio prima Generalis inter alia, quæ necessaria judicavit ad proximos juvandos, et nostros Operarios dirigendos, hoc etiam constituit Tit. 6, Decr. 28, ut conficeretur Directorium tradendorum Exercitiorum, ejusque rei curam Generali Præposito commendavit.



12. In quo cum aliqui Patres diligenter laborassent, vel pro sua devotione, vel Superiorum jussu, visum est P. N. Claudio Aquavivæ, tum hunc eorum laborem, tum etiam quæ nonnulli alii adumbraverant, quibusdam antiquioribus Patribus in Societate mittere, ut ea viderent, et judicium de iis ferrent, et præterea si quid occurreret, quod addi posset, id scriptis mandarent. Ex quorum omnium sententiis ac judiciis, ea quæ ad nostrum propositum accommodatiora visa sunt, in hoc Directorium selecta, et suis locis digesta sunt, ad Dei Domini gloriam, et Societatis nostræ, proximorumque spiritualem profectum.



## Caput 1.

### Quomodo inducendi sint homines ad Exercitia.

1. **D**icitur in nostris Constitutionibus (P. 4, c. 8. lit. E.), cum Exercitiorum ratio redditur, non solum id agi debere, ut aliis satisfiat; sed etiam ut in aliis desiderium excitetur, ut eisdem juvari velint. Ex quo apparet, oportere hoc esse Nostris propositum, ut quotquot possunt ad agenda Exercitia suaviter in-

ducant: quoniam cum caritas et zelus animarum nos movere debeat ad desiderandam et procurandam earum salutem et perfectionem, eadem etiam impellere debet ad eam rem, quæ adeo apta et adeo efficax est ad illud utrumque in eis operandum.

2. Est tamen opus prudentia, ut id discrete et modeste fiat, nempe tempore et loco convenienti, sine molestia, aut offensione: et nominatim cavendo, ne suspicio præbeatur, quod ad Religiosum statum trahere velimus. Hunc autem modum prudentem et cautum invitandi ad Exercitia, suggeret sua cuique prudentia, et Spiritus Sancti unctio, quæ ut in aliis, ita in hoc diriget et juvabit suos operarios.

3. B. P. N. Ignatius ita sentiebat et monebat, optimum modum esse in Confessione, non importune, atque ex abrupto, sed aliqua commoda occasione, vel e re nata, vel dextre accersita: aut etiam extra Confessionem, cum cernitur aliquis non adeo contentus statu suo, sive propter aliquem scrupulum intrinsecum, sive propter molestiam extrinsecam, ut si non bene ei succedant negotia, vel si non bene a suis tractetur, vel ob aliam similem causam. Interdum etiam optima est commoditas ex ipsis vitiis aut lapsi-

bus alicujus, cum præsertim aliquo Dei lumine afflatus ea cognoscit, et dolet, et cupit emendationem. Tunc enim sæpe opportunum est, proponere ei hoc quasi remedium ejus infirmitatis.

4. Quæcumque vero occasio accipiat, indicandi sunt magni fructus, qui ex his Exercitiis consequi solent, pax et quies animæ, lumen interius, et cognitio ad bonam gubernationem totius vitæ, quocumque in statu.

5. Juvat etiam, proponere aliqua exempla aliquorum, qui ea fecerint cum fructu, ita ut postea valde contenti fuerint; ipsaque morum mutatione testati sint, quantum in eis profecerint: et ad hoc etiam confert indicare consolationes spirituales et gustus quos habuerunt, nimirum ne labore deterreantur. Verum in his exemplis commemorandis abstinendum esset ab iis, qui Religionem ingressi sunt (vel certe hoc postremum tacendum), et ii potius narrandi, qui in melius mutati in sæculo manserunt, quoniam facile fieri potest, ut quem hortari volumus, idem sibi timeat, et ideo refugiat Exercitia.

6. Imo vero hæc ipsa opinio eripienda esset hominibus, ut putent solis Religiosis, aut iis qui Religiosi fieri volunt, convenire Exercitia. Nam cum omnes egeant



gratia Dei, non solum Religiosi, sed etiam sæculares, propter pericula in quibus assidue vivunt, ideo ipsi quoque debent ea adjumenta quærere, ex quibus ad hanc gratiam hauriendam quam maxime disponentur.

7. Notandum est tamen, si loquamur de integris et plenis Exercitiis, eam fuisse B. P. Ignatii sententiam, ut non omnibus passim darentur, sed selectis tantum, et qui habiles ad majora viderentur. Quod ita esse aperte videmus ex quadam instructione, quæ conscripta dicitur ipso dictante, quæ sic habet: *Non mihi videtur expedire quemquam hortari ad facienda Exercitia, nisi has condiciones, vel saltem præcipuas habeat. Primo, ut ejusmodi sit, qui sperari possit valde utilis futurus domui Dei, si ad ejus obsequium vocatus fuerit. Secundo, si nondum habeat ejusmodi talenta jam acquisita artium ac scientiarum, quæ hoc præ se ferunt, saltem ut ejus ætatis atque ingenii sit, ut ad ea aliquando pervenire posse videatur. Tertio, ut liberum sit de ipso statuere, etiam quoad statum perfectionis amplectendum, si Deo placeret eum vocare. Quarto, ut ad spiritualia affectus videatur, habitumque corporis honestum ac decentem habeat. Quinto, ut non ita alicui rei sit*

*addictus, ut ab ea difficulter videatur posse dimoveri, et ad eam æqualitatem perduci, quæ requiritur ad hoc negotium animæ cum Deo recte tractandum; ac quanto magis quisque dubius est de vitæ suæ rationibus, et cupidus sciendi, quid facere debeat de sua persona. Denique quanto aptior ad Ecclesiam juvandam, tanto etiam magis, simpliciter loquendo, idoneus erit ad Exercitia faciendâ. Qui vero has conditiones non haberent, vel qui matrimonio juncti fuerint, aut alioquin inhabiles, non debent iis tradi Exercitia omnia, maxime si alii aptiores ea peterent, vel Nostri aliis occupationibus distinerentur. Possent tamen dari eis aliquæ meditationes primæ Hebdomadæ, idque si fieri possit, in ipsis eorum domibus, hortando eos, ut in aliqua remotiori domus parte se colligant, unde non nisi ad Missam et Vesperas egrediantur, aut quando ad meditationes accipiendas veniunt. Hisque addi poterunt, si ita videatur, aliqua Exercitia, ut triplex modus orandi, et similia. Hæc B. P. Ignatius; quæ eadem, licet paulo brevius, habentur etiam in Const., part. 7, cap. 4, lit. F.*

---

## Caput 2.

Quomodo dispositus esse debeat, qui ad  
Exercitia facienda accedit.

1. **Q**ui ad Exercitia agenda aggreditur, primo eniti debet, ut intelligat quanta sit res, quam aggreditur; nempe quæ non solum ad animam pertineat, sed ita pertineat, ut si modo ea diligenter præstet quæ debet, jacturus sit fundamenta spiritualis sui profectus, quæ deinde tota ejus vita usui futura sint. Ex quo intelligat, quantam alacritatem, et diligentiam, et fortitudinem etiam, ad tantum opus, tantumque negotium afferre debeat. Itaque statuatur ipse secum viriliter agere, et omnia impedimenta Divinæ gratiæ rejicere, et omnes animi sui vires intendere, ut huic gratiæ cooperetur, et se ad eam recipiendam quam poterit optime disponat.

2. Hanc ob causam ab omnibus aliis negotiis domesticis prius se expediatur, vel certe ea aliis interim committat, ac toto tempore omne sibi amicorum ac familiarium, imo etiam nuntiorum aut litterarum, commercium interdicit. Hæc enim mentem implere solent variis cogitationibus, quæ deinde magnopere distrahunt,



et conceptum, si quis est, fervorem restinguunt. Imo vero omnem etiam aliam cogitationem de quavis alia re excludere curet, perinde ac si nullum aliud negotium in hoc mundo haberet.

3. Habeat deinde magnam spem in Domini bonitate et liberalitate, qui cum etiam errantes requirat, et fugientes sequatur, multo magis qui ad se bono animo accedunt recipiet, et complectetur. Quare confidat in illa infinita clementia, quæ cum pium illud desiderium dederit, dabit etiam gratiam ac vires exsequendi bene ac fructuose: siquidem ejus voluntas est sanctificatio nostra.

4. Inter cætera vero, ita etiam animo constitutus esse debet, ut libenter et avide exercitia hæc aggrediatur, non tam ut spirituali dulcedine fruatur, quam ut Dei voluntatem de se intelligat: suumque affectum a terrenis omnibus avellat, et eum in suo Creatore collocet. Illud vero maxime necessarium, ut præter hoc desiderium proficiendi in spiritu, sit etiam bene resignatus in beneplacito Dei, in iis in quibus adhuc liber est: itaque animo paratus sit, ut quidquid a Deo cognoverit faciendum esse, omnino exsequi decreverit.

5. Quare non debet quisquam deliberationem aliquam secum afferre, a qua

dimoveri nolit. Deinde non debet etiam modum ac terminum ipse ponere Dei donis, ita ut usque ad quosdam limites se illuminari ac juvari velit, non autem amplius. Nam præterquam quod valde indecens est, ut creatura hoc modo agat cum suo Creatore, valde etiam sibi ipsi nocet: primum, quia se ipsum privat illis majoribus donis, quæ Deus fortasse daturus erat; deinde, quia illa ipsa illiberalitas, et restrictio, et ingratitude in Deum, meretur, ut ne ea quidem accipiat, quæ vellet accipere. Quare debet potius animi sinum dilatare, ut quam maxime possit, sese cum Deo conjungere, et quam maxime ab eo ditari thesauris istis cœlestibus desideret. Atque hæc quidem observanda sunt ei erga Deum.

6. Erga eum vero qui daturus est Exercitia, ita se gerere debet, ut eum accipiat ut Magistrum et ducem hujus itineris dubii et periculosi: et ideo etiamsi alioqui prudens sit, vel doctus, et in rebus agendis exercitatus, tamen pro hoc tempore non confidat suæ prudentiæ, vel doctrinæ, sed totum sese committat huic suo duci, ac quemadmodum ait Apostolus (1. Cor. 3, 18.), *Stultus fiat, ut sit sapiens*; illudque Beati Petri monitum (1. Petr. 2, 2.) exsequatur: *Sicut modo geniti infantes, sine dolo lac concupi-*

*scite, ut in eo crescatis in salutem.* Itaque Instructorem suum ita intueatur, tamquam Dei instrumentum ad hoc sibi missum, ut eum dirigat, et perducatur per eam viam, quæ ad vitam ducit. Quam ob causam cum omni reverentia, et alacritate, et confidentia excipere debet quæ ei proponet.

7. Præterea nihil eum celet, nihil dissimulet, sed sincere totum cor suum ei patefaciat, et candide referat, quomodo singulæ meditationes successerint, quas in eis, vel extra eas reliquo tempore consolationes, desolationes, lumina, vel bona desideria senserit. Denique obediat ei in omnibus perfecte, neque alias meditationes, aut alium ordinem teneat, quam ille præscripserit; itemque in pœnitentiis, et corporis castigationibus: et in summa hoc sibi persuadeat, quo diligentius illius ductum sequetur, eo aptiorem fore ad Dei gratiam largius accipiendam: quia illa humilitas, et illa simplicitas valde Deo placet, et cum talibus est ejus sermocinatio. Hæc igitur necessaria quidem sunt, ut plenior fructus eliciatur.

8. Sed tamen si is qui tradet Exercitia timeret, ne si omnia proponat Exercitia facturo, fortasse eum deterrerent ac retraherent; melius esset, vel aliqua tantum horum proponere ab initio, vel non ad-



modum exaggerare: sed si postea cum gustu spirituali eum affici viderit, magisque capacem ad hæc portanda, tunc eum paulatim excitare ad Exercitia peragenda cum omni perfectione.

### Caput 3.

De quibus monendus sit Exercitia ingrediens, et de tempore meditandi.

1. **S**unt etiam alia, de quibus monendus est qui facit Exercitia; sed quia hæc continentur in Annotationibus, vel regulis scriptis in libro Exercitiorum, non est, quod hic repetantur. Hoc tamen de iis addendum, debere eum omnem diligentiam ponere in eis observandis; quoniam quo diligentior in hoc fuerit, eo citius et uberius inveniet fructum spirituales, qui quæritur.

2. Illud etiam in particulari attingi potest, non debere eum legere nisi scripta, quæ ei traduntur, nec libros habere in cubiculo, ut occasio legendi præcidatur, præter Breviarium, si Sacerdos sit, aut Officium B. Virginis. Si tamen Instructori videbitur, posset in prima Hebdomada legere librum Gersonis de Imitatione Christi, in secunda aliquid ex Ev-

angeliis, et Sanctorum Vita, ut dicitur in Annotationibus post primam meditationem secundæ Hebdomadæ. Sed has Vitas Sanctorum oporteret esse selectas, et valde accommodatas ei qui facit Exercitia; ut, si esset uxoratus, oporteret ei tradere vitam alicujus, qui sancte vixisset in sæculo: similiter in Religiosis, et in aliis similibus. Quare is labor et diligentia esse deberet Instructoris in idoneis seligendis.

3. Porro in Evangeliiis non debet legere nisi illud Mysterium, quod eadem hora vel die est meditaturus, ut habetur in primo Notand. post quintam Contempl. 2. Hebdomadæ.

4. Tamen si post factam meditationem tædio affici videretur, ac potius tempus perdere; posset etiam, ut dictum est, addi aliquis alius liber, ut, prima Hebdomada, Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis, Confessiones S. Augustini, aut similes; hoc advertendo, ut non solum boni et utiles sint, verum etiam apti et opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in Exercitiis quæritur, ut contritionem, vel timorem, vel Dei amorem. Quin etiam monendus est et docendus, ut ipsam lectionem dirigat ad meditationem, nimirum non legendo cursim, aviditate sciendi et videndi nova,

sed immorando, et perpendendo accurate ea quæ legit, et intrando in eosdem affectus.

5. Quod de legendo dicitur, idem de scribendo dicendum. Nihil enim aliud scribi debet præter ea, quæ pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quæ Dominus communicaverit in meditatione, vel etiam extra meditationem: quæ tamen brevissime notanda sunt, non diffuse per modum sermonis. Hæc autem puncta possunt esse duplicis generis: vel practica, quæ pertinent ad agendum, ut sunt desideria quædam, aut firmæ deliberationes faciendi aliquid; vel quæ pertinent ad cognoscendum, ut sunt quædam veritates, aut lumina circa aliquam materiam, ut alicujus virtutis, v. g. humilitatis, contemptus mundi, patientiæ, etc., vel etiam in aliqua materia meditationis, ut Incarnationis, vel Passionis Domini, et similia; ejusmodi præsertim, quæ sint quasi axiomata quædam, et viam aperiant ad bene percipiendas et meditandas illas materias.

6. Sed illud cavendum, ne vel legendi, vel scribendi dulcedine ita se quispiam distineri sinat, ut tempus eripiatur meditationi, aut etiam præparationi ad meditationem. Semper enim aliquanto ante meditationem debet omnia relinquere, et



omnino suam cogitationem convertere ad puncta illius exercitii, quod jam instat. Addo etiam, cavendum hoc quoque, ne nimis legendo, aut scribendo defatigetur animus, et quasi vires ejus exhauriantur: oportet enim salvam semper relinqui meditationem, et cætera omnia huic uni servire.

7. Qui Exercitia exacte facere volunt viresque idoneas habent, iis quinque horæ, meditandi quotidie præscribi solent: prima, circa mediam noctem, quod tempus propter quietem, ac profundum silentium valde aptum est meditationi: secunda, sub auroram; tertia, paulo ante prandium: quarta, post meridiem: quinta, sub vesperam; et post uniuscujusque horæ meditationem quadrans etiam ad examen præcedentis meditationis.

8. Cum aliis, qui debilioris sunt valetudinis, vel tam exactum modum servare non possunt, dispensari poterit de hora mediæ noctis, ita tamen ut quinque horæ maneant, aut etiam pauciores, si Instructor ita expedire judicaverit. Ut vero plures sint quam quinque, raro continget ut expediat. Nam cum nimis continuantur hæc Exercitia mentis, ita retundi solet, ut obtusior etiam reddatur intellectus, et voluntas minus efficax.

---

## Caput 4.

De loco Exercitiis idoneo, et de quibusdam particularibus.

1. **L**ocus ad facienda Exercitia non est dubium quin debeat esse remotus ab hominum concursu, et aspectu etiam, maxime familiarium. Ita enim monet B. P. N. Ignatius Annot. ultima, ubi etiam tres ejus rei commemorat utilitates. Quare si Exercitia suscepturus alibi tam commode et tam fructuose non potest, et Superiori ita videatur, poterit excipi domi nostræ sed in aliquo cubiculo, quod sit quam maxime separatum ab aliis cubiculis et officinis domesticis, ut quam minime videat vel audiat, quæ a Nostris fiunt.

2. Quod vero ad expensas attineat, cum ille in domum nostram venerit, consulatur Superior: ad cujus prudentiam pertinebit, ita omnia moderari, ut neque domus nimium gravetur, neque contra occasione domus non gravandæ minuatur numerus eorum, qui Exercitia facere possunt. Videntur autem communiter nec recusandæ, si offerantur, præsertim a ditioribus; nec, si non offerantur, requirendæ. Absit vero semper, quidquid in

eo genere sordidum aut indecorum videri possit.

3. In hoc loco præter Instructorem debet etiam esse qui ei inserviat, et necessaria ad victum deferat. Hunc autem oportet esse fidelem, discretum, taciturnum, quique sua modestia, et humilitatis ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquetur, nisi de iis, quæ ad victum, aut cubiculum, et ministerium suum pertineant, idque paucissimis, omnia semper ad Instructorem rejiciendo, quem etiam de singulis certiores faciet, nec rem ullam ei deferet, etiam postulatus, nisi illo consulto.

4. Componet lectum, et cubiculum verret opportuno tempore, quod fere erit tempore Missæ. Cætera etiam, quibus opus erit, munda et apta afferet, præ se ferendo semper magnam caritatem et diligentiam: atque inter alia meminerit etiam pro ipso orare quotidie.

5. Aliquando etiam profuit, huic ministerio eum deputare, qui notus aut familiaris esset Exercitanti, idque juvat non solum ad consolationem quamdam ipsius, sed etiam ad profectum spirituales, quoniam aliqui interdum confidentius se aperiant amicis hujusmodi, quam ipsi Instructori, si eum nunquam antea norant. Sed hoc totum pendere debet ex iudicio ejus,



qui tradit Exercitia, ut videat quatenus hic progredi debeat, quid loqui, et quomodo. Debet enim uti eo tamquam instrumento suo, juxta id quod intelliget convenire ad majorem utilitatem Exercitantis.

6. Quod ad victum attinet, quærendum est ab eo, quid sibi parari velit, idque ei afferendum, quod ille petierit.

7. Præter hunc qui ei ministrat, ut plurimum non debet ab aliis visitari. Nam de sæcularibus quidem nulla est dubitatio; nisi aliqua necessitas urgeret. Ex Nostris autem aliquis mitti posset, cum vel qui facit Exercitia, id peteret ab Instructore, vel Instructor etiam illo non petente ita judicaret, ad ejus consolationem vel profectum.

8. Quicumque autem eat, cavere debet, ut nullus nisi utilis sermo habeatur, ac de rebus spiritualibus, nulla tamen significatione, quod eum ad hunc vel illum vitæ statum impellere velit, præsertim vero ad Societatem. Nam præterquam quod vocatio debet esse libera, et a Deo venire, ipsi etiam qui in hac deliberatione versantur, si id intelligant, aut suspicentur, eo magis retrahi solent: et contra, ut experientia sæpe ostendit, eo magis incitari, cum in Nostris nullam talem cupiditatem animadvertunt.

## Caput 5.

Qualis esse, et quid facere debeat, qui  
Exercitia tradit.

1. **Q**uod ad illum attinet, qui Exercitia traditurus est, illud primum a B. P. N. Ignatio part. 4, cap. 8, § 5, præcipitur, ut prius ea in se ipso sit expertus, ut rationem eorum reddere possit, et dexteritatem in iis tradendis habere. Quod ut facilius assequatur (ut ibidem dicitur in Declaratione), prius quibusdam tradere deberet, in quibus minor esset jactura, si quid erretur, ut verbi gratia, junioribus, aut iis, qui non ingressuri sunt electionem de vitæ statu. Deinde etiam proderit conferre suum modum procedendi cum aliquo magis exercitato, bene adnotando quid magis vel minus convenire deprehenderit. Itaque hoc primum et præcipuum esse debet, ut sit bene versatus in rebus spiritualibus, et nominatim in his exercitiis.

2. Præterea sit prudens et discretus, parcus et moderatus, consideratus in sermone. Sit etiam suavis potius quam austerus, maxime cum iis, qui tentationes, vel etiam desolationes, aut ariditates, et tædia patiuntur, quos consolari, animare,

et erigere debet opportunis consiliis et precibus tum suis, tum aliorum. Expedi-  
etiam ut gratus ei sit, qui facit Exerci-  
tia, quoniam hoc modo magis ei confidet,  
seque magis aperiet.

3. Porro in agendo cum ipso memi-  
nerit auctoritatem quamdam semper re-  
tinere, servata quadam maturitate, et gra-  
vitate, eoque etiam magis, quo is qui in  
Exercitiis versatur, major ipse fuerit. Hoc  
enim valde expedit ad ejus spiritualem  
profectum, ut locum, et personam Ma-  
gistri, ut vere est, tueatur; etsi hæc auc-  
toritas temperata esse debet humilitate  
religiosa, quæ eluceat in omnibus ejus  
dictis et factis; ita ut ne vestigium qui-  
dem ullius vanitatis conspiciatur. Sed in  
hoc Christum imitari debet, qui cum  
forma esset omnis modestiæ, tamen, sicut  
scriptum est (Matth. 7, 29. et Marc. 1, 22.):  
*Erat docens tamquam potestatem ha-  
bens.* Itaque cum omni libertate officium  
suum exsequi debebit, tum docendo, tum  
monendo, tum dirigendo, ubi quippiam  
curvum aut distortum esse viderit.

4. Caveat, cum bonum aliquem effec-  
tum viderit in iis, qui se exercent, quid-  
quam suæ industriæ aut peritiæ tribuere,  
cum hi omnes effectus gratiæ sint a solo  
Deo; et consilia extrinsecus adhibita (præ-  
terquam quod si bona sunt, ab eodem



Deo sunt) tantam vim habeant, et tantum operentur, quantum concurrat et cooperatur Deus. Ex altera tamen parte multum confidat in Domino, et ab eo speret certum auxilium tum sibi, tum ei qui facit Exercitia.

5. Illud autem valde observandum, ut nihil de suo apponat, sed cum ejusmodi consilia debeant ex Divina inspiratione suscipi, caveat ne indiscreto zelo conetur aliquid ei suadere: sed sinat Deum de sua creatura disponere, juxta placitum bonitatis suæ. Quod ut melius et facilius in opere præstet, servet se in animo plane indifferentem, et in nihil aliud ejus voluntas feratur, nisi ut sanctissimum Dei beneplacitum in anima illa plene et perfecte compleatur; et ipse tantum in eo laboret, ut qui se exercet, id investigare sciat, et sciat se a dæmonis deceptionibus expedire, quibus homines retardare solet.

6. Curet etiam perspectum habere eum, qui facit Exercitia, non tantum quoad statum et conditionem, si nobilis sit, vel plebejus: doctus, vel indoctus, etc., sed etiam quoad peculiare quosdam partes, ut si simplex, vel prudens sit; proventus in rebus spiritualibus, an adhuc rudis ac novus; si intelligens et capax, an vero hebetior et tardior. Nam cum diversis

diverso modo agendum est, ut rudioribus sunt res explicatius proponendæ, aliis autem brevius, etc.

7. Illud autem in primis necessarium est, ut, qui Exercitia traditurus est, totum librum Exercitiorum perlegerit eumque præ manibus habeat, et præsertim Annotationes et Regulas. Neque sufficit cursim ea videre, sed omnia accurate, imo singulas pene voces expendere oportet, quoniam quædam sunt in iis brevissime dicta, quæ magnum pondus habent, et ignorata aut præterita damnum afferunt. Itaque tum antea accurate ea vidisse oportebit, tum vero in dandis Exercitiis relegenda erunt accuratius, præsertim quæ pertinent ad illud tempus, in quo tum versatur ille, qui suscipit.

8. Juvabit etiam ut singula Exercitia, antequam ea tradat, aliquantulum ipse meditetur, si fieri poterit, ut melius imprimat alteri.

---

## Caput 6.

*De visitando eo, qui exercetur.*

1. **C**œptis Exercitiis sit diligens in visitando suis temporibus eo, qui exercetur. Videtur autem expedire, ut quotidie semel eum adeat, neque tamen

sæpius, nisi aliqua occurreret necessitas, ut aliquando accidit prima Hebdomada propter rei novitatem, aut secunda propter difficultatem electionis.

2. Immo cum aliquibus hominibus gravibus, et bene introductis in spiritu et devotione, posset etiam aliquando esse utilius, ut aliquis dies omitteretur. De tempore autem eum visitandi, videat ipse quod sit commodius et aptius. Ex natura quidem sua videtur matutinum, quia tunc animus est magis dispositus ad res percipiendas et penetrandas. Quamquam sub vesperam solet esse major necessitas, quia tunc interdum magis crescunt tentationes et desolationes, quia animus est minus aptus ad contemplandum, et ideo interdum incidit in morositatem quamdam, et magis est expositus tentationibus.

3. Videat etiam Instructor, an aliquando ex peculiari causa expediet, ut statim a prandio, vel a cœna ipse, vel aliquis alius maturus et discretus, ab eo designandus, cum eo, qui est in Exercitiis, maneat ad honestam recreationem.

---



## Caput 7.

## De exigenda ratione meditationis.

1. **I**gitur quodcumque tempus elegerit ad eum invisendum, cum ad ipsum venerit, interrogabit, quomodo se habuerit ab ea hora, qua illum postremo vidit, et præsertim in meditatione, nimirum quem modum tenuit in meditando, quos mentis discursus, quas voluntatis motiones habuerit, quas consolationes senserit, et in quibus punctis.

2. Si bene procedit, et consolationibus abundat, non valde laudare oportet, ne sibi complaceat, sed primum doceat quomodo solidum fructum ex illis consolationibus elicere debeat. Nam si nihil aliud fiat, abeunte illo suavi sensu, qui fere non diu durare solet, nullus fructus remaneret. Quare instruendus est, ut eas consolationes dirigat ad morum emendationem, vitæque totius institutionem; quia, ut scriptum est (Rom. 2, 13.): *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Atque hic etiam monendus est, ut breviter in scripto ponat notabiliores consolationes, et lumina, desideria quoque et firmas deliberationes faciendi aliquid, quoniam prod-

erunt multum alio tempore, cum ea non habebit.

3. Deinde vero præparet illum ad tempus desolationis et ariditatis, quæ solet frequenter contingere, ne deinde cum contigerit, imparatus sit. Atque hoc tempore cum res bene succedit, non oportet diu cum ipso remanere, sed sinendum, ut Creator cum creatura sua, et hæc vicissim cum illo transigat; nisi necessarium videretur ad eum vel dirigendum, vel etiam recreandum, si nimis absorptus esset cogitationibus illis.

4. Contra vero si Exercitans aridus sit, et desolatus, aut distractus in meditando, percunctari debet, quomodo se gesserit in meditatione, et nominatim quomodo observarit Additiones, et si in aliqua remissum invenerit, moneat et instruat.

5. Aperiat etiam ei viam ad meditationem, attingendo et quasi indicando aliquos conceptus, quos deinde ipse cogitatione prosequatur.

6. Hortetur ad patientiam et longanimitatem, ne se obrui sinat tædio, ac propter molestiam et laborem avertatur ab oratione: quia si fortiter cum spe ac fiducia perseveret pulsare ad ostium misericordiæ Divinæ, non poterit non ape-

rire, juxta illud: *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit* (Habac. 2, 3.).

7. Moneat etiam optimum remedium consequendi a Deo devotionem esse, ut humilietur sub potenti manu Dei, et se subjiciat, ac resignet ejus Divinæ voluntati: sæpe enim illa displicentia, et amaritudo non tam venit ex fervore, quam ex tacita quadam superbia, qua homo confidit in sua diligentia; vel quia in eo etiam vellet excellere; aut ex amore proprio, qui amat consolationem. Quare hoc omnino observandum est, ut cum fecerit quod in se est, cetera permittat Divinæ voluntati et caritati, et confidat, quod illa ipsa ariditas ideo permittitur a Deo, quia sibi sic expedit. Et hic ipse affectus humilitatis, et subjectionis erga Deum sæpe magis efficax est, ut concedat gratiam bene orandi.

8. In primis autem caveat Instructor, ne unquam det ei occasionem suspicandi, quod minus bonam opinionem de se habeat, etiamsi non ita se bene gesserit: sed ostendat illi semper se bene sperare, et sua spe etiam illi animum ac spem addat.



## Caput 8.

## De proponenda meditatione.

1. **I**n proponendis punctis meditationum non oportebit ea valde exaggerare, aut etiam ita enucleare, ut qui meditatur, ipse nihil novi per se invenire possit, aut certe ægre. Experientia enim docet, magis omnes delectari, et moveri etiam iis, quæ per se inveniunt. Et ideo satis erit, quasi digito indicare venam, quam deinde sibi quisque effodiat. Si tamen essent aliqui parum capaces, iis possent paulo magis declarari.

2. Ipsæ autem meditationes dari solent in scriptis, ne fatigetur memoria Exercitantis, quod solet impedire devotionem, cum vires omnes sint integræ reservandæ intellectui et voluntati.

3. Denique inter alia, quæ Instructor attendere debet, est etiam illud, ne qui exercetur, caput lædat nimia attentione orandi. Est enim magnum hujus periculum, tum tempore desolationis, quo anima magis conniti solet, quasi adverso flumine; tum etiam consolationis, cum se totam dat propitiis ventis. Quare non sufficit monerè de moderatione servanda: nam cum ii qui Exercitia faciunt, ut plurimum sint rudes et novi in meditando,

non ita possunt cognoscere, quid sibi nociturum est; sed oportet interrogare, quem modum servant in elevanda mente in Deum, et in ea retinenda in Deo, et nominatim in compositione loci; ac si appareat eos sibi vim facere, docendi sunt de modo ac ratione cogitandi suaviter de Divinis: primo quia alioquin durari non potest, et impeditur meditatio; deinde etiam quia solidus fructus consistit in cognitione illarum veritatum, et voluntatis motione, quæ procedunt ex lumine intimo, non autem in hac attentione violenta, aut in coactitiis illis lacrimis, quas merito irridet Cassianus (Coll. 9.); postremo quia hoc negotium orationis etiamsi nostram quoque cooperationem exigat, majori tamen ex parte pendet a Deo, et est donum Dei: quare ad hoc potius se anima disponere debet per humilitatem, quam confidere in sua præparatione et industria.

4. Reliqua quæ in universum monendus esset Instructor, fere continentur in libro Exercitiorum, partim in Meditationibus ipsis, partim in Annotationibus, partim etiam in Regulis illis discernendi spiritus, quæ sunt valde utiles, et quasi lucem præferunt in omni hoc itinere spirituali, tum prima Hebdomada, tum omnibus sequentibus. Et ideo iterum repe-

tendum quod supra attigimus, debere hunc librum admodum familiarem esse Instructori, ejusque memoriam renovandam eo tempore, quo exercitia traduntur, quia quoties eum leget, toties novum lumen et intelligentiam hauriet.

5. In quo etiam admonendus est, etiamsi ex una parte omnem ejus ordinem, ac methodum, et particularia documenta exacte servare debeat, et quo exactius servabit, eo magis concurret Dominus; tamen ex altera parte multa permitti ejus prudentiæ, pro varietate vel personarum quæ faciunt Exercitia, vel spirituum quibus agitantur, ut vel ista Exercitia moderari, vel etiam aliqua alia præsentī earum necessitati opportuna præscribere possit, ut aperte dicitur Annot. 17 et 18, ex primis, et alibi.

---

## Caput 9.

De variis hominum generibus, quibus dari possunt Exercitia.

1. **Q**uibus Exercitia dari possunt, in universum in duas classes dividi posse videntur. Alii enim sunt, qui omnes illas conditiones habent, quas cap. 1. diximus requiri, ut integra Exer-



citia peragant; et de his nihil hic in particulari dicendum est: ad eos enim pertinent omnia, quæ toto hoc Directorio dicentur, maxime si de totius vitæ statu deliberare velint.

2. Alii igitur sunt, quibus non sunt tradenda plena Exercitia, vel quia jam in statu sunt, ut matrimonio vincti, et alii, quibus ob alias causas non expedit dari electionem; vel quia propter negotia publica, aliasve occupationes tempus aut locum non habent, ut sunt Magistratus, et quidam aliquando nobiles, aut patres-familias, et similes; vel quia non aliam utilitatem quærunt ex Exercitiis, quam ut generalem Confessionem faciant, et ad reliquam vitam bene dirigendam instruantur; vel quia non admodum capaces sunt, ut sunt rudes et illitterati, qui tamen juvandi sunt juxta eorum captum.

3. Igitur quod attinet ad Religiosos (non agimus hic de Nostris, quia de his separatim agemus capite sequenti), si antea nullum mentalis orationis usum habuerunt, eadem est ratio quod ad eos instruendos attinet, quæ alterius cujusvis sæcularis, maxime si antea laxiorem et liberiores vitam duxissent. Tunc enim diligenter exercendi essent prima Hebdomada, ut habeant cognitionem et contritionem suorum peccatorum, tum quæ

in sæculo, tum quæ in Religione commissent, quia hoc est fundamentum ad reformationem et correctionem totius vitæ. Si vero antea etiam dediti fuissent orationi mentali et devotioni, tunc prima Hebdomada brevius percurri poterit, ut diligentius immorentur in meditatione Vitæ Christi.

4. Illud vero in prima Hebdomada et deinceps præcipue curandum erit, ut in sua vocatione confirmentur, et sibi persuadeant, hanc viam sibi constitutam esse ad beatitudinem consequendam, ut Regulas sui Ordinis plurimi faciant, et eas quam diligentissime observent, et ad suum Institutum quam maxime afficiantur; ut causas intelligant, quare adhuc minus profecerint, et ad hunc finem meditationes et examina dirigant: quod ab initio explicandum erit, et deinde semper continuandum.

5. Denique etiam ut zelum concipiant juvandi alios, sive proximos juxta suum Institutum, sive etiam Fratres ejusdem Instituti, et exemplo et opere.

6. Electio status non est eis danda, sed tamen juvabit tradere regulas et instructiones ejus, ut possint deinde alios juvare, vel etiam de rebus occurrentibus deliberare eodem modo, quo infra dicetur de hominibus Societatis.

7. Quin etiam finitis Exercitiis posset eis magno tamen cum delectu, et spe fructus, nec sine facultate Provincialis, communicari liber, si ipsi cuperent, et eo bene usuri viderentur: et denique doceri etiam possent de modo tradendi aliis Exercitia.

8. Ceterum sciant Nostri, vix fructuosius operam poni posse, quam cum Religiosis, quoniam non in ipsis tantum fructus ille residet, sed ordinarie manat ad alios; primum quidem ad eorum Fratres, qui ipsorum exemplo juvari possunt, deinde etiam ad sæculares, quorum animas illi tractant. Et ideo licet omnibus Religiosis utilia semper sint Exercitia, tamen iis maxime, a quibus vel ratione officii, vel alterius ejusmodi causæ, utilitas in alios derivari potest, ut sunt Magistri Novitiorum, Superiores, Baccalaurei, Concionatores, et alii ejusmodi. Quo fiet sæpe, ut uno reformato alii multi reformentur: idque commodius est, quam ut nos ipsi id per nos præstemus, ne videamur velle esse aliarum Religionum reformatores, quod solet esse odiosum.

9. Si sint conjugati, aut patresfamilias, dirigenda erunt Exercitia ad eum finem, ut juxta Divina præcepta familiam regant, liberos et servos instruant: præterea ut redditibus et facultatibus juste, ac pie, et



sobrie utantur; et eleemosynas faciant pro viribus suis, neque excedant in sump-  
tibus, aliaque similia, de quibus agitur in  
libro Exercitiorum in fine secundæ Heb-  
domadæ. Hi autem effectus, quos dixi-  
mus, plerumque solent in anima consequi  
ex meditationibus ipsis quamquam alte-  
rius materiæ: quoniam cum vere timor  
vel amor Dei ingeneratus fuerit, facile  
etiam reliqua vita tota reformatur. Sed  
tamen si Instructori videretur propriam  
aliquam directionem de his dare, vel  
extra orationem, vel in ipsa oratione per  
aliquam meditationem, posset etiam hoc  
fieri. Quod idem intelligimus de aliis  
quoque hominum generibus, de quibus  
statim dicemus.

10. Si sint Ecclesiastici, ita erunt insti-  
tuendi in Exercitiis, ut cognoscant, quan-  
tam virtutem exigat ille status, eamque  
acquirere cupiant, et doleant si non hac-  
tenus habuerint. Quare ita dirigendi sunt,  
ut vitia et pravos affectus exuere decer-  
nant, et contrariis se virtutibus ornare;  
quæ Ecclesiastico homini necessariæ sunt:  
ut semper meminerint, se Divino cultui,  
et Ecclesiæ ministerio dicatos et conse-  
cratos esse, ideoque munus suum implere  
satagant: ut etiam Beneficiorum proven-  
tus recte dispensare, et in eos usus, quos  
oportet, erogare studeant: denique ut

etiam zelum Dei habeant, et pro animarum salute juxta vires, et talentum, et officium elaborent.

11. Si sint Magnates, aut Magistratum aliquem gerant, iis quoque debebunt sua præcepta et documenta tradi, ut justitiam administrent, ut avaritiam et superbiam fugiant, ut pauperes sublevent, ut se Dei ministros in illo opere esse sentiant, ut semper Dei timorem atque honorem omnibus rebus præponant, et alia, quæ Instructor sua prudentia per se videre poterit, et ad ea dirigere eum, quem instruit.

12. Quod si ejusmodi homines: propter publica negotia quæ gerunt, vel ob alias honestas causas, non poterunt omnino vacare Exercitiis; oportebit accipere quod possunt, ut scilicet aliquas saltem horas quotidie meditationi tribuant. Et tunc etiam poterunt manere in domo sua, ita ut Instructor adeat ad ipsos suis temporibus: quod aliquando melius esse posset, quam ut ipsi domum nostram veniant ad Instructorem, præsertim cum sunt personæ illustriores; quia sic facilius res celatur.

13. Illud tamen longe utilius, si possent in aliquod prædium, aut cœnobium, secedere, ut fecit B. P. N. Ignatius in monte Cassinate. In ipsis autem Exer-

citiis ita procedendum erit, ut res ac tempus postulabit. Nam si minus temporis spatium quotidie impendant meditationi, eo magis proroganda erit prima Hebdomada, et Confessio generalis, et reliqua. Si vero plures horas meditando insumant, poterunt ista omnia celerius expediri, ut magis vel minus accedatur ad consuetam formam Exercitiorum.

14. His autem electiones non sunt dandæ, nisi forte deliberare vellent de officio vel dignitate aliqua suscipienda, vel deponenda, aut etiam de vitæ statu iis, quibus integrum est. Monendi autem sunt, ut saltem horis illis, quibus meditationi vacant, ab omnibus aliarum rerum cogitationibus se expediant, quantum fieri potest.

15. Si sint rudes et illitterati, non erit multum temporis cum eis insumendum, nec tradenda sunt eis integra Exercitia, sed servandus est modus, qui indicatur in Annot. 18. ex viginti.

16. Ad hoc autem caput pertinent etiam feminæ, quarum aliquæ interdum expectunt Exercitia, atque ideo cum iis idem modus servari debet, qui cum rudibus, nisi esset aliqua tam bono iudicio, et ita capax rerum spiritualium, tantumque otii domi haberet, ut exacte omnia, aut majorem partem facere possit: tunc enim



nihil impediret etiam hæc fieri. Sed illud observari deberet, quod prudentiæ est, ut ipsæ in Ecclesiam nostram veniant ad accipiendas meditationes; et ita caute procedatur, ne ulla suspicio aut scandalum sequatur. Quam etiam ob causam fortasse expediet, ut non dentur meditationes in scriptis, sed voce, ne homines existiment aliquas esse epistolas. Quod si scripto utendum erit, fiat omnino discrete.

## Caput 10.

### De modo tradendi Nostris Exercitia.

1. **Q**uod ad Nostros attinet, primum quidem iis, qui Societatem ingrediuntur, omnino debent dari Exercitia omnia integra, et juxta formam in libro præscriptam. Cum enim hoc sit unum ex experimentis, quod B. P. N. Ignatius requirit, requiritur etiam, ut fiant plane ut jacent, excepta tamen electione, idque singulas meditationes singulis pagellis descriptas quotidie afferendo: neque enim liber ipse dari debet hac prima vice.

2. Præterea in progressu temporis, cum contigerit ut se colligant ad facienda Exercitia, debebunt hæc ipsa aliquoties, ut bis vel ter facere, si non integre, saltem ea quæ sunt primæ Hebdomadæ, et ali-

quot meditationes ex sequentibus, ut de regno Christi, Incarnatione, Tentatione Domini, Institutione sanctissimi Sacramenti, Passione, et illa quæ est de amore excitando, prout opportunum fuerit, et tempus concesserit.

3. Quod propterea faciendum est, quia cum deinde Exercitia aliis daturi sint, omnino oportet, ut ipsi ea prius bene nota et perspecta sibi fecerint. Quam etiam ob causam oportet, ut præter Meditationes bene intelligant ac teneant usum quarumdam Regularum et Annotationum, v. g. Annotationes viginti initio libri Exercitiorum positas, Examina, Additiones decem in fine primæ Hebdomadæ, Regulas electionum, discretionis spirituum, et alia ejusmodi. Et ideo legere debent librum, et bene intelligere, ac de quo dubitabunt, quærere ab eo qui eis tradit Exercitia.

4. Ceterum postquam ea, ut dictum est, aliquando fecerint, et repetierint, reliquo deinde tempore dum nondum ita exercitati erunt in usu meditationum; etsi in quotidianis meditationibus potest quisque pro sua devotione vel necessitate ea meditari, quæ Dominus suggesserit, ex Evangelio, Scripturis, vel alia (re tamen pro securiore directione, ac utilitate majore, cum Præfecto rerum spiritualium,

aut cum Superiore communicata), tamen cum agitur de tempore aliquo certo meditationibus et secessioni tribuendo, quod nos communiter Exercitiorum vocabulo appellamus, quia fere expedit ab aliqua purgatione inchoare, convenit ut aliqua Exercitia purgativa non prætermittant, ut de morte, de peccatis, præsertim reflectendo ad ea quæ in Religione admiserint.

5. Neque tamen expedit dare in scriptis Exercitia ista accommodata Religioso statui, ut Exercitia B. P. N. Ignatii integra, ut sunt, conserventur, nulla re addita vel transformata; ac præterea quia etiam ipsi majorem sine dubio gustum et motum sentient ex iis, quæ ipsimet invenerint, quam quæ ab alio ita minute enucleata acceperint. Sed tamen Instructor potest aliquam instructionem aut lucem dare, et tamquam in via ponere; monendo eum, qui exercetur, ut ipse sibi applicare consuescat; ut v. g. in Fundamento, postquam cogitaverit finem hominis, actuet hunc finem in eo statu, in quo nunc est, ut quoniam jam non potest esse indifferens ad divitias et paupertatem, applicet hanc indifferentiam ad eas materias, quæ occurrunt in Societate; et sic de aliis.

6. Notandum est etiam, primam Hebdomadam debere in Nostris, si semel ex-



acte Exercitia fecerint, ordinarie satis brevi tempore expediri, ita ut etiam interdum minori spatio quam tridui, vel etiam aliquando bidui expediri possit, si ita videatur, ut gradus fiat ad secundam Hebdomadam, in qua, ut plurimum, diutius immorandum est. Quare hoc potissimum ex Institutoris iudicio pendere debet; qui si viderit aliquem majore purificatione indigere, poterit et debet eum diutius in ea retinere, ante omnia conando, ut eum inducat ad desiderandam sui ipsius reformationem perfectam.

7. Materia autem, circa quam hæc reformatio versari debet, hæc fere est, passionibus non bene domitæ, mali habitus, perversæ inclinationes, ut ad honorem et æstimationem propriam, vel propriam voluntatem, ad corporis commoditates, etc., tentationes ab extrinseco provenientes, præsertim vehementes et crebræ; deinde etiam ministeria Societatis, ut concionari, audire Confessiones, habere scholam; denique omnes actiones, quas aliquis componere et ordinare velit, ut comedere, dormire, studere, agere cum externis, vel cum Nostris, et alia.

8. Quare hoc primum curari debet in eo, qui facit Exercitia, ut quam maximam sui ipsius acquirat cognitionem, percurriendo tempus antea actum, et occupationes,

vel officia; et in iis perpendendo tum multitudinem defectuum suorum, tum etiam gravitatem ratione status et obligationis, tum denique etiam considerando causas, et origines, et radices eorum vitiorum.

9. Ad quam etiam reformationem valde utile est, ut in fine primæ Hebdomadæ fiat Confessio generalis de toto tempore Religionis, non quidem semper, quoties Exercitia repetuntur, sed cum aliquis peculiariter motus a Deo vellet instituire novam vitam, seque perfectius reformare. Hoc enim usu compertum est magnopere multis profuisse, et valde juvisse ad cognitionem sui et emendationem.

10. Quod si viderit Instructor, eum qui exercetur, hac ratione juvandum ad eum finem consequendum, qui intenditur; poterit etiam aliquas meditationes statui cujusque vel necessitati præsentis accommodatas addere, ut de beneficio vocationis, de tribus votis, de causis cur vota renouentur, et de ipsa formula votorum Nostrorum, de Divinis beneficiis, de periculo tepiditatis, et hujusmodi. Interdum etiam ex Summario Constitutionum, præsertim ex præcipuis regulis, quibus Religiosa fere perfectio continetur, ut 11. et 17. et similes; et in universum eæ sint materiæ, quæ ad timorem et amorem



Dei, ad sui ipsius odium, virtutis studium, rerum visibilium contemptum, æternarum desiderium, atque caritatis ardorem augendum pertinent.

11. Ad faciliorem etiam introductionem eorum, quibus vel non est facultas, vel non vacat per se invenire, poterit via aperiri ad *Mysteria Vitæ et Passionis Domini*, si nonnullæ veritates theologicæ proponantur, v. g. cum de *Incarnatione* agitur, si causæ ejus et fructus explicentur; aut cum de *Passione*, si causæ acerbitalis ejus: si etiam insinuentur modi eam meditandi; v. g. ad *compatiendum*, ad *imitandum*, ad *admirationem*, et sic de aliis.

12. Postremo qui sunt jam proveciores in rebus spiritualibus, et meditando magis exercitati, de quibus part. 6. cap. 3. § 1. iis, si interdum ad spiritum colligendum, et fervorem hauriendum se recipiunt, vel ad aliquod opus aggrediendum, ut *Missionem*, aut aliquid ejusmodi, cum nec eadem sit omnium dispositio, nec una mensura, non videtur quidquam præscribendum circa materiam: sed possunt ea meditari, quæ sibi utilia putaverint ad eum finem consequendum, quem intendunt. Credendum est enim, quod ex notitia, quam ex *Exercitiis B. P. N. Ignatii* antea jam habebant, et ex unctioe



Spiritus adjuti, inoffenso pede, imo magna cum utilitate per hanc viam current.

13. Quod attinet ad electionem status, ea non est Nostris danda in Exercitiis. De electione autem negotii aut actionis alicujus consultare non est proprium Exercitiorum; sed potest fieri etiam extra Exercitia omni tempore et occasione: et ideo in hac etiam diligenter instruendi sunt Nostri, ut sciant bene uti regulis eligendi ad indagandam Dei voluntatem, et beneplacitum, ut cum Superiores debent statuere de re aliqua dubia, maxime si non possint cum suis consultare, ut dicitur 16. regula Provincialis; et denique in rebus omnibus, quas coram Deo constituere ac definire oporteat, semper admodum juvat illa praxis, quæ in eligendo præscribitur, de qua infra prolixius agemus, et inde peti poterunt, quæ Nostros juvare possint ad intelligendam Dei voluntatem in omni ejusmodi re, juxta cujusque rei qualitatem.

## Caput 11.

De prima Hebdomada in universum.

1. **O**mnia hæc Exercitia a B. P. N. Ignatio in quatuor Hebdomadas distributa sunt. Quæ quidem Heb-

domadæ non tam numero dierum, quam materiæ genere distinguuntur: et ideo non necesse est, ut septem, vel octo dierum circulus in singulis consumatur; sed sufficit, ut illi affectus vel fructus inveniatur, qui in unaquaque exquiruntur.

2. Prima continet considerationem peccatorum, ut eorum fœditatem cognoscamus, vereque detestemur, cum dolore et satisfactione convenienti. Secunda proponit Vitam Christi, ad excitandum in nobis desiderium ac studium eam imitandi: quam imitationem ut melius perficiamus, proponitur etiam modus eligendi vel vitæ statum, qui sit maxime ex voluntate Dei; vel si jam eligi non possit, dantur quædam monita ad eum, in quo quisque sit, reformandum. Tertia continet Passionem Christi, qua miseratio, dolor, confusio generatur, et illud imitationis desiderium una cum Dei amore vehementius inflammatur. Quarta demum est de Resurrectione Christi, ejusque gloriosis apparitionibus, et de beneficiis Divinis, et similibus, quæ pertinent ad Dei amorem in nobis excitandum.

3. Igitur in hac prima Hebdomada proponuntur media, quæ ad animam purgandam per contritionem et Confessionem pertinent, et ad veram pœnitentiam in nobis gignendam juvare possunt. Quare

huc omnia dirigere debet, qui facit Exercitia, ut peccati malitiam, suamque abjectionem et vilitatem agnoscat, eamque ex animo intime sentiat. Quam ob causam expediret, ut hoc tempore si Sacerdos sit, ex hoc spiritu humilitatis abstineat a quotidiana celebratione (nisi devotio, aut profectus spiritualis, aut aliqua obligatio ad id impellat), ut postea generali Confessione peracta, majori cum præparatione, fiducia, ac reverentia ad Sacrificium altaris redeat.

4. Notandum etiam, hanc primam Hebdomadam esse fundamentum ac basim ceterarum, et ideo nunquam prætermitti debere. Unde etiam si quis alia Exercitia hujus Hebdomadæ, aut etiam omnia integra fecisset, et denuo ea repetere vellet, tamen hinc incipiendum esset, quamvis brevius expediri posset.

5. Igitur postquam aliquis in eum locum venerit, ubi Exercitiis vacaturus est, ea ipsa die debet Instructor ad eum adire, et priusquam tradat Fundamentum, debet ei explicare aliquas ex Annotationibus, nempe primam, et quintam, et ex decima septima illam admonitionem de animo aperiendo. Item ex vigesima id, quod dicitur de utilitate secessus in loco separato. Quod etiam opportunitatem ei dabit, ut eum moneat de iis, quæ supra



cap. 2. diximus, eum esse monendum, cum ea tamen dexteritate, quam ibi diximus, nempe ut non omnia simul, sed quantum prudentia dictabit.

6. Annotatio autem illa ante Fundamentum, quæ incipit: *Ut tam is, qui tradit Exercitia etc.*, expediet magis hoc tempore, ut non proponatur ita in genere quando quis incipit Exercitia, sed in discursu Exercitiorum, si quid dubium vel obscurum occurrat, aut ob aliquam ejus qui exercetur diffidentiam, videatur opportunum, tunc ei explicari poterit.

## Caput 12.

### De Fundamento.

1. **P**rimus ingressus in hanc primam Hebdomadam fit per considerationem ultimi finis: quæ consideratio ideo dicitur Fundamentum, quia est basis totius ædificii moralis et spiritualis.

2. Potest autem dividi in tres partes, primo in finem propter quem homo creatus est; secundo in media ad consequendum hunc finem; tertio in difficultatem eligendi hoc vel illud medium, cum ignoremus quid magis aptum sit ad hujus finis consecutionem: omnis autem error in hac parte non possit esse non damno-

sus et periculosus. Ex quo nascetur etiam quartum; ut homo ponat se in illa omni-moda indifferentia et æquilibrio.

3. Hæc autem indifferentia est maximi momenti: et admonendus est qui se exercet, quanto altius hoc fundamentum jecerit, tanto firmitus futurum ædificium: idque etiam indicavit B. P. N. Ignatius Annot. decima quinta, et decima sexta ex viginti.

4. In danda hac meditatione, maxime quia nonnullis, cum nondum assueverint orationi, videri potest aridior, addi poterunt aliquæ excursions ad meditandum, ut in eo quod dicitur creatum esse hominem, potest simul cogitari, a Deo esse creatum de nihilo, et simul quot, et quanta in creatione habuerit, et præterea quomodo semper ab illo in esse conservetur.

5. Sed horum consideratio non tam dirigenda est ad gratitudinem, ut fit cum considerantur beneficia Dei, verum ad scopum hujus Fundamenti, nempe quod illa omnia a Deo data sint, ut perveniremus ad illud ultimum finem. Unde etiam potest homo in hac meditatione reflectere cogitationem ad se ipsum, quomodo hactenus habuerit se ad finem et ad media, quantum aberraverit, quod creaturis abusus sit, quæ illi adjumento esse debuerunt; ut jam quasi in generali jaciat fun-

damenta ad cognoscendam deformitatem vitæ suæ, quod postea uberius et magis particulariter faciet in meditatione peccatorum.

6. In meditatione hujus Fundamenti liber Exercitiorum non præscribit certas horas, ut fit in Exercitiis sequentibus: sed ut facili initio inchoemus, unusquisque pro viribus et pro devotione sua ad id tempus sibi assumat: vel, si opus sit, Instructor ei præscribat.

7. Debet autem curare, ut cognitio hujus veritatis, quæ in Fundamento tractatur, quam maxime menti infigatur: quoniam ut fundamentum fabricæ totam ipsam sustinet, ita hæc veritas influit in omnia Exercitia, et præsertim in ipsam electionem status, quæ tota fere hinc pendet. Et ideo quo melius hæc meditatio successerit, eo etiam melius reliqua succedent.

### Caput 13.

#### De duplici Examine.

1. **D**um durat meditatio Fundamenti, debet Instructor Exercitantem aliquoties visitare, et semper ei aliquid novi in scriptis afferre, quia sic videtur quodammodo levare tædium, et melius etiam percipi, quæ singula proponuntur.



2. Igitur in primo congressu post datum Fundamentum datur Examen particulare, in quo tradendo significandum est, in quovis homine unum aut alterum vitium, sive peccatum esse solere præcipuum, et quod in eo sit quasi causa et radix aliorum.

3. Et licet in aliquo plura essent præcipua, expedire tamen, ut unum deligatur, ad quod exstirpandum toti incumbamus, ut eo superato ad aliud, et aliud deinceps, peculiarem hunc conatum et studium transferamus.

4. Huic igitur rei serviet Examen particulare, cujus usus etsi post peracta Exercitia esse debet toto vitæ tempore, nunc tamen inchoatur, tum ut aliqua ejus peritia acquiratur, tum etiam hoc Examine uti oportet circa Exercitia et eorum Additiones.

5. Est autem multum commendandus hujus Examinis usus, propter magnam ejus utilitatem, præsertim ad consequendam animi puritatem, ut docet Cassianus (Collat. 5. c. 14.) et S. Bernardus sæpe. Itaque in fine Exercitiorum cum discedenti dantur præcepta vitæ bene instituendæ, hoc in primis inculcandum est. Additiones autem illæ quatuor dictandæ sint, an verbo tantum explicandæ, prudentiæ Instructoris relinquatur.

6. Deinde eadem die et sequenti datur Examen generale et quotidianum. Non autem datur per modum meditationis, sed instructionis cujusdam, et ut homo incipiat aperire oculos ad cognoscenda peccata vitæ præteritæ.

7. Quod vero attinet ad Examen generale, non est dubium, quin aliæ etiam multæ sint peccatorum species, quæ hic non ponuntur; sed vel hic ea tantum peccata attinguntur quæ frequentius accidunt, reliqua autem peti possunt ab aliis auctoribus, qui ex professo de hoc agunt; vel hoc Examen pro iis tantum conscriptum est, qui jam paulo magis spirituales sunt, et ab aliis gravioribus peccatis abstinent, in hæc autem frequentius incidere solent. Itaque non fuit mens B. P. N. Ignatii tam brevi tractatione omnia peccata comprehendere, sed tantum, ut dictum est, pios animos admonere de iis quæ frequentiora sunt.

8. Porro Examen quotidianum, quod quinque puncta complectitur, dictetur prout jacet. Ad illud autem faciendum juvat illa lux, quam præbet Examen generale per illam distinctionem peccatorum, quæ fiunt cogitatione, locutione, et opere.

---

## Caput 14.

## De primo Exercitio primæ Hebdomadæ.

1. Circa ordinem tradendi Exercitia, sequendus est is, qui ponitur in ipso libro Exercitiorum, nempe ut prima hora fiat Exercitium trium potentiarum; secunda autem peccatorum; tertia vero et quarta, repetitiones utriusque: si autem addatur etiam quinta hora, fiat de Inferno. Sin fiant tantum quatuor horæ, hoc Exercitium de Inferno differendum erit in diem sequentem: quo eodem die possunt dari etiam alia Exercitia de morte, de iudicio, cum suis repetitionibus. Tertio die proponenda erit eadem materia, sed cum aliquibus novis punctis, ut in materia peccati, proponendo effectus, quos facit in animo, aut aliquid ejusmodi: sic enim tollitur tædium, et materiæ profundius penetrantur.

2. Porro primum Exercitium illud est, quod appellatur trium potentiarum, non quia in aliis etiam non exercentur hæ tres potentiæ; sed voluit B. P. N. Ignatius in hoc quasi aditu et principio omnium Exercitiorum viam monstrare, quæ in meditando tenenda est; nempe, ut per memoriam adjuvaretur ratio ad discurs-



rendum sive ratiocinandum; per discursum autem excitaretur voluntas et affectus; idque actuare voluit in materia peccati, quæ prima occurrebat ad meditando.

3. Itaque, in hoc primo Exercitio sunt sigillatim explicanda, Exercitia sumenti, omnia quæ in sequentibus Exercitiis futura sunt usui, quis scilicet modus servandus, ut cum attentione, et sine capitis læsione perseverari possit, et quomodo se animus colligere, collectumque tenere debeat; et quod, licet adhibendus sit intellectus ad cogitandum, major tamen habenda est cura affectus et interioris gustus, quam ut multi conceptus, quantumvis pulchri et acuti, formentur, et alia ejusmodi.

4. Hic etiam declaranda sunt Præludia, quorum usus præscribitur in omnibus Exercitiis: et in primis quid sit compositio loci, quæ nihil aliud est, quam fingere sibi, et quasi videre oculis imaginationis locum illum, in quo res, quam meditatur, gesta est: ut stabulum in quo Christus natus est, aut cœnaculum grande stratum in quo Apostolorum pedes lavit, aut montem in quo passus est.

5. Hac enim loci compositione valde juvatur ad attentionem et motionem animæ, quæ hoc modo quasi alligata phan-

tasia rei illi certæ, alligatur ipsa quoque quodammodo ne evagetur; aut si quando divertat, habet ad manum, in quo se facile colligat, et revocet in situm illum suum, quo se ab initio composuit. Unde S. Bonaventura in proœmio de Vita Christi: *Tu, inquit, si fructum ex his sumere cupis, ita te præsentem exhibeas his, quæ per Dominum Jesum Christum dicta et facta narrantur, ac si tuis auribus audires et oculis ea videres, toto mentis affectu diligenter, delectabiliter et morose, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis.*

6. Atque hoc quidem locum habet in meditatione rerum corporearum: nam in rebus incorporeis, ut est peccatum, et similia, alia quædam est instituenda compositio loci, de qua dicitur satis clare in libro Exercitiorum, in Exercitio trium potentiarum.

7. Denique in hac loci repræsentatione vitandum est diligenter, ne nimis in ea fabricanda immoremur, vel nimiam vim capiti faciamus; quia non consistit in ea fructus præcipuus meditationis, sed est tantum via et instrumentum ad ipsum fructum. Nec est dubium, quin aliqui majorem in hac re habeant facilitatem, in quibus videlicet acrior est vis potentiæ imaginativæ. Alii vero, quibus hoc

difficilius est, non ita laborare debent, ut caput obtundant, quo ipsam meditationem impedirent.

## Caput 15.

### De aliis Exercitiis primæ Hebdomadæ.

1. **I**n secundo Exercitio, in primo puncto moneñdus est Exercitans, ne descendat ad examinanda peccata sigillatim, ut fieri solet, cum quis se ad Confessionem parat; hoc enim postea facturus est extra meditationem: sed hoc tempore in genere tantum proponat sibi sua peccata, eorumque multitudinem et magnitudinem, ut concipiat confusionem et dolorem. Ad hoc autem confert percurrere loca, negotia et personas, ut hic dicitur.

2. Tertium et quartum Exercitium constat ex repetitione primi et secundi. Harum autem repetitionum usus est valde utilis; sæpe enim fit, ut cum ejusmodi materiæ primum cogitantur, intellectus pascatur illa rerum novitate, ac curiositate quadam; postea vero cum speculationem moderamur, magis aperitur via internis affectibus, in quibus potissimum consistit fructus. Quare in his repetitionibus vitandi sunt longi discursus, sed



tantum proponere sibi oportet, et quasi percurrere, quæ prius meditati sumus, et in iis immorandum voluntate et affectu: et hæc etiam est causa, cur plura hic colloquia sint, quam in prioribus Exercitiis.

3. Quod autem dicitur in libro Exercit. in 3. Exercitio 1. Hebdomadæ, repetitionem hanc faciendam de iis, in quibus antea majorem consolationem aut desolationem senserimus; ita intelligendum est, ut præcipue repeti debeant ea quæ lumen aut fervorem attulerunt; sed etiam expedit illa puncta repetere, in quibus ariditatem sensimus: quia sæpe contingit, ut deinde in ipsis majorem consolationis copiam sentiamus. Imo etiam bis repeti potest idem, si magna sentitur consolatio, aut alius bonus et spiritualis affectus, et hoc potissimum in prima Hebdomada.

4. Præter quinque hæc Exercitia B. P. N. Ignatii, possunt addi alia, ut in fine quinti Exercitii dicitur, ut de aliis peccati pœnis, de morte, de iudicio, vel de aliis cruciatibus Inferni: et quidem hæc rarissime omittenda videntur, quia multum habent momenti, ut avocetur animus ab inordinato amore rerum harum visibilium; et in his meditationibus concipit anima timorem sanctum Domini, ut pariat spiritum salutis.

5. In fine cujuslibet Exercitii semper fieri debet Colloquium, ut in libro Exercitiorum præscribitur: nec tamen prohibetur, quin juxta cujusque devotionem etiam in principio, et in medio alia Colloquia, et petitiones fieri possint; imo etiam aliquando expedit. Proprius tamen locus est in fine, cum anima ex meditatione magis elevatam se sentit: illa enim sunt aptissima Colloquia, quæ formantur ex affectu interiori varia, ut ipse affectus varius est.

6. Interdum enim homo agit cum Deo, ut filius cum patre; interdum, ut servus cum domino; modo ut amicus cum amico; modo etiam ut reus cum judice; aliquando etiam petens aliquod donum; aliquando gratias agens de beneficiis acceptis; alias accusando se ipsum; alias communicando cum eo familiariter.

7. In quo notandum, quod dicitur in tertia Annotatione ex viginti, hæc Colloquia, quando fiunt cum Deo, aut cum Sanctis, requirere majorem reverentiam, quam ipsas meditationes et speculationes. In particulari vero Colloquium secundum ad Christum ut impetret a Patre, explicandum erit rudioribus, hoc intelligi, non ut est Deus, sed ut homo mediator et advocatus, ut interpellet pro nobis.

8. Additiones, quæ in libro Exercitiorum ponuntur in fine primæ Hebdoma-

dæ, dandæ sunt pridie quam incipientur Exercitia (nempe meditatio, quæ dicitur trium potentiarum et reliquæ), quia in iis agitur de multis, quæ adjuvant meditationem. Decima tamen Additio posset differri in sequentem diem, quia non est adeo necessarium ut detur illo die. Deinde sequentibus diebus dandæ sunt reliquæ Additiones, et Regulæ de discernendis spiritibus, quæ conveniunt primæ Hebdomadæ, et quæ convenire videbuntur Exercitanti: quas tamen non erit semper necesse scripto dare, sed id Instructoris iudicio permittitur.

9. Hæ Additiones curandum est ut exacte serventur, quia ex ipsis valde pendet fructus spiritualis Exercitiorum: quamquam ex altera parte caveri etiam debet omnis excessus, et habenda est ratio personarum et complexionum, ut si qui essent natura melancholici, non debent nimium coarctari, imo potius dilatandus est eis animus; et idem de personis imbecillioris valetudinis, et insuetis ad hos labores: et ideo opus est prudentia et discretione. Experientia enim ostendit quibusdam profuisse, quod eis concederetur aliqua laxitas in his regulis servandis; aliis autem profuit severitas et rigor, semper tamen mixtus suavitate.

---



## Caput 16.

## De Confessione generali.

1. **S**ive qui se exercet, versetur in primis quinque Exercitiis, sive alia adjungantur, cum jam id satis consecutus videbitur, quod in hac Hebdomada ut finis proponitur, nimirum cognitionem intimam peccatorum, et veram contritionem; et ad id serio conatus, et Divinæ gratiæ cooperatus, tam per Exercitia, quam per Additiones judicabitur; moneri debet, ut se ad generalem Confessionem disponat. Et nisi Instructori nimium fatigatus videatur, poterit adhuc pergere in meditando per unam, aut alteram horam aliquid quod ad compunctionem peccatorum faciat, vel si id magis expedire judicetur, aliquid legendo ad eum finem.

2. Ut autem hoc diligentius et accuratius faciat, indicandum est ei quantæ sint utilitates hujus Confessionis generalis, de quibus utilitatibus agitur in ipso libro Exercitiorum post Examen generale. Quod si nulla alia esset, hoc certe satis esse deberet, quod experimur homines plerumque, aut sine examine sufficienti, aut sine debito dolore, nullo vel valde infirmo melioris vitæ proposito ad

Confessionem accedere, ac propterea ad consequendam pacem conscientiæ, et ad tollendos scrupulos, qui, si non antea, saltem in puncto mortis animam excruciare, et in periculum salutis æternæ adducere solent, multum prodest, semel se ab omnibus anteactæ vitæ peccatis abluere.

3. Quam etiam ob causam, etsi cavendum est a nimia anxietate in facienda hac Confessione, ne semper deinde maneant scrupuli ac reliquiæ, ut quibusdam contingit; tamen ex altera parte studendum et conandum est, ut ita diligenter atque accurate fiat, ut postea segura esse possit anima, se fecisse quod in se erat: nam sine hoc numquam frui poterit illa pace animi, et tranquillitate conscientiæ, quam diximus. Ideo præter proprium studium et diligentiam ipsius qui Exercitia suscipit, juvandus est etiam aliqua via et methodo, nempe Directorio aliquo ad bene confitendum, cujusmodi jam multa exstant bona et apta, si opus fuerit, et pro cujusque indigentia.

4. Aliquando etiam, præsertim insignioribus hominibus, proderit dare legendam Summam Navarri, ubi agit de statibus, ut attente considerent, quæ ad suum statum pertinent. Sic enim melius videbunt in quibus defecerint, quæ si Nostri

per se proponerent, fortasse non tantam iis fidem haberent, et possent putare eos esse nimios in urgendis conscientiiis.

5. Hanc generalem Confessionem, ut plurimum, magis expedit non fieri ei qui tradit Exercitia: si tamen qui suscipit, ei confiteri mallet pro sua devotione, vel Sacerdotum penuria, aut aliæ causæ ita exigent, nihil impediret quin etiam ipsi fieri posset.

## Caput 17.

### De fine primæ Hebdomadæ.

1. **Q**uoniam, ut supra dictum est, Exercitiorum Hebdomadæ non dierum spatio definiuntur, sed ex effectu, qui in eis prætenditur: ideo hujus primæ Hebdomadæ tempus vel contrahi, vel prorogari poterit, prout citius vel tardius quisque contritionem, devotionem, vel meditandi modum assecutus fuerit. Alii enim celerius, alii serius eo perveniunt. Illud tamen notandum, eos homines, qui multum proficiunt in via spiritus, et qui jam ab aliquo tempore Sacramenta frequentant, aut qui multum cupiunt statuere de modo Vitæ suæ, in quo



magis Deo Domino servire possint, non esse diu detinendos in hac prima Hebdomada. Imo si fieri possit, quatuor aut quinque diebus absolvere eam debent. Contra vero faciendum in iis qui non ita dispositi sunt. Hi enim ut peccata sua defleant, et ut peccati turpitudinem ac fœditatem agnoscant, debent diutius in his exerceri, mutando subinde rationem victus somnique, et alia genera pœnitentiæ, ut habetur in Exercitiis Notabili tertio post Additiones primæ Hebdomadæ.

2. Qui absolutis Exercitiis primæ Hebdomadæ ad reliqua progressurus est, postquam generaliter confessus fuerit, et communionem sumpserit, saltem per unum diem vacare debet ab illo labore tam intenso meditandi. Interim tamen posset in mente versare parabolam illam Filii prodigi, applicando eam ad seipsum, aut aliquid ejusmodi. Porro ad communionem est ita etiam disponendus, ut ad eam accedat cum reverentia, et fide, et gustu, et ob eam causam danda est ei aliqua meditatio ad hoc apta.

---

## Caput 18.

De secunda Hebdomada; et primo de fine, qui in ea prætenditur.

1. **F**inis et scopus, qui Exercitiis omnibus primæ Hebdomadæ præfixus est, hic præcipue est, cognoscere quod erravimus ab ea via, quæ nos ducere debebat ad ultimum illum finem, cujus causa creati sumus; et consequenter dolere de tali et tanto errore, et concipere intensum desiderium redeundi in illam viam, et in ea semper perseverandi.

2. In hac autem secunda Hebdomada finis est, proponere sibi Christum Dominum ac Salvatorem nostrum, ut veram viam, juxta illud, quod ipse dixit: *Ego sum via, veritas, et vita; et: Nemo venit ad Patrem nisi per me.* (Joan. 14, 6.)

Ipse enim est exemplar a Patre hominibus propositum, cujus imitatione emendemus et componamus mores nostros corruptos, et dirigamus pedes nostros in viam pacis. Quare cum Christi vita sit perfectissima, et ipsa idea virtutis et sanctitatis; sequitur, ut quo vita nostra propius ad eam imitatione accesserit, ipsa quoque perfectior sit, imo et propius ac-

cedat ad ultimum finem suum, ideoque eo etiam felicior sit.

3. Propter hanc causam hæc secunda Hebdomada respondet viæ illuminativæ, quia Christus est sol justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et ad hoc venit, ut illuminaret sedentes in tenebris, et umbra mortis. Et quoniam peccata, et pravæ affectiones obtenebrant animam, eamque impediunt, et retrahunt a Christi imitatione, ideo hæc prius eradicanda ex corde erant primis illis Exercitiis et meditationibus.

4. Dispositio quam B. P. N. Ignatius requirebat in iis qui facturi essent Exercitia hujus Hebdomadæ, est, ut ostendant fervorem, ac desiderium progrediendi ulterius ad deliberandum de statu vitæ. Quare qui hoc nollet, vel tepide vellet, etiamsi cuperet progredi in meditationibus, melius esset eum differre ad unum aut alterum mensem. Hoc enim negotium ejusmodi est, ut nisi cum fervore spiritus suscipiatur, non possit habere bonum successum: requirit enim magnum, et fortem, et constantem animum, qui ex augmento devotionis proveniat.

5. Verum est, quod si quis esset, a quo nihil magnum sperari posset, quia non esset admodum capax, vel impeditus esset statu matrimonii, posset pro ejus



capto, aliquid addi de sequentibus Hebdomadis, ut dirigatur in statu, in quo est, ad bene vivendum in eo.

6. Ceteros autem melius est relinquere cum fame, ut sciant adhuc sibi restare aliquid, quod faciant. Contingit enim sæpe, ut hac dilatione experientia ipsa apertius eis detegat suas necessitates et infirmitates; quod facit, ut deinde ardentiores et magis dispositi redeant.

## Caput 19.

### De primis quatuor Exercitiis secundæ Hebdomadæ.

1. **P**rimum Exercitium in hac secunda Hebdomada, est de regno Christi, quod tamen non computatur inter meditationes, quia prima est de Incarnatione Domini. Est igitur quasi fundamentum quoddam, aut proœmium totius hujus tractatus, et summa ac compendium vitæ et operum Christi Domini, in eo negotio, quod ei commiserat Pater, de quo Isaias: *Opus ejus coram illo* (Isai. 62, 11.). Et ipse Dominus: *Opus quod dedisti mihi, ut faciam.* Et addit quidnam id esset: *Clarificavi te super terram: Manifestavi nomen tuum homi-*

*nibus* (Joann. 17, 4 et 6.). Vocat autem omnes homines in societatem tanti et tam gloriosi operis, unumquemque juxta suum gradum. Ex quo jam incipit apparere diversitas graduum in imitatione Christi.

2. Dispositio autem, quæ requiritur in anima ejus qui facit Exercitia, hæc est, ut quantum est ex sua parte, tendat in id quod perfectius est, si Dominus dederit gratiam et vires. Unde aperte colligitur ex hoc jam loco animam incipere præparari et disponi ad electionem status, quæ postea suo loco expressius proponetur. Sic enim mirabili quodam artificio Spiritus Sancti hic anima excitatur ad perfectionem, ut deinde hanc eandem perfectionem eliciat et indaget in omnibus sequentibus meditationibus, Incarnationis, Nativitatis, et aliarum; et ita perfectionis semina, quæ hic sparguntur, per illas deinde meditationes latenter crescant et promoveantur, donec in tempore electionis suum fructum ferant. Atque hoc bene notandum est Instructori pro sua directione, non quod de hoc monere debeat Exercitantem, sed potius sinat res ipsas per se in ejus anima operari, vimque suam exercere.

3. Neque hoc tamen impedit, quin hæc meditatio, sicut etiam quæ deinde

sequitur de duobus Vexillis, tradi possit etiam iis qui non sunt facturi electionem, quoniam etiam hi ea juvari possunt: siquidem in genere tantum agunt de iis quæ ad majorem Dei gloriam ab unoquoque fieri possunt in Dei obsequio pro cujusque capacitate.

4. In hac secunda Hebdomada notandum est, addi hic unum præludium. Nam cum in prima Hebdomada primum præludium sit constitutio loci, hic ante constitutionem loci ponitur quædam repræsentatio historiæ, seu Mysterii quod meditandum occurrit. Hoc autem non ita intelligendum est, ut tunc immorari debeamus in meditando illo Mysterio: sic enim nihil differret præludium a meditatione: sed ita est accipiendum, ut in primo illo præludio proponatur historia generatim, et quasi tota in communi, ut sciatur materia, de qua tunc cogitandum est, et anima incipiat in ea actuari, et ad eam elevari: deinde vero in ipsa meditatione incipiat in singulis ejus partibus immorari, easque ponderare et penetrare. Ut cum quis conjicit oculos in tabulam aliquam pictam, in qua sit varietas rerum pictarum, prius unico intuitu omnia confuse cernit, et scit quid in ea tabula contineatur; postea vero figit oculos in singulis particularibus rebus, quæ ibi pictæ



sunt, easque sigillatim melius et accuratius perpendit.

5. Quod autem attinet ad puncta harum meditationum, sumenda erunt in fine libelli Exercitiorum, ubi Mysteria Vitæ Christi ordine posita sunt, distincta fere singula tribus punctis: etsi simplicioribus, qui ea non legerint, aut legere non possint in Evangeliiis, explicatius tradi oportebit, addita brevi declaratione, ut dicitur 2. Annotatione ex 20. Unde quod in meditatione Incarnationis et Nativitatis etiam dicitur de contemplandis personis, et earum verbis et operibus, intelligi debet, referendo ad illam, quam diximus distributionem, quæ in fine libri ponitur, nempe cogitando hæc in singulis punctis, ut occurrunt ordine suo, non autem quod necessarium sit omnes prius personas totius Mysterii, deinde omnia verba ejusdem, ac demum opera separatim meditari: hoc enim, præsertim, in quibusdam meditationibus, pareret confusionem.

6. Quare hoc tantum voluit B. P. N. Ignatius, regulam dare in singulis punctis, quo meditantis intentio ferri debeat, primum quidem in ipsas personas, quæ in illo puncto occurrunt, tum ad verba, si prius verba, vel ad facta, si prius occurrant facta. Et ita absoluto uno puncto

transeatur ad aliud, eundem ordinem in eo servando.

7. Ceterum etsi hic tantum mentio fit de his tribus, non tamen prohibetur, quin possint etiam addi alia puncta, ut v. g. cogitationes; et affectus personarum interiores, tum etiam virtutes, et præterea modus et finis Mysteriorum, quæ occurrunt, causa item, et effectus, tempus, et reliquæ circumstantiæ, ut fœcundior sit meditatio, et major ejus fructus.

## Caput 20.

De quinto Exercitio secundæ Hebdomadæ,  
quod est Applicatio sensuum.

1. **E**xercitium quintum, quod est applicatio sensuum, est facile valde, et utile, imaginando nos videre personas et audire verba, aut strepitum si qui fit, vel tangere, aut osculari sive loca, sive personas; quod tamen fieri debet cum omni reverentia, et modestia, ac timore. Olfactum B. P. N. Ignatius refert ad odorandam fragrantiam animæ ex donis Dei, et gustum ad gustandum ejus dulcedinem, quod utrumque significat præsentiam quamdam rei vel personarum quas meditamur, cum gustu et amore earum tenero.

2. Quod autem hic dicitur, facta meditatione Incarnationis, et Nativitatis, faciendam deinde separatim hanc applicationem sensuum, intelligendum est, idem deinceps fieri debere in reliquis meditationibus Vitæ Christi. Quod non ita accipiendum est, quasi hanc applicationem debeamus habere sejunctam ab omni materia meditationis, sed ut præcipuus scopus circa Mysterii considerationem sit sensuum applicatio.

3. Differt autem applicatio ista sensuum a meditatione, quoniam meditatio est magis intellectualis, et magis versatur in ratiocinatione, et omnino est altior: discurret enim per causas illorum Mysteriorum, et effecta, et in eis investigat attributa Dei, ut bonitatem, sapientiam, caritatem, et reliqua. At vero applicatio non discurret, sed tantum inhæret illis sensibilibus, ut in aspectu, et auditu, et reliquis ejusmodi, quibus fruitur et delectatur cum profectu spirituali.

4. Est autem ejus duplex utilitas: interdum enim cum anima non potest profundiora speculari, dum in his immoratur, paulatim disponitur et elevatur ad illa altiora. Interdum autem contra, anima jam impinguata, fervens devotione ex cognitione illorum Mysteriorum altiorum; descendens deinde ad hæc sensibilia, in



omnibus invenit pastum, et consolationem, et fructum ex abundantia amoris, qui facit, ut minima quæque, ac vel ipsi nutus, magnifiant, et materiam amoris et consolationis præbeant.

5. In Mysteriis Christi tradendis debet Instructor ea desumere ex ipso libro Exercitiorum in fine, ubi, ut dictum est, descripta sunt cum suis punctis. Quare qui magis versati sunt in meditando, iis satis erit dictare, vel dare in scriptis puncta, ut ibi habentur, admonendo, ut semper eandem formam teneant, quam prima die. Cum aliis autem minus versatis oportebit ad particularia magis descendere, accommodando præludia ad materiam, et introducendo eos, ut sciant sibi proponere personas cum suis circumstantiis, tum earum verba, et facta, etc.

## Caput 21.

De meditationum horis; lectione spirituali et eo, qui exercetur, visitando.

1. **S**i qui se exercet, fatigatus videatur, imo etiamsi non adeo fatigatus sit, tamen ut melius durare possit, expedit ut detur illi aliqua relaxatio in horis meditandi; et tunc omitti poterit

meditatio quæ fit media nocte, et retineri aliæ quatuor horæ.

2. Potest etiam in hac Hebdomada et sequentibus, post absolutas meditationes reliquo tempore legi aliquis liber, sed ejusmodi, qui pietatem potius nutriat, quam intellectum novitatibus exerceat, ut sunt aliqua ex operibus S. Bernardi, vel Gerson de Imitatione Christi, vel Granata. Si vero liber hic contineret aliquem tractatum de Christi Mysteriis, non expediret ut ea legerentur, de quibus postea faciendæ sunt meditationes, sed de quibus jam factæ sunt, vel quæ eo die sunt faciendæ.

3. Quod attinet ad visitandum eum, qui exercetur, semel saltem esset visitandus in die, excepto tempore electionis, quo tempore solent incidere frequentiores desolationes et perplexitates, quæ crebriorem visitationem requirunt.

---

## Caput 22.

De electione, quanti momenti sit, et quis ordo in hac materia servandus.

1. **I**n omnibus Exercitiis nullus est difficilior locus, aut qui majorem dexteritatem et discretionem spiritualem

requirat, quam electionis: quoniam hoc tempus expositum est diversis motibus animi, et sæpe etiam erroribus, cum homo non solum a malo vincatur, sed plerumque etiam boni et recti imagine fallatur.

2. In hac ergo materia illud ante omnia intelligendum videtur, et ante oculos tenendum, quanti referat eligere statum vitæ. Nam si homo, ut rationalis, debet omnino suis actionibus ponere finem congruentem rationi, Christianus autem debet omnia opera sua dirigere ad finem supernaturalem; si hæc ergo in singulis actibus fieri debent, quanto magis in capiendo statu; ex quo scilicet consequuntur fere omnia opera vitæ nostræ, ita ut, si finis ipsius status sit vitiosus, ea etiam quæ ad finem consequuntur oporteat esse vitiosa.

3. Deinde, ut in corpore animantis plura sunt membra, neque omnia membra sunt oculus, aut omnia pedes, ut ait S. Paulus (1. Cor. 12.); ita in hoc corpore Ecclesiæ oportet esse varios gradus et status. Hujus autem divisionis et partitionis auctor est Spiritus Sanctus, ad quem pertinet singulis suum locum tribuere. Unde Apostolus eodem loco: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus: et divisiones operatio-*



*num sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (Ibid. v. 4, 5, 6). Ex quo constat, ut famuli a suo domino, suo quisque operi ac muneri destinantur; sic homines a Deo: ac proinde non debere hominem impedire in seipso id, quod Deus in eo et de eo agere vult; sed oportere, ut ei fideliter serviat, in quacumque re ejus Majestas voluerit.

4. Accedit etiam propria utilitas, eaque magna, quoniam pertinet ad salutem æternam. Nam etsi Deus nemini negat auxilium necessarium ad salutem, tamen non est dubium, quin iis multo abundantius gratiam suam, et lumen, atque opem communicet, qui non se in aliquem vitæ statum ex libito suo intruserunt, sed eum elegerunt, quem præmissa diligenti consideratione putarunt esse juxta Divinum beneplacitum.

5. Denique si nos in tanta re nostro judicio ac placito gubernare velimus, facile in maximos et maxime perniciosos errores incidemus: si vero Dei voluntatem exsecuti fuerimus, ille ut Pater et Creator noster, nihil de nobis statuet, quod nobis utile et salutare non sit, imo vero etiam aptum et accommodatum nobis: quoniam ipse noscit figmentum nostrum.

6. Hæc igitur et alia in hanc sententiam non solum Instructori utilia erunt,

ut in hoc negotio magnum studium adhibeat; sed multo magis ei qui facit Exercitia, ut videat quo animo aggredi debeat rem adeo necessariam.

7. Igitur, ut in hoc tractando aliquis ordo servetur, primo dicemus quales esse debeant, qui ad electionem admittuntur: secundo, quales ii qui eos dirigunt; tertio, quæ sint res de quibus est electio; quarto, quæ in ea regulæ servandæ; quinto, quis sit ordo et praxis electionis faciendæ.

### Caput 23.

Quales esse debeant, qui ad electionem admittuntur.

1. Circa primum, apertum est, non omnes esse admittendos ad electionem status. Qui enim jam tenent statum determinatum, ut conjugati, aut Religiosi, non debent de hoc agere, sed tantum juvari debent, ut in suo quisque statu ad perfectionem tendat pro mensura gratiæ, quam ei Dominus Deus concedet. Qui autem adhuc statum non habent, non tamen omnibus indifferenter dari debet electio, ut habetur in septima parte Const. cap. 4. lit. F. ubi dicitur,

quod non nisi paucis, iisque hujusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur. Igitur qui vel incapaces essent hujus perfectionis (cujusmodi sunt leves natura et inconstantes, quos in primis explorare oportebit, nec ullo modo admittere ad electionem), aut quos constet habere passiones quasdam indomitas, aut malos habitus, qui videantur incorrigibiles; non essent admittendi, nisi tam certa signa essent peculiaris cujusdam gratiæ, ut hæc omnia suppleret.

2. Secundo, præter naturam et mores aptos, requiritur etiam ut ille, cui datur electio, eam ipse desideret et petat. Et hoc omnino necessarium est; et nullo modo alioquin dari debet, multo autem minus ingeri et obtrudi non cupienti. Nam præterquam quod, qui sic affectus est, omnia quæ ei dicentur, cum suspicionem accipiet, et ideo iis juvari non poterit; est etiam ea causa, quod in electione facienda multæ et magnæ incidunt difficultates, etiam cum voluntas bona et fervens est: quare multæ erunt majores, cum voluntas languet, et ideo nunquam eas superare poterit.

3. Tertio, valde expedit, ut qui ingreditur electionem, studeat esse liber ab omni affectu inordinato, et plane ad omnia



indifferens: ad hoc vero unum inclinatus, ut sanctum Dei beneplacitum sequatur, quodcumque illud esse cognoverit. Quare si cerneretur eum nimis propendere ad divitias, minus autem ad paupertatem, non esset bene dispositus, nec sperandus esset bonus exitus in electione. Ille enim affectus aversus a via perfectiori, et ad imperfectiorem conversus, intellectum traheret ad excogitandas rationes tali affectui consentaneas. Ac cum, ut dici solet, quidquid recipitur, recipiatur ad modum recipientis, facile fieret, ut existimaret illam esse Dei voluntatem, quæ est ipsius voluntas. Oportet igitur ut perveniat ad tertium gradum humilitatis, qui ponitur in libro Exercitiorum, aut saltem ad secundum, cui comparando serviunt meditationes de Vexillis, et de Tribus classibus, et aliæ, de quibus infra dicitur: et ideo esset in eis meditationibus diutius retinendus, ut paulatim disponatur ad hoc æquilibrium animi, partim conando propria diligentia, partim id a Deo petendo ferventibus orationibus. Quod si ad hanc resignationem et indifferentiam non pervenerit, tota tractatio de modo eligendi relinquenda est. Et tunc si ita expedire videbitur, procedendum in reliquis Exercitiis faciendis, ut, si fieri potest, per ea ad majorem

maturitatem perducatur, vel post breve tempus finis eis imponendus.

4. Quarto, omnium optima est illa dispositio, ut non modo non magis propendeat ad terrena retinenda, sed quoad fieri potest, voluntatem suam semper inflectere conetur ad id quod perfectius est. Nam licet re ipsa non id electurus sit, quia fortasse Deus eum non vocat ad talem statum, tamen nihil ei nocebit, imo plurimum proderit tale desiderium; ac proinde in his Exercitiis semper proponitur via perfectior, tamquam magis optanda, et a Deo petenda. In quo valde notanda est sententia quædam B. P. N. Ignatii, quæ inventa est in quodam ejus scripto, ubi ita ait: Debere Instructorem ita disponere eum, qui est in Exercitiis, ut omnino resignatus sit, tam ad consilia sequenda, quam ad præcepta: imo vero, quantum in ipso est, magis inclinatus sit ad consilia, si id majus Dei obsequium fuerit. Et addit: Majora utique signa requiri ad statuendum, quod ea sit Dei voluntas, ut quis in eo statu maneat, in quo satis sit servare præcepta, quam ut viam consiliorum ingrediatur: quia Dominus tam aperte ad consilia exhortatus est; at vero in illo statu magna ostendit esse pericula.

5. Ultima est ea dispositio, quam idem B. P. N. Ignatius eodem loco præcipit,

nempe ut qui facit electionem colligat se totum intra se, et toto tempore quo durat hæc deliberatio, claudat sensus, claudat animum omnibus aliis rebus, nihilque velit videre, aut audire, quod non desursum sit. Quibus verbis duo indicantur: primum, ut anima non sinat se distrahi ad alias cogitationes, sed hoc unum agat, et huic uni intenta sit, ceteris omnibus negotiis a se rejectis. Alterum est, ut in hac deliberatione non admittat rationes, quæ non sint e cœlo, id est, nullas admittat quæ sapiant carnem et sanguinem, aut aliquid humanum ac terrenum, quia omnia manare debent ex uno illo principio, quod est desiderium gloriæ Dei, et exsequendi ejus voluntatem. Hic enim est verus ille sumptus ad ædificandam turrin, de qua est in Evangelio (Luc. 14, 28.); et hoc magnam animæ fiduciam affert, quod Deus non sinet eam decipi: quia cum eum in toto corde et in veritate quærat, nunquam se Deus ab ea avertet, cujus scilicet tanta est bonitas, et amor in suam creaturam, ut etiam occurrat sæpe non quærentibus. Quod licet ita sit, et ea sit perfecta electio, ad quam solius Dei amor impellit; tamen si præcipuus quidem esset amor Dei, sed præter illum aliquid etiam accederet, quod eodem inclinaret, modo non repugnans



Dei legi ac voluntati, et ex sua natura bonum, ut puta consolatio propria, et quies spiritualis, ratio valetudinis, aut aliquid ejusmodi, non propterea improbanda esset electio. Hæc tamen oporteret semper minus esse præcipua, et minus præcipue movere, et hæc ipsa ad Dei amorem referri.

### Caput 24.

Qualis esse debeat, qui dirigit electurum.

1. **C**irca secundum, officium ejus qui tradit Exercitia, in hoc particulari negotio est cooperari motioni Divinæ, eamque non præire, sed sequi; et ad hoc disponere animam ejus qui facit Exercitia, removendo impedimenta, nempe errores, dolos, affectiones, atque inclinationes inordinatas. Non debet eum movere vel ad unam, vel ad aliam partem, ut dicitur in 15. Annotat. ex prioribus. Etsi enim ex natura sua licitum est, ac meritorium etiam, hortari ad perfectiora; tamen ut ejusmodi deliberationes solidius fiant, et sine ulla humana persuasionem, multo melius est permittere, ut solus Deus cum sua creatura tractet, nec aliquis tertius intercedat: et hoc maxime

in Exercitiis, ubi se anima ad hoc ipsum disponit. Ratio hujus est, quia electio tantæ rei, ut est status vitæ, non debet niti persuasione aut inductione humana, sed sola Dei voluntate; alioqui metuentum esset illud, quod Dominus dixit: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (Matth. 15, 13.). Et cum in ejusmodi via per se ardua, et deinde dæmonum invidiæ exposita, sine dubio secuturæ sint multæ tentationes ac difficultates; non potest ullum auxilium ac sublevatio exspectari ab homine, qui nos induxit, nisi levemus oculos nostros in cœlum, et dicere possimus: Dominus solus dux meus fuit; quoniam juxta Apostolum (Philipp. 2, 13.) sperandum est, Eum qui dedit velle, daturum etiam perficere, et confirmaturum usque in finem.

2. Ex quo colligitur, eum qui dirigit in hac electione, debere ipsum quoque suo modo indifferentem esse, ut fideliter peragat opus quod ei commissum et creditum est; idque tantum respiciat et cupiat, ut Dei voluntas et beneplacitum compleatur, nihil apponens de suo spiritu proprio: hoc enim est immittere falcem in messem Dei. Et præterea posset aliquando præbere materiam tentationum Exercitanti, quia maneret semper aperta dæmoni hæc porta suggerendi, quod ho-

minis instinctu ad Religionem inductus esset. Persuadeat autem sibi, illud tutum fore, ac sine periculo, quod indagaverit juxta regulas sanæ electionis. Tantum diligens sit in sublevando ac dirigendo, quem Dominus ejus curæ ac fidei commisit.

3. Vigilet in detegendis fraudibus, et paralogismis dæmonis, quoniam ex falsis principiis, qualia ille suggeret, sequetur non nisi falsa conclusio.

4. Animadvertat etiam, contingere sæpe, ut quis ingrediatur in electionem cum optima dispositione, et tamen in ipso articulo eligendi insurgat in ipso aliquis sinister affectus, qui omnia perturbet, et suffocet bonum semen: et ideo cautus sit et industrius ad hæc omnia tum providenda, tum præcavenda.

---

## Caput 25.

Quæ sint res, de quibus est electio.

1. **C**irca tertium, illud certum est, rem omnem, quæ sub electionem cadat, oportere esse bonam, sive sit negotium aliquod particulare, sive status totius vitæ.



2. Electio autem status versatur circa duo: sitne manendum in præceptis, an progrediendum ad consilia.

3. Si consilia sequenda: num in Religione, an extra eam. Quamquam enim vix jam extra Religionem servari possunt, tamen posset esse talis natura, ut non sit valde idonea ad communitatem vitæ, et obedientiam, et tamen possit servare paupertatem et castitatem.

4. Tertio, si in Religione: restat etiam in particulari, quis Ordo eligendus; quia alios vocat Dominus ad majorem solitudinem, alios ad juvandos proximos, et ipsa naturalis complexio vel corporis vel etiam animæ alia alii Instituto aptior est.

5. Quarto, electa peculiari Religione, deliberatur etiam de tempore, et de modo id exsequendi.

6. In eligenda hac autem vel illa Religione, cavendum est primo, ne eligatur aliqua jam corrupta, vel in qua non viget observantia. Secundo, inter illas ipsas, in quibus viget observantia, præferenda est ea, cujus Institutum sit perfectius: in quo dijudicando est optima doctrina S. Thomæ 2. 2. quæst. 188, art. 6, et habenda est maxime ratio personæ, non solum juxta vires et propensionem, sed etiam juxta dotes et ta-

lenta, quæ habet propter majus Dei obsequium.

7. In tempore autem exsequendi Divinam vocationem est interdum peculiaris difficultas; quoniam in his, quæ repugnant sensui, solet humana infirmitas procrastinare quantum potest, et causas morarum innectere, seque ipsam decipere, quærendo rationes differendi. Quare optimum est hanc ipsam difficultatem profligare in Exercitiis, et cogitare quod ait S. Ambrosius: *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*. Imitanda est etiam promptitudo Apostolorum, relictis statim retibus et patre: valetque illa ratio: Si aliquando, cur non modo? et si non modo, fortasse nunquam. Nunc enim recens est Dei motio, et ejus auxilium, postea vero facile fieri potest, et fit quotidie, ut refrigescat hic spiritus, et sic multo difficilior erit resistere pugnae carnis et diaboli. Et hæc de electione consiliorum.

8. Si quis vero eligat servare præcepta, restat adhuc consultandum, in quo statu, aut in qua ratione vivendi ea servet: quæ singula discutienda sunt, ut eo melius, et cum majori luce vita instituat.

9. Denique in aliis particularibus negotiis, ut in suscipienda aliqua re, vel

non suscipienda, utendum est his iisdem regulis, sumendo scilicet eam partem ipsarum, quæ sufficit pro qualitate rei. Modus autem, seu regula, etiam in his omnibus particularibus actionibus, est, omnia metiri ex Dei honore, nullo habito respectu ad proprias commoditates, maxime temporales, ut intentio semper in Deum recta sit, nec inflectatur ob aliquid terrenum.

---

### Caput 26.

De tempore triplici ad electionem recte faciendam.

1. **C**irca quartum, declaranda sunt tantum tempora electionis faciendæ, quæ habentur in libro Exercitiorum: nam his bene cognitis, nihil fere aliud desiderari posse videtur. Tempora autem dicuntur, quia cum tales animæ motiones sentit, quales ibi describuntur, tunc aptum est tempus et opportunum electioni. Ac de primo quidem tempore pauca sunt dicenda, cum scilicet adeo clare constat de Dei voluntate, ut ne dubitari quidem de ea possit, pro cuius exemplo ponitur vocatio Matthæi et Pauli. Et quamvis jam non contingant ejusmodi



vocationes ita miraculosæ, tamen et legimus et videmus quasdam, quæ quodammodo ad eas videntur accedere tanta claritate et satisfactione spiritus, tamque certa illustratione Divinæ voluntatis, ut ne in has quidem videatur cadere posse dubitatio. Sed hæc vocatio nimis extraordinaria est, nec cadit sub regulam, et ideo nec a Deo petenda, aut exspectanda est: et ob hanc etiam causam, cum tam raro accidat, non multum est in hujus primi temporis consideratione insistendum, et obiter dumtaxat declarandum ei qui facit Exercitia.

2. Secundum igitur tempus est magis ordinarium; cum scilicet animus inspirationibus et motionibus internis agitur, iisque tam efficacibus, ut sine nullo intellectus discursu, aut fere nullo, voluntas feratur ad Dei servitutem et ad perfectionem.

3. Tertium tempus est, cum intellectus ratiocinando, et ponderando rationes pro una et altera parte, veritatem clarius aspiciat, et veluti lumen voluntati præfert, ut voluntas id demum eligat, quod omnibus perpensis melius fuerit judicatum.

## Caput 27.

Comparatio secundi temporis faciendæ electionis cum tertio, et fusior ejusdem secundi explicatio.

1. **I**taque etiamsi hæ duæ potentiæ animæ ita conjunctæ sint, ut una sine altera in eligendo operari non possit; est tamen hæc differentia, quod in primo et secundo tempore voluntas præcedit, intellectus vero sequitur, et ab ea trahitur sine ullo suo discursu, aut cunctatione; in tertio autem præcedit intellectus ipse, tamque multas rationes voluntati proponit, ut eam exstimulet, et impellat in eam partem quam judicat meliorem. Et quidem hoc supposito, quod motio illa sit immediate a Deo, sine dubio excellentior via est altior, cum voluntas divinitus illustrata præcedit ac trahit intellectum: quia etiam Aristoteles, ut refert S. Thomas, ita ait: Illis qui moventur secundum instinctum Divinum, non expedire consiliari secundum rationem humanam, quia moventur a meliori principio, quam sit humana ratio. Sed posterior via, nempe per ratiocinationem et discursum, est securior et tutior.

2. Pro notitia autem primi et secundi temporis, quando scilicet, ut dictum est,

anima afflatu Divino permovetur, declarandum est exercenti se, quid sit consolatio, et quid desolatio, de qua utraque agitur in tertia et quarta regula discernendi spiritus.

3. Hæc autem consolatio non est habitus, sed veluti spiritualis passio data supernaturaliter, cujus natura est, ut dum præsens est, facile exercentur actus virtutis, imo cum delectatione et gustu, et cum inflammatione affectus: contra vero facit, ut opera carnis desipiant, et insuavia videantur. Ejus partes vel modi varii sunt, ut pax et quies quædam interior, gaudium spirituale, lumen, et clarior cognitio rerum Divinarum, lacrimæ, mentis elevatio in Deum, spes in Deo fixa, sensus rerum æternarum, conversio ad cœlestia, calor sancti amoris, et si qui sunt similes alii effectus vel affectus, qui sunt omnes a spiritu bono.

4. Desolatio contra est tristitia, perturbatio animi, spes in rebus vel personis, amor rerum inferiorum, ariditas, depressio, et evagatio mentis in res hujus mundi, quæ sunt omnia a spiritu malo.

5. Hoc igitur posito, ad cognoscendum, utra ex duabus partibus, de quibus consultatur, magis placeat Deo; debet homo in se ipso notare, et animadvertere, quando sentit consolationem, ad



quam partem eum inclinet consolatio, et tranquillitas animæ: et contra desolatio, cum eam sentit, ad quam partem eum magis inclinet. Et cum his temporibus contrariis videat se moveri ad contrarios effectus, debet pro certo habere nasci id ex principiis contrariis. Proprium enim est spiritus mali invadere animam tempore desolationis, eamque obruere pusillanimitate, et tristitia, et torpore: contra vero proprium est boni Spiritus afferre animæ lætitiā, et tempore lætitiæ cum ea tractare, et in eam influere. Uterque enim dat ex eo quod habet, et quo abundat, ut constat ex regulis discretionis spirituum, præsertim quæ huic secundæ Hebdomadæ conveniunt, quæ valde opportunæ sunt hoc tempore, et sine illis fere ambulabitur in tenebris.

6. Est etiam altera quædam praxis hujus rei, quam ponit B. P. N. Ignatius, illa similitudine ejus, qui præsentat principi suo genus aliquod cibi ut exploret quam ei arrideat. Sic anima cum profunda humilitate, et ferventi amore, ac desiderio gratificandi Deo, offerat ei diversis temporibus modo unam modo alteram rem, observans quænam ex illis a Deo magis accipiatur et admittatur, dicens semper: Domine, quid me vis facere? Quod non solum ore, aut leviori

mentis affectu, sed toto corde, et multis cordibus, si tot haberet, ei dicendum, et sentiendum est.

7. Porro inter alia indicia Divinæ voluntatis vocantis ad statum perfectiorem, illud est optimum, si anima sentit sibi promitti tantum pecuniæ spiritualis, quantum necesse sit ad ædificandam hanc turrim Evangelicæ perfectionis; id est, si sentit labores hujus vitæ, qui aliis ita graves videntur, et ipsimet antea ita videri solebant, nunc leviores et faciliores reddi, sic ut voluntaria paupertas, vel abnegatio propriæ voluntatis, castitatis observantia, et reliquarum virtutum exercitatio, jam non adeo gravis ei videatur, ut de se ipso scribit S. Augustinus in libris Confessionum. Secundum est indicium, si hæc cogitationes pergunt semper movere ad bonum. Satanas enim, licet ab initio dissimulet, in progressu tamen non potest diu se celare, quin incipiat depromere suum venenum.

8. Denique de ejusmodi signis boni vel mali spiritus optime et valde dilucide agitur in regulis discretionis spirituum posterioribus libri Exercitiorum: agit etiam Gerson in libro de Probatione spirituum, et S. Bonaventura de Processu relig. cap. 18.

9. Atque hæc hactenus de primo et secundo tempore electionis: in quo si ita

constet de Divina voluntate, ut anima plane confirmetur et stabiliatur, nec desideret majorem certitudinem, potest hic conquiescere: sin vero non sufficiat, poterit progredi ad tertium tempus.

## Caput 28.

### De modo priore et posteriore bonæ Electionis faciendæ.

1. **T**ertium tempus in libello Exercitiorum duobus modis distinguitur, qui vocantur modus prior et modus posterior bonæ electionis: prior sex punctis, posterior quatuor regulis continetur. Si ergo in priori non fiat electio, veniendum est ad posteriorem qui est ultimus modus qui in hac materia tradi possit.

2. Pro his autem duobus modis bene eligendi, sicut etiam omni tempore quo durat electio, requiritur tranquillitas animæ, quoniam tempore turbationis non est locus electionis: cum scriptum sit Eccli. 2, 2.: *Ne festines in tempore obductionis.* Quare qui hanc tranquillitatem in se non sentiret, satius esset ut progrederetur in meditationibus donec tempestas deferveret, et rediret sereni-



tas, quoniam dum turbida est aqua, nihil in ea perspici potest.

3. Supposita ergo hac tranquillitate, proponenda sunt ex una parte commoda, ex altera parte incommoda provenientia ex ea re, de qua agitur, et singula bene æstimanda et examinanda, ut videatur quænam præponderent.

4. Tantum illud observandum, et actuandum hic, quod supra attigimus, nempe has rationes, quæ ad deliberationem adhibentur, debere omnes proficisci ex illo principio Divini obsequii: nec admittendos esse in hac consultatione respectus humanos, aut terrenas cogitationes.

5. Notandum est etiam, quod hi duo modi quibus tertium tempus distinguitur, non solum tunc adhibendi sunt cum in secundo tempore nihil conclusum est; sed etiam si facta sit electio, confert ad eam magis confirmandam et stabiliendam. Si enim anima certa esset quod illa motio secundi temporis esset a Deo, sine dubio nihil ei esset amplius requirendum: sed quia satanas transfiguratur se aliquando in Angelum lucis (2. Cor. 11, 14.), ideo hæc generalis regula esse debet, valde periculosum esse, cum homo vult se gubernare tantum per motus voluntatis, et sensus quosdam interiores, non adhibendo considerationem debitam. Et ideo pro-

batio et examen fieri debet per lumen: quia, ut dicit Apostolus: *Omne quod manifestatur lumen est* (Ephes. 5, 13.). Hoc autem lumen post lumen fidei est etiam ipsa humana ratio, adjuta tamen et illuminata lumine fidei, quæ ipsa quoque a Deo est: et non potest unum repugnare alteri, quia necessarium est ut verum vero consonum sit.

6. Itaque hoc etiam signum est spiritus mali, quando refugit hoc examen, quia amat tenebras, et non vult venire ad lucem, ut non arguantur opera ejus (Jo. 3, 20.). Hanc igitur ob causam hic modus eligendi securior est, quia ratio fide illuminata, et Ecclesiæ Catholicæ doctrina instructa suo officio fungitur; et cum totas vires suas, et quidquid potest, exponat in inquirenda Dei voluntate, fideliter facit quod in ipsa est.

7. Si vero ad has rationes adjungatur etiam experientia, quam quis habeat suæ infirmitatis, ut manifeste sentiat salutem suam in sæculo exponi magno discrimini; non est dubium, quin securius etiam res procedat.

8. Quod si præterea rationes istæ confirmantur per aliqua signa secundi temporis, quæ superius diximus, nempe pacis, consolationis, etc., gustuum; tum vero

anima majorem etiam satisfactionem et claritatem accipit.

9. Quæret aliquis, quid faciendum sit, si forte contingat, ut secundo tempore in aliquam rem inclinemur, tertio vero tempore in alteram contrariam vel dissimilem. Respondemus esse diligenter rem examinandam per regulas discernendi spiritus, et per rectam rationem, et æstimandum pondus rerum moventium utroque modo. Quod si constaret clare, quod ratio adstipuletur electioni tertii temporis, securius est eam sequi, quia non est certum, an motio illa secundi temporis sit a Deo, et tunc maxime cum ratio aliud suadet. Contra vero si rationes, quæ tertio tempore movent, essent debiles, motiones autem secundi temporis bene examinatæ juxta regulas videntur esse a Deo, et recta ratio eis non repugnat, tota electio secundi temporis est præferenda: licet enim prius clare non constaret per eam de Dei voluntate, tamen rebus melius agitatis et discussis, accedente rationis testimonio potest fieri ut constet.

---



## Caput 29.

## De praxi et ordine electionis.

1. **R**estat nunc ultimum, nempe tota praxis, et ordo proponendi electionem, et manuducendi eum qui facit Exercitia. In primis igitur hoc valde notandum est, quod etiam supra indicamus, jam tum ab initio hujus secundæ Hebdomadæ incipere disponi animam per meditationem illam de Regno Christi, quæ mentem erigit a terrenis et fluxis ad Salvatoris imitationem desiderandam: quæ quidem dispositio alenda est semper deinceps in eo qui se exercet, excitando eum, et dirigendo ad id quod perfectius est per reliquas meditationes, ut Nativitatis, Circumcisionis, et alias, in quibus ita instruendus est, ut concipiat desiderium assimilandi se Filio Dei, et præterea quam maximam possit erga eum gratitudinem, qui tanta nobis dedit, et tanta pro nobis fecit. In hac autem contemplatione de Regno Christi, existimandum non est verba illa, *Attestans coram infinita bonitate tua, etc.*, voti vim habere, cum Annotatione 14. ex 20, sit peculiaris admonitio, ne quis vacans Exercitiis voto se facile obstringat.

2. Deinde quarto vel quinto die inchoantur meditationes electionis per illud Exercitium pueri Jesu, cum remansit in Templo, in quo, ut dicitur in libro Exercitiorum, cœpit dare exemplum hujus Evangelicæ perfectionis, quando, patre putativo et naturali matre relictis, voluit occupari in iis quæ æterni Patris essent.

3. Igitur ad disponendam animam electioni faciendæ, post hanc meditationem datur primo Exercitium duorum Vexillorum, deinde eodem die meditatio de tribus hominum Classibus, quæ ad hoc tendit; ut juxta eas, qui in Exercitiis est, se examinet, et cognoscat affectum suum erga res mundanas: et si in prima, vel secunda classe se deprehenderit, conetur sibi vim facere, ut se transferat in tertiam.

4. Ad majorem autem intelligentiam harum trium classium, notandum est, hoc in omnibus supponi, modum illum, quo pecunia illa acquisita est, non esse illicitum, ita ut obliget ad restitutionem. Nam alioquin non posset homo indifferens esse ad eam retinendam, vel relinquentiam, quod tamen dicitur in tertia classe. Est ergo hic modus, ut quando, v. g., aliquis ex nimio studio lucri, vel ex aliquo alio affectu humano, et vitioso negotiatur.

5. Secundo notandum, primam et secundam classem ita inter se differre, quod

utraque habet quidem voluntatem quamdam infirmam et remissam exuendi affectum ad rem illam, sed prima classis nulla unquam adhibet media, nec cogitat de mediis; secunda vero aliquid amplius facit, quia adhibet quidem aliqua media, sed quæ ipsi placent, non autem juxta Dei voluntatem ac beneplacitum; et ideo videtur sibi parata omnia alia facere, præter illud, ut privetur re illa quam amat. Tertia porro ad hoc etiam parata est, si Deo ita placeat, idque tantum inquit an placeat.

6. Et sic patet, totam hanc meditationem eo tendere, ut ostendat animæ quam turpe et perversum sit, si non solum exuere nolit inordinatas cupiditates, sed si velit quidem eas exuere, sed eo modo velit, quo ipsi libeat, et se non resignat in manibus Dei. Ex quo apparet, illam esse voluntatem admodum debilem, quia vere vult et non vult.

7. Unde quia res hæc tanti momenti est, præsertim ad disponendam animam electioni jam vicinæ, posset etiam qui Exercitia sumit, ad majorem claritatem, præter hanc similitudinem trium mercatorum, effingere sibi alias similitudines ejusdem tenoris, ut, v. g., si essent tres ægroti, qui sanari quidem omnes cupiunt, sed primus nolit adhibere medicinas ullas



propter earum amaritudinem, nec abscissionem propter dolorem. Secundus velit quidem adhibere, sed quas ipse probet ac judicet, non eas quæ aptæ sunt ejus morbo, ut, v. g., si nollet abstinere a vino, aut similibus. Tertius denique se totum medico permittat, ut et diætam imperet, et urat, et secet ipsa etiam membra, si opus sit.

8. Porro simul cum his duabus meditationibus, quas diximus, nempe de duobus Vexillis, et de tribus Classibus, vel, si ita melius videatur, sequenti die, post meditationem de transitu Christi a Nazareth, et de ejus Baptismo, proponuntur electionem facturo tres gradus humilitatis, ut quemadmodum dicitur in libro Exercitiorum, toto die eos animo verset: simul tamen unum, vel duo Mysteria vitæ Christi eodem die, sicut in reliquis diebus, meditanda sunt. Nam hi tres gradus non dantur pro certa hora alicujus meditationis, cum non contineant, nisi unum punctum præcipuum, scilicet desiderium attingendi tertium illum gradum humilitatis, quod toto die mente revolvendum est extra meditationem, imo etiam in meditatione opportuno tempore, adhibito triplici illo colloquio de Vexillis, ut ibidem dicitur.

---

## Caput 30.

De ipsa electione juxta rationem secundi  
temporis.

1. **H**is peractis accedendum jam propius est ad electionem, et in primis declarandum præludium electionum, quod fere coincidit cum fundamento posito ante exercitia: et ideo, qui bene illud meditatus fuerit nullam in hoc habebit difficultatem.

2. Interim Instructor exploret voluntatem exercentis se, an habeat indifferentiam, de cujus necessitate supra locuti sumus: et si magis propendere ad imperfectiorem statum animadverterit explicet ei illud Notabile, quod est in Exercitiis post tres Classes, ut scilicet qui sentit affectum repugnantem paupertati reali, petat a Deo, ut ipsum potius inclinet in illam partem. Cujus ratio est, quia virga incurva flectenda est in contrariam partem, ut deinde manens in medio, fiat recta: quod præsertim locum habet in hac materia, cum illa pars sit securior, et hoc nihil impediat vel Dei voluntatem vel libertatem nostram. Hoc ergo supposito pergendum est in meditationibus Mysteriorum Christi, quæ sunt in libro Exercitiorum, et simul vacandum

electioni; ad quam dirigendam, danda sunt tria illa tempora recte eligendi, voce vel scripto, ut magis videbitur Instructori.

3. Electio autem ita peragenda est, non ut electurus meditetur tria illa tempora toto tempore meditationis, sed post peractam unamquamque meditationem, vel in aliqua ejus parte, cum animus jam quietus est: tunc tempus proprium est agendi, et ratiocinandi circa rem propositam. Et ideo diligenter curandum est, ut meditationes, quemadmodum diximus, de Christi Vita diligenter fiant suo tempore. Nam si quis, omissis suis meditationibus, vellet se totum dare cogitationi de electione status, non bene faceret: idque ei damnum afferret: quia per meditationes anima corroboratur, et illuminatur, et elevatur a terrenis, unde fit aptior ad Dei voluntatem et cognoscendam, et amplectendam, et ad superanda omnia impedimenta; et contra, si cessaret a meditando, obscurior fieret et infirmior.

4. Quare, ut dictum est, dandum est suum tempus meditationi Divinarum rerum, quæ pro varietate Mysteriorum occurrunt; et suum deinde tempus electioni, ne si anima tota occupetur in hoc negotio, hæc una cogitatio exsugat et exhauriat quodammodo succum et florem devotionis, et ita reddatur languidior.



5. Quod si adhuc magis in particulari quærat, quomodo hoc faciendum sit; dicendum, quod si in secundo tempore eligendi versetur, debet qui deliberat sine ulla sua ratiocinatione, aut discursu adhibito, dum facit meditationem, aut colloquia, et in summa, dum constitutus est ante Deum, proponere oculis mentis suæ viam consiliorum, et observare an sentiat in anima sua motus aliquos consolationis, aut desolationis. Deinde proponere sibi viam mandatorum; et hoc idem circa eam observare.

6. Nec est ad hoc necessaria particularis meditatio, ut paulo ante dictum est, sed sufficit hoc facere dum versatur in meditationibus et orationibus consuetis. Et hoc idem faciat extra tempus meditationis, proponendo hoc modo dicto, et observando motus prædictos; nihil discurrendo per se, sed tantum audiendo vocem Domini, et se ad eam audiendam, et ad motum illum accipiendum disponendo, quantum poterit; maxime renovando sæpe resignationem, et desiderium cognoscendi Divinum beneplacitum, et hoc semper curando, ut cesset omnis propria voluntas, aut inclinatio.

7. Cum autem venerit Instructor exigat ab eo rationem hujusmodi motionum: et si boni vel mali spiritus signa deprehen-

dat, utatur regulis de discernendis spiritibus: sed iis præcipue quæ secundæ Hebdomadæ conveniunt: et declaret ei quantum satis esse judicabit ad ipsum dirigendum vel erigendum si opus fuerit. Et si bene procedere hac via videbit, alia meditatione proposita hortetur, ut eadem viam teneat circa electionem propositam, ut experiatur an durent eadem motiones, an aliæ contrariæ succedant: quod si contrariæ occurrerint, conetur discernere per prædictas regulas, quæ sint bonæ, quæ malæ.

---

### Caput 31.

De eadem electione juxta priorem et posteriorem modum.

1. **S**i hoc secundo tempore non conficitur electio, quia qui exercetur nullam notatu dignam motionem in se sentit, vel sentit in utramque partem; adhibendi sunt modi tertii temporis, prior et posterior, qui declarandi erunt, ut cum priori modo aliquid constituerit, idem deinde expendat posteriori: et si idem resultat ex utroque, id bonum signum est bonæ electionis.

2. Hoc autem tertio tempore poterit dari una tantum meditatio ex iis, quæ

secunda Hebdomada proponuntur cum sua repetitione, ut reliquum tempus impendatur electioni. Idque videtur innui in libro Exercitiorum per exemplum contemplationis Baptismi, quæ ponitur quinta die. Quamquam, cum hoc non præcipiatur, credi potest, quod permittitur Instructori, ut unam vel duas in die det meditationes, ut viderit Exercitanti magis profuturum, pro difficultate quam sentiat, et prout indigeat tempore ad faciendam hanc discussionem.

3. Monendus etiam erit, ut notet scripto rationes, quæ se offerunt pro utraque parte, idque seorsim. Nam rationes omnes cujusque partis simul collectæ magis veritatem ostendunt, et majorem vim habent ad movendum. Has vero cum Instructore conferre debet, ut ab eo melius dirigi possit.

4. Porro illud etiam cavendum Instructori, ne in hoc negotio per se tam difficili et laborioso nimis obruat Exercitantem, nec semper eum stimulet et fatiget: quin potius sinendus est aliquando respirare, ne semper affligatur, aut absorbeat tristitia, aut tædio, et desperatione abjiciat se ipsum. Quod tunc maxime metuendum est, cum præter propriam infirmitatem et repugnantiam carnis, accedunt etiam dæmonum impugnationes:



difficile est enim relevare ejusmodi cor, cum semel conciderit.

5. Imo vero etiam si quis cerneretur minus prompte respondere Divinæ voluntati, nec se vincere ut deberet, sustinendus tamen patienter esset, et expectandum, ut paulatim et quasi pedetentim superet obices illi oppositos. Et in hoc etiam imitandus mos Divinæ bonitatis, cui cooperamur, quæ omnia suaviter disponit, et longanimiter expectat animæ moras in veniendo ad eum.

6. Denique hoc etiam advertendum, quidquid eliget secundo vel tertio tempore, ne votum ullum emittat, ut dicitur ab Annot. decima quarta, et præsertim in secundo tempore. Sæpe enim in illo calore vel consolatione fiunt vota, quæ deinde displicent. Et hoc præsertim servandum cum iis qui natura sunt ferventi, et præcipiti, vel parum stabili. Sed tamen si electio facta esset maturo consilio, aut cum magna claritate, et indiciis haud obscuris Divinæ vocationis, præsertim si ætas, aut natura hominis non esset suspecta, et hic suam electionem voto firmare cuperet, ut se melius muniret contra oppugnationes carnis, et mundi, et satanæ; non potest Instructor, nec debet ejus devotionem impedire, sicut nec ad id ulla ratione impellere.

---

## Caput 32.

## De oratione post factam electionem.

1. **U**ltimum est in hac electione id quod in libello Exercitiorum ponitur in ultimo puncto, ut homo post conclusam electionem ad orationem se conferat. Quo tempore si senserit mentem suam confirmari in electione jam facta, sentiendo in se motiones aliquas, vel illustrationes desuper immissas, ita ut Deus approbare videatur quod factum est, et promittere vires ad exsequendum; id est optimum indicium, et haberi debet tamquam sigillum totius electionis.

2. Si vero motiones, vel affectus, vel illustrationes intellectus ejusmodi essent, quæ infirmarent electionem factam; et examinatae juxta regulas supra positas, viderentur a malo spiritu, vel saltem essent dubiæ, non est mutanda electio.

3. Si autem clare appareret esse a bono spiritu, signum est discursum non fuisse bonum, et electionem denuo faciendam.

4. Quod si in hac oratione nihil in utramvis partem notabile accideret, nec in affectu, nec in intellectu, et voluntas eligentis in suo proposito perseverat;

non est electio in dubium revocanda, sed ita putandum est voluisse Deum per discursum rationis voluntatem suam inveniri.

### Caput 33.

Quid agendum Instructori, cum sentit eum, qui electionem facit, hallucinari.

1. Ceterum illud quoque interdum contingere solet, ut Exercitia sumens hallucinetur in electione facienda: et licet Deus illum vocet ad vitam perfectiorem, ipse tamen vel propter dæmonis deceptionem, vel propter propriam infirmitatem, imperfectiorem eligat, idque a Spiritu Sancto esse putet, nec ab eo dimoveri possit.

2. Tunc igitur prudentiæ est, ut Instructor non multum reluctetur, (quod frustra faceret), sed neque ex altera parte confirmet electionem factam, ac potius ostendat sibi non valde satisfacisse, sed sperare, quod progressu temporis Dominus ei clarius indicabit voluntatem suam, et sic eum relinquat aliquantum dubium et incertum de tali electione. Deinde etiam instruat quomodo disponere se debeat, ne aditum claudat Divinæ luci.



3. Sæpe enim experientia monstravit quosdam, qui ipso conflictu Exercitiorum succubuerant, deinde extra Exercitia commodius veritatem agnovisse; idque ex iisdem principiis, quæ hauserant in ipsis Exercitiis: sive quia dæmon acrius oppugnat in illo articulo electionis, sive quod natura ipsa (præsertim in iis qui timidiores sunt et pusillanimes) ut in illa quasi agonia quodammodo opprimitur et suffocatur, ita cum deinde quodammodo respirat, est melius disposita ad ratiocinandum, et percipiendum lumen Dei; sive denique, quia experientia deinde cognoverunt, se non eam vitam posse in sæculo tenere, quam fortasse in Exercitiis vel ipsi finxerant, vel eis dæmon persuaserat.

### Caput 34.

#### De iis qui jam statum habent.

1. **P**ost tractationem de electione, ponitur a B. P. N. methodus quædam de emendatione seu reformatione vitæ: quæ doctrina maximi momenti est pro iis qui jam sunt in statu immutabili, vel saltem quos Deus non vocat ad mutationem status. Per hanc enim reformationem tolluntur multi abusus, qui,

etiamsi non sint peccata, saltem sunt origo multorum malorum.

2. Hac vero doctrina id agitur, ut multi, qui jam uxorem et familiam habent, licet in sæculo maneant, suo tamen modo perfectionem sectentur, ad quam nos quoque invitare et perducere eos debemus ex vocatione nostra, itaque passim jubent Constitutiones nostræ. Nec est dubium, quin si proximos juvare conaremur ac dirigere ad hanc formulam quæ hic expressa est, valde insignis fructus sequeretur. Itaque hoc omnibus operariis Societatis valde commendatum esse deberet.

3. Cum his igitur hunc modum tenere oportet, ut præter Exercitia ordinaria de Mysteriis Vitæ Christi, dentur etiam illa de duobus Vexillis, et tribus hominum Classibus, imo etiam Præludium electionum. Hæc enim licet non adeo necessaria sint, ut iis qui de toto vitæ statu deliberaturi sunt, non potest tamen dubitari quin valde sint utilia, ut animentur ad eam perfectionem, cujus ipsorum saltem status ac conditio est capax.

4. Ceterum, secundus modus eligendi non valde ad hoc negotium pertinet, sed potius tertius modus, ejusque membrum utrumque. Res autem instituenda ita est, ut singula puncta discutiantur, v. g. de familia, vel de expensis: et post delibe-

rationem factam de uno puncto, transeat ad aliud: in singulis autem majus vel minus tempus insumatur, ut fuerit negotii gravitas vel difficultas. Aliquando enim una hora, aut etiam plures in uno puncto insumendæ erunt, aliquando autem plura puncta in una hora concludentur.

## Caput 35.

### De tertia Hebdomada.

1. **I**n tertia Hebdomada stabilitur, et confirmatur electio vitæ melioris jam facta, et voluntas serviendi Deo, proposito tanto et tali exemplo, nempe Passione Domini et Salvatoris nostri. In ea enim omnes ejus virtutes multo insignius atque excellentius elucent, et efficacius nos invitant ad sui imitationem. Itaque magnus hic thesaurus reconditus est. Unde videmus Sanctos omnes in hac potissimum parte se exercuisse, ut apparet ex libris, quos scriptos reliquerunt. Et ideo in hoc etiam oportet meditantem diligenter instrui, quoniam hic esse deberet ordinarius animæ cibus.

2. Ordo et discursus harum meditationum est idem, qui in præterita Hebdomada, nempe intuendo personas, dicta et opera. Debet tamen, iis præsertim



qui non adeo sunt exercitati, aperiri via in hac materia per illa puncta, quæ communiter tradi solent, quis patiat, quid patiat, a quibus, et propter quos.

3. In compositione loci debet qui meditatur, ita se constituere, quasi præsens esset Mysterio illi dum ageretur; et quidem ac si gestum esset propter se solum, juxta formam illam Apostoli: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Gal. 2, 20.). Itaque debet anima ita se respicere, quasi ipsa causa fuerit tantorum dolorum et ignominiarum, quas Dei Filius perpassus est: deinde videre quidquid bonorum spiritualium, quidquid gratiæ, et quod ab æternis malis liberata sit, quod æterna bona se consecuturam speret, hæc omnia ex Christi meritis sibi provenisse: imo etiam considerare, Christum, dum illa pateretur, habuisse ante oculos et nos et nostra peccata in particulari omnia, et pro iis orasse, eorumque remissionem, et gratiam nobis impetrasse.

4. Quamquam autem affectus compassionis est valde bonus, debetque et peti cum instantia, et desiderari cum humilitate, et excipi cum gratia; debent tamen simul etiam curari alii affectus, qui sunt utiliores ad profectum nostrum spirituales.

5. Primus autem est, quanta res sit offendere Deum, quando ad satisfaciendum ei Divina sapientia dignum putavit adhibere ipsum Filii sui sanguinem et vitam. Ex quo etiam nascitur summum odium peccati, quod, præsertim ab illa justitia, tam severis pœnis vindicetur, quia si hoc in viridi, quid in arido?

6. Secundo cognoscenda et veneranda est bonitas et sapientia Dei infinita, quæ tam aptum medium invenit, ut hominum corda amore suo liquefacta ad se attraheret, juxta Apostolum: *Commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, etc.* (Rom. 5, 8.)

7. Tertio, hic etiam confirmatur spes nostra, quia, ut ait S. Augustinus, Qui dedit quod plus est, nempe Unigeniti sui sanguinem, dabit et gloriam æternam, quæ minus est sine dubio. Et ideo hic Christi sanguis tenendus ut arrha et pignus tum Divini amoris, tum futuræ beatitudinis.

8. Quarto, et omnium maxime, inflammatur amor in Deum, consideratione tantæ bonitatis, et tanti beneficii nobis dati, et dati tali modo.

9. Quinto, sic etiam animantur omnes ad perfectam imitationem, ut ait S. Petrus: *Christus passus est pro nobis,*

*vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (1. Petr. 2, 21.). Turpe enim esset, et intolerabile, cum ille, ut nos pro nostra ipsorum salute doceret, non dedignatus sit tam humilia perpeti; si nos, quorum salus agitur, recusemus.

10. Denique potest etiam et debet concipi magnus zelus animarum, quas videlicet Deus tanti æstimavit, et tanto affectu amavit, et tam magno pretio emit.

11. Juvat etiam habere in promptu hac Hebdomada aliquas sententias sacræ Scripturæ ad Domini Passionem pertinentes, ex Psalmis, vel ex Prophetis, et maxime ex Isaia, vel etiam ex Evangeliiis, aut ex epistolis Pauli; quæ vel magnitudinem dolorum ac cruciatuum Christi Domini indicent, vel ejus bonitatem, aut effectus mirabiles in hominum reparatione; quæ extra meditationem valde proderunt ad cor excitandum, et etiam ad tollendam nescio quam satietatem, quæ subrepere solet ex continuatione earumdem rerum. Hæc autem loca Scripturæ poterit Instructor colligere, vel ab alio jam collecta suppeditare: sunt enim multa, et passim occurrunt.

12. Cetera, quæ ad hanc Hebdomadam pertinent, scripta sunt in libro Exercitiorum clare et distincte in meditationibus et additionibus. In particulari autem quæ



in fine hujus Hebdomadæ traduntur de regulis ad victum temperandum, non est quod scripta dentur, sed verbo tantum explicentur, tum ob alias causas, tum quia non omnibus eodem modo proponendæ sunt, sed adhibita discretione pro cujusque complexione, et viribus tam corporis quam animi.

13. Notandum etiam, quod hæ regulæ non solum proponi debent hac Hebdomada, sed antea etiam aliquo opportuno tempore: saltem, si tamen prius factum non est, hic declarentur. Fortasse enim in hunc locum dilatæ sunt, ne prioribus Hebdomadis nimis oneretur is qui in Exercitiis versatur, tot documentis extra ipsas meditationes. In hac autem Hebdomada, multo pauciora sunt ejusmodi documenta, et sic magis vacabit Instructori ea explicare. Expediit enim ut semper aliquid novi afferat, cum illum, cui tradit Exercitia, invisit.

## Caput 36.

### De quarta Hebdomada.

1. **Q**uarta Hebdomada videtur respondere viæ unitivæ: tota enim exercetur in amore Dei, et desiderio æter-

nitatis, cujus tamquam exemplar proponitur Resurrectio Christi, eaque gaudia, quæ etiam in hoc mundo eam consecuta sunt. Possent etiam hic addi aliquæ meditationes de gloria Paradisi, et de futura justorum felicitate, cujus pignus accepimus in hoc Mystério Resurrectionis Christi: quia juxta Apostolum (Ephes. 2, 6.), Deus nos etiam conresuscitavit, et con-sedere fecit cum illo. Quare eo magis excitari debemus ad contemnenda terrena, et cœlestia appetenda, juxta illud ejusdem: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite; quæ sursum sunt sapite*, etc. (Coloss. 3, 1.)

2. Exercitium de amore Dei est valde aptum ad amorem nostrum in Deum excitandum, et continet quatuor puncta fecundissima, et quæ magnam materiam suppeditant ad meditandum. Potest autem duobus modis fieri, primo iisdem diebus cum aliis Mysteriis Resurrectionis, ita ut secundo die postquam cœpta sint Mystera Resurrectionis, incipiatur etiam hæc meditatio de amando Deo: eique quotidie una aut altera hora tribuatur, distincta a meditatione illorum Mysteriorum. Alter modus est, ut absolvantur prius omnia illa Mystera, et deinde integer dies, aut duo dies huic uni meditationi assignentur.

3. Est autem bene notandum et declarandum hanc meditationem aggredienti, quod in ea dicitur, amorem magis pendere ex operibus, quam ex verbis, et consistere in mutua quadam facultatum et omnium rerum communicatione. Per hoc enim intelligere debet, non sufficere sibi teneriorem quemdam affectum, quem in se sentiat, neque eo contentum esse debere. Verum est enim quod ait S. Gregorius, *Probatio amoris, exhibitio est operis; et Amor ubi est, magna operatur; et ubi operari renuit, amor non est.* Nec aliud occurrit circa hanc quartam Hebdomadam.

---

## Caput 37.

### De tribus modis orandi.

1. **P**ost Exercitia adduntur aliqua documenta aptissima et valde utilia profectui spirituali. Primo autem loco ponuntur tres modi orandi, non ut omnes qui jam Exercitia peregerint, in eis exerceantur (nam hoc non necessarium est), sed ponuntur ad complementum doctrinæ, et propter rudiores et minus capaces, qui scilicet non ita possunt habere perpetuos discursus in oratione, ut diutius



hæreant in una materia. Unde in Constit. part. 7, c. 4, lit. F, dicitur, Exercitia plena non nisi paucis; primam Hebdomadam cum his tribus modis orandi, pluribus communicari posse.

2. Primus ergo modus est, discurrendo circa præcepta Dei aut Ecclesiæ; et circa septem peccata capitalia, et tres potentias animæ, et quinque sensus: et hoc non tam speculative, quam practice, v. g. cogitando in præceptis, quomodo male ea servaverit, et proponendo in posterum melius servare, et sic de reliquis.

3. Si vero hæ materiæ paulo altius elevandæ essent, et Exercitans capacior esset, hic modus præscribi posset. In præceptis consideretur primo præceptum ipsum in se, quam sit bonum, et justum, et sanctum. Secundo, quam utilis ejus observantia. Tertio, quomodo antea observatum sit; et si bene sit observatum, agendo gratias Deo; sin contra, dolendo, et petendo veniam. Quarto, proponendo in posterum perfectam et exactam observantiam, et petendo ad hoc gratiam per colloquium. Quo finito, si non expleta sit hora, transeat ad aliud præceptum eodem ordine.

4. In peccatis primo videndo singula, quam mala sint, et quam juste prohibita. Secundo, quantum noceant, si non fugian-

tur. Tertio, quomodo adhuc fugerit, vel in posterum decreverit fugere.

5. In potentiis, et sensibus, cogitari potest, primo, quam nobiles, et quam nobis utiles, sint singulæ, ut v. g. intellectus, et deinceps aliæ. Secundo, ad quem finem datæ. Tertio, quomodo iis usus sit Christus, vel Beatissima Virgo. Quarto, quomodo nos usi simus, et dolendo quod male, etc. Et idem de aliis potentiis et sensibus singillatim, et inter alia etiam de facultate loquendi, de virtute motiva, et similibus.

6. Est tamen advertendum, dum cogitamus, quomodo usi simus his potentiis; vel in meditandis præceptis, quam male ea servaverimus et maxime in meditandis peccatis, non ita debere institui meditationem, quasi examinare velimus conscientiam, ut fit cum nos præparamus ad Confessionem, vel etiam velimus de industria elicere contritionem (hoc enim pertinet ad primam Hebdomadam); sed hic principalis intentio est cogitare ipsas materias, ex occasione autem fit reflexio ad nos ipsos: et ideo in generali tantum debet fieri hæc reflexio, non multum descendendo ad particularia peccata.

7. Hoc orandi genus dicitur B. P. Franciscus Xaverius commendare solitus omnibus animabus, quas tractabat, ita ut

etiam pœnitentiæ loco injungere soleret, ut mane et vespere aliquod tempus huic impenderent.

8. Quamvis autem in libro Exercitiorum dicatur, tanto spatio esse immorandum, quo Oratio Dominica ter recitari possit; tamen si quis in aliquo gustum inveniret, vel utilitatem aliquam spiritualem, deberet ibi hærere diutius, etiamsi non posset absolvere omnia præcepta, juxta id quod dicitur in quarta Additione ad finem primæ Hebdomadæ.

9. In secundo modo orandi notandum est, cum una vox non facit sensum, plures debere conjungi, ut *Qui es in cœlis*, aut *Sanctificetur nomen tuum*. Aliæ sunt voces, quæ solæ præbent materiam meditationis, ut *Pater*, vel *Noster*.

10. Quod autem hic dicitur de his orationibus, idem intelligendum est de aliquibus Scripturæ locis, ac præsertim Psalmis, e quibus aliqui eligi possunt, vel Psalmi toti, vel eorum versiculi, qui uberime pascunt et intellectum, et affectum.

11. Notandum est etiam, cum qui facit Exercitia, bene procedit in hoc orandi modo, ita ut eum satis tenere videatur, non esse necessarium, ut multum in eo procedat, quia sufficit ut didicerit modum, quo deinde in posterum uti sciat. Quod idem intelligendum est de primo



modo, nisi quod cum ille habeat aliquanto majorem varietatem, utile erit, ut faciat unum Exercitium circa præcepta, aliud circa peccata, aliud circa potentias animæ, aliud circa sensus, etc.

12. Tertius modus orandi ita intelligendus est, ut in considerandis singulis vocibus alicujus orationis tantum tempus insumamus, quantum communiter una respiratio durare solet. Quod si quis pro sua devotione amplius morari vellet, poterit quidem; sed tunc potius ad secundum orandi modum pertinebit, quam ad hunc tertium. Juvat autem hic modus, ut assuescamus facere orationem vocalem cum attentione, et devotione debita, ut servemus illud Apostoli: *Orabo spiritu, orabo et mente* (1. Cor. 14, 15.). Quare hoc Exercitium est valde utile iis, qui obligati sunt ad horas canonicas, vel ad alias orationes vocales.

13. Quamvis autem hi tres modi orandi hic tradantur, non existimandum est excludi alios modos, quos Spiritus Sanctus docere solet, et quos viri in spiritu exercitati secundum experientiam, et secundum rationem, et doctrinam sanam habere solent; vel quos quisque sibi utiles ad suum profectum ipso usu deprehenderit. Quod idem etiam de Nostris ipsis intelligendum est, accedente tamen sem-

per approbatione et consensu Superioris, vel Præfecti spiritualis, quibus quisque patefacere modum debet, quem in orando tenet, eoque magis si paulum discedat ab ordinario modo. Ceterum tres hi modi, non solum aliis aliis aptior erit pro personarum varietate; sed etiam persona eadem, pro varia dispositione animi vel corporis, aptior erit modo ad unum, modo ad alium; ut v. g. cum aliquis est fatigatus, vel male habet, non erit bene dispositus ad longiorem meditationem, et mentis excursus, et tunc magis juvabitur secundo, vel tertio modo. Quod intelligendum est non solum in hac quarta Hebdomada, sed reliquo omni tempore.

## Caput 38.

### De Regulis tradendis.

1. **R**egulæ, quæ additæ sunt in fine Exercitiorum, non ideo positæ sunt, ut omnibus proponantur; sed ut quisque eguerit, vel etiam desideraverit pro sua devotione.

2. Quare illæ, quæ agunt de distributione eleemosynarum, non debebunt dari nisi iis qui locupletes sunt, et qui solent aut possunt eleemosynas facere. Similiter

quæ agunt de scrupulis, non est cur dentur iis qui nullis scrupulis agitantur.

3. Illæ item, quæ ad Catholicam doctrinam pertinent, quamvis ad omnium pietatem confirmandam et fovendam valeant; iis tamen potissimum, qui in locis vel cum personis suspectis versantur; secundo loco omnibus etiam Operariis, et iis qui verbum Dei tractant, tradendæ sunt; quia directe pugnant contra sensa et dicta hæreticorum nostri temporis.

### Caput 39.

Brevis explicatio nonnullorum, quæ in Directorio de tribus viis attinguntur.

1. **Q**uoniam in hoc Directorio, et in Exercitiis tradendis fit mentio viæ purgativæ, illuminativæ et unitivæ; et quod his respondent ordine suo hæ quatuor Hebdomadæ; ideo visum est pro majori notitia hujus rei aliquid addere. Non enim hoc ita accipiendum est, ut intelligatur aliquis, peracta prima Hebdomada, perfecte et plene purgatus; peracta autem secunda et tertia, perfecte illuminatus; et denique absoluta etiam quarta, pervenisse ad plenam unionem cum Deo.



Hæc enim omnia indigent diuturno tempore, studio, et exercitatione in extirpandis vitiis, in passionibus edomandis, et in virtutibus acquirendis.

2. Verum hoc indicatur, primam Hebdomadam proportionem quadam respondere viæ purgativæ; quoniam in ea nihil aliud agitur, quam ut peccata præterita recogitentur et ponderentur, et concipiatur de eis quam maximus dolor et contritio, et timor æternæ pœnæ: ex quibus fiat, ut animus abstrahatur ab amore omnis rei terrenæ, et fundetur in odio et detestatione peccati. Quæ omnia pertinent ad purgationem animæ.

3. Similiter in secunda et tertia Hebdomada, considerando exemplum Domini Salvatoris tum in Vita, tum in Passione, et omnes virtutes, quæ in eo tamquam in idea fulserunt; nos quoque discimus, in quo consistat salus et perfectio hominis, et quæ via sit ad æternam beatitudinem consequendam. Et præterea, cum anima purgata fuerit, fit habilis et apta ad recipiendas illustrationes Divinas, et illapsus, et influxus illius interni luminis; simulque gignitur in anima vigor quidam ejiciens omnem concupiscentiam, eamque ferventem faciens ad patiendam paupertatem, contemptum, et omnem asperitatem, et excutiens omnem negligentiam.

am; et disponens ad exsequenda bona opera vigilanter et strenue.

4. Denique in quarta Hebdomada primum ob Resurrectionem et Ascensionem Domini, in qua simul etiam meditari possumus futuram nostram gloriam, quoniam, ut ait Paulus, si Christus resurrexit, et nos resurgemus; deinde vero ex meditatione ad amorem in nobis excitandum, quæ multiplex est, et varia puncta ac materias complectitur, efficitur, ut anima uniatur Deo per amorem, qui concipitur meditando bonitatem Dei, et ejus beneficia, et quantum nostra causa egerit atque pertulerit; tum etiam per desiderium cœlestis gloriæ, per considerationem præsentia Dei in omni re et in omni loco, gaudendo de ejus perfectionibus, et optando placere ei soli, idque propter ipsum solum, et nunc eum laudando, nunc magnificando, nunc admirando ejus altitudinem, et aliis similibus, quæ, ut ante diximus, respondent viæ unitivæ.

5. Hæc igitur est ratio duplex, cur dicatur has quatuor Hebdomadas respondere his tribus viis: primum propter materias, quæ in earum quaque tractantur, pertinentes ad has vias; et quia in eis jaciuntur initia singularum, quæ deinde oportet prosequi cum tempore, et

cum studio, si velimus ad aliquam earum perfectionem pervenire. Deinde etiam quia discitur modus ac methodus, quam deinde servare debemus in proseguenda unaquaque harum viarum.

6. Ex his ergo sequitur, quod etiam si quis aliquem gustum, aut speciem huius viæ unitivæ in quarta Hebdomada habuit, non propterea debet assidue in ea hærere, sed debet redire ad priores vias, et sese diu et ordinarie continere tum in passionum mortificatione, tum in virtutum exercitatione, et in aliis ejusmodi studiis consentaneis utrique viæ; etsi nihil impedit, imo etiam sæpe evenit, ut dum aliquis versatur in una via, sentiat interdum aliquos affectus pertinentes ad aliam viam; nec sunt rejiciendi, modo, ut dictum est, non exerceantur ordinarie ante tempus.

7. Hoc enim negotium non ex spatio temporis, sed ex mensura profectus pendet. Nam si quis temere aspirare vellet ad illam viam unitivam, esset magna confusio, quæ impediret omnino profectum spirituales; et insuper etiam esset res exposita periculis et illusionibus. Faceret enim perinde ac si quis ex infima schola transire vellet ad primam, non transeundo per medias; aut si ex infimis gradibus scalarum saltu trajicere vellet ad summos,



relictis iis qui sunt interjecti. Sic igitur antequam aliquis exerceat se ex professo in via hac, quam diximus, unitiva, oportet ut bene purgatus sit exercitiis vitæ purgativæ, et deinde etiam bene profecerit in via illuminativa. Ex hujus enim defectu provenit, ut multi non ambulantes, sed saltantes in via Domini, post multum tempus, diversosque labores vacui virtutibus inveniantur, impatientes, et iracundi, et cum aliis ejusmodi imperfectionibus.

8. Imo hic gradus ad altiorem viam non tam ex electione nostra, et voluntate, ac conatu pendet, quam ex directione Spiritus Sancti, cujus mos est ascensiones istas in anima disponere, ut eat de virtute in virtutem: in quo tamen ad certiores directionem, et ad præcavendos errores qui contingere possunt, consulendus est Pater spiritualis, qui animam gubernat, et cum ejus consilio in omnibus procedendum.

### Caput 40.

Quæ commendanda sunt ei, qui absolvit  
Exercitia.

1. **U**t qui ex loco calido ad locum frigidum egreditur, facile fieri potest, ut cito frigeat, nisi diligentem

curam adhibeat retinendi calorem; ita qui Exercitiis peractis redit ad communem vitam et conversationem, nihil est facilius, quam ut fervorem ac lumen conceptum brevissimo tempore perdat; præsertim quia quidquid boni acquisivit, nondum est confirmatum per modum habitus, sed est tamquam passio quædam, quæ facile remittitur, vel etiam tota amittitur. Quod cum contingit, omnis fructus et omnis labor Exercitiorum evanescit.

2. Quare hoc primum commendandum est ei, qui Exercitia absolvit, ut magni æstimet hoc principium et quasi fundamentum vitæ bonæ et spiritualis, quod per Dei gratiam jecit in Exercitiis; idque a Deo accipiat tamquam beneficium, et quidem maximum: et omnia lumina, omnem cognitionem quam in Exercitiis acquisivit, credat sibi a Domino Deo donata peculiari quodam amore, et ut talia ea conservare et tueri studeat. Præterea timorem concipiat, ne si deinceps non vixerit, ut intellexerit esse vivendum, gravius a Deo puniatur ob ingratitude; et quia scienti bonum, et non facienti, majus iudicium est ipsi.

3. Secundo loco intelligat se adhuc nihil aliud fecisse, nisi quod bonum semen in ejus anima a Deo seminatum est. Unde nisi hoc semen foveatur, et exco-

latur, et ad maturitatem perducatur, ut det fructum in tempore suo, per se quidem aut nihil, aut parum est. Itaque hoc primum cavere debet, ne ejusmodi semen, vel a volucris, id est, a dæmonibus rapiatur, vel a spinis suffocetur, nempe a cogitationibus et cupiditatibus terrenis et vitiosis. Ideoque non solum peccata, sed etiam eorum occasiones evitet, et illa præsertim, ad quæ ante Exercitia inclinatus fuit: nam contra hæc potissimum se armare debet, quia facillime recidere potest.


4. Tertio hortandus est ad conservandam et alendam devotionem jam conceptam, piis et spiritualibus exercitationibus; inter quas hæc potissimum commendari poterunt. Primo, ut conservet usum meditandi quotidie per dimidiatam horam, aut etiam integram, si fieri poterit. Secundo, ut singulis diebus faciat examen conscientiaë per quartam horæ partem. Tertio, ut octavo quoque die confiteatur et communicet. Quarto, eligat aliquem Confessarium stabilem, eumque accipiat ut ducem hujus spiritualis itineris, et cum eo tractet omnia quæ ad suam animam pertinent. Quinto, legat sæpe pios libros, et habeat bonorum hominum conversationem, malorum autem fugiat summopere. Sexto, curet proficere quotidie in virtu-



tibus, præsertim in humilitate, patientia et caritate. Et in summa, nitatur ipse quoque ad eam summam perfectionem, quam in suo statu, et juxta mensuram Divinæ gratiæ acquirere poterit.

5. Hæc autem sunt fere generalia monita, quæ omnibus dari poterunt. Alia sunt deinde, quæ juxta cujusque professionem aut statum, aut particularem indigentiam addi poterunt; imo hæc ipsa augeri et intendi ex majori aliquorum devotione et progressu spirituali. Quod facile advertet bonus et prudens Instructor, adjutus gratia et lumine Domini et Salvatoris nostri Dei: cui sit gloria et honor in sæcula. Amen.





## APPENDIX II.

### DE RATIONE MEDITANDI.

#### PRÆNOTANDA.

**I**llud ante omnia statuendum, artem meditandi pertinere ad scientiam Sanctorum, ejusque esse partem haud exiguam, quæ quidem scientia Sanctorum multo minus præceptis ac doctrinis hominum constat, quam Spiritus Sancti unctione, ac bonæ voluntatis desiderio. Quare in primis istud hic monendum, ut quicumque vere cupit cum fructu meditari, gratiam hanc ipsam assidue petat: *Domine doce nos orare . . . doce meditari. Spiritus Sancti unctio docet nos de omnibus. Ille postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quod si nemo*

*potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto, quis horam totam meditationi rerum divinarum cum ardenti affectu impendere poterit, et cum fructu, nisi eodem Spiritu Sancto præveniente, et adjuvante? Hæc ergo prima sit ad recte meditandum via, ut gratiam, scientiam meditandi, ardentem a Domino petamus. Ardentem, inquam, quia donum est valde pretiosum, nobis omnino necessarium; ut vere dici possit, scire meditari, ac meditari fructuose, tantum valere Jesuitæ, quantum valet pretiosissimum donum vocatio, et in vocatione perseverantia. Quod si pauper magna alacritate illud opificium disceret, cujus exercitio haud dubie speraret se ditandum, quanto nos desiderio illud petere, quanto studio ad illud incumbere exercitium necesse est, quo paupertatem nostram et miserias, non corporis sed animæ multo graviores, depellere debemus? Itaque cum oratione conatum serium ex nostra parte adhibeamus. Nec enim expectandum ut Deus nobiscum faciat miracula, et donum nobis meditandi, nullis ex nostra parte adhibitis mediis, infundat. — His itaque præmissis, ac jam supponens verum proficiendi in virtute desiderium, sine quo utique incassum cadent omnia, breviter ea attingam, quæ nos ex nostra*



parte adferre possumus, ut donum meditandi, Divina adspirante gratia, consequamur.

Sunt alia ante meditationem servanda, alia in ipsa meditatione, alia post. Quæ ante servanda sunt, sub præparationis nomine continentur. De hac ergo primo agamus.

---

## Caput 1.

### De servandis ante Meditationem.

Præparatio duplex statui solet, *remota* et *proxima*. De remota præparatione jam aliqua diximus. Illud enim verum ac sincerum proficiendi desiderium, quod omnino illi necessarium esse innuimus, qui fructuose meditari cupiat, vel solum est optima ad meditationem præparatio. Ut tamen clarius rem exponam, aliquid etiam magis in particulari de hac remota præparatione dicendum.

Remota igitur præparatio ad meditandum, nihil est aliud, nisi animi talis comparatio, quæ ad recte meditandum disponit, removendo scilicet *obstacula* et *adjumenta* adhibendo. *Obstacula* quæ sint, novimus satis. Obstaculum meditandi est superbia et vana sui æstimatio, nam *cum simplicibus* et humilibus sermo-

*cinatio Domini. Dominus humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Obstacle est hypocrisis et cupiditas alium se simulandi, quam revera sit: *Spiritus enim disciplinæ Sanctus effugiet fictum.* Obstacle sunt peccata omnia, in quibus hæret anima: *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia illa cœlestis, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (quo loco cum peculiariter corporis labes exprimitur, haud obscure innuitur, peccata ac defectus contra virtutem angelicam, gravissimum ponere gratiis Spiritus Sancti impedimentum). Obstacle item valde magnum est, animi per diem dissipatio et negligens custodia sensuum. Nec enim fieri potest, ut is bene, devote meditetur, cujus imaginatio plena est nugis; aut ut is mentem habeat in oratione collectam, qui alias non officii sui ratione probabili, sed ob curiositatem suam, immodestiam, ceteraque vitia, semper est dissipatus. Hæc ergo ac similia obstacle, meditari fructuose cupienti, sunt serio removenda. Adhibenda vero *adjumenta*, non alia fere nisi exercitia earum virtutum, quæ illis obstacle sunt contrariæ, humilitatis, simplicitatis in agendo, custodiæ sensuum etc. Hæ enim sunt, quæ et animam reddunt quietam, adeoque aptam ad medi-

tandum; ac simul Divinas attrahunt gratias. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; illi sunt, super quos Deus *vultum suum illuminare* in oratione solet. Nec omittenda hic mortificatio, quæ quasi pretium est, quo a Deo donum meditandi emimus. Ita enim fere contingere videmus, ut qui magis mortificationi studeant, majorem habeant in oratione gustum, et contra. Deus scilicet illud nobis libenter concedit, quod nos videt tanto studio desiderare, ut etiam pelle propria, et quibusvis factis sacrificiis, emere velle videamur. — Fateor equidem, hanc animi dispositionem, quam ut remotam præparationem ad meditandum pono, ipsam jam esse talem, quæ usum orationis, et jam perceptum ex ea fructum videatur supponere. Sed habet tamen hæc dispositio varios gradus. Initia certe harum omnium habere debet quilibet meditans. Desiderium quidem verum proficiendi omnibus utique, etiam primis Tironibus, inesse debet: is enim et non alius esse debet finis, ob quem ad Societatem omnes venimus.

Jam vero quod attinet ad *præparationem proximam*, hæc, ex S. P. N. Ignatii doctrina, ista fere complectitur:

Ut pridie materia meditationis matutinæ legatur, vel audiatur attente, obser-



vando scilicet, qui fructus meditati pro ejus animæ statu, ex ista meditatione sit decerpendus.

Ut jam in lecto decumbens, ante somnum breviter eandem materiam recolat.

Ut mane expergefactus primam cogitationem de futura meditatione suscipiat.

Ut inter lavandum, et eundem, eadem cogitet, ac sensa futuræ meditationi conformia foveat.

Ut demum ad ipsam meditationem quieto animo ac sedato accedat, et immediate antequam incipiat „per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica posset (verba sunt S. Patris), animo sursum elevato, consideret Dominum Jesum, ut præsentem, et spectantem quidnam acturus sit“. Cogitet, coram quo versetur, ad quem sit locuturus, ac proin, *priusquam in genua provolvatur*, Deum sibi viva fide præsentem proponat, suaque omnia intime perspicientem. Dico, *priusquam in genua provolvatur*; nam hæc viva præsentis Dei apprehensio, non post orationem præparatoriam, quasi præludii loco, sed ante illam, quemadmodum ante omnem orationem haberi debet. Quod ideo instantius hoc loco notavi, quod illud frequenter a multis non observari vide-

tur, qui repente scilicet et quasi tumultuarie, non cogitantes quid sint acturi, in genua sese abjiciunt.

Hæc omnia et singula momenti sunt magni, ut adeo, qui omnia servet, multum; qui pauca, parum; qui nil horum adhibeat, nil se profecturum merito sibi persuadere possit: *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Hæc a S. P. N. Ignatio ante meditationem faciendam præscribuntur, eaque etiam ipse, licet jam orandi habitu præditus singulari, ac sublimi dono contemplationis donatus, nunquam tamen omisit. Multo itaque magis nos, qui parum sumus in hoc exercitio versati, et alioqui nimium quantum distrahi ac dissipari solemus, præparationem hujusmodi, omnesque ejus partes adhibere studiose convenit. — Hinc vero apparet, ut etiam illud obiter moneam, cur tantopere nobis inculcari soleat, ut strictum silentium ac severam modestiam vesperi præsertim ante somnum, et mane ante meditationem servemus: quia scilicet omnis in hoc genere defectus, istis temporibus commissus, magnum habet in meditationem influxum, et impedire eam plurimum potest, tum ratione dissipationis, in quam se anima conjicit per hujusmodi imperfectiones, tum ratione subtrac-

tionis Divinæ gratiæ, in pœnam talium infidelitatum.

Posset etiam illud proximæ præparationis loco addi, ut mane in visitatione Sanctissimi ipsam meditationem, quam mox facturi sumus, præsentî Domino commendemus, ac Virginis Matris, aliorumque Sanctorum Patronorum opem ac intercessionem ad illam horam imploremus.

## Caput 2.

### De servandis in ipsa Meditatione.

**H**abet meditatio ipsa tres partes, seu tria tempora, initium, medium, et finem, seu *ingressum, progressum, egressum*. Aliquid dicendum de singulis.

#### § 1.

### De initio seu ingressu.

Per initium seu ingressum intelligitur, quidquid in meditatione ipsam materiam meditandi seu puncta præcedit. Sunt autem sequentia:

1. Adoratur Deus humillime, procidendo in genua nisi aliqua corporis infirmitas impediât, in quo casu curandum, ut tanto major sit interna reverentia. — Hic primus est actus meditantis, qui ut fiat in-



timo cordis affectu, præcessisse debet illa, quam in præparatione proxima dicebamus, consideratio, quidnam acturus sim, et coram quo Domino sim constitutus. Viva ergo fide meditans, ac si apertum supra se videret cœlum, in eoque Deum in immensa Majestate, innumeris Ss. Angelorum et hominum turmis circumdatum, qui cum universa Curia sua cœlesti in ipsum oculos habeat defixos ut videat, quid sit facturus, et quomodo oraturus; hac, inquam, viva fide in gœna se abjiciat, et quanta possit maxima devotione consuetam *orationem præparatoriam* recitet.

2. *Oratio præparatoria* communis ante omnem meditationem. Continere illa solet, præter *adorationis* actum, idest agnitionem Divinæ Majestatis sui que nihili, etiam *dolorem* ac deprecationem *de peccatis*, merito omni semper orationi præmittendam, tum *oblationem* sui suarumque potentiarum ad meditandum, ac *petitionem* Divini auxilii ad bene orandum. — Hos ergo actus, non magis ore quam corde, eliciamus curandum est. — At nunquam hæc oratio prætermittenda, etiamsi quis forte aliquo casu impeditus serius paulo ad meditationem veniat.

3. Fiant ea, quæ S. P. vocat *Præludia*. Adhibenda saltem duo:

*Primum Præcludium*, fit ad imaginationem aliquantum juvandam, et ad amovendas facilius distractiones. Vocatur a S. P. compositio loci, ut scilicet meditant sibi rem ipsam, de qua meditaturus est, quasi ob oculos ponat: v. g. si de Christo crucifixo meditaturus est, cogitet, se esse in monte Calvariæ, ac videre ibi Christum Jesum in cruce suffixum, vulneribus obsitum, sanguine undique manantem, inter duos latrones medium; stante sub cruce B. V. Matre cum Joanne, Magdalena, paucisque aliis piis mulieribus. Reliqua innumerabilis turba impiorum fere est, irradientium, blasphemantium etc. Si de Christi nativitate, rem ob oculos ponat, quemadmodum solet depingi; v. g. stabulum desertum ac ventis pervium, in aliquo angulo illius præsepe, in quo Divinus infans, involutus pannis, jacet ac vagit; adstant B. V. et S. Joseph, et, si ita meditatio requirit, aliquot pastores etc.

Atque in his quidem ac similibus materiis, compositio loci magni solet esse usus, si bene fiat; quia imaginationem certo alicui objecto affigit, ne tam facile evagetur: quod si in decursu meditationis evagari eam contingat, recurrendum denuo ad formatam in præludio repræsentationem; ut solent illi, qui rem ali-

quam inspicere accurate volunt, qui, si quando oculos aliquo casu vel rumore avocati ad alia converterunt, mox, ubi se collegerint, ad rem, quam inspectandam sumpserant, se referunt.

Illud autem hic attente observandum, in talibus materiis, non debere meditantem proponere sibi rem illam, ut depictam in tabula, neque etiam ut a multis jam sæculis gestam, sed ita, ac si ipse rem coram se agi videret in præsentia, ac si adesset in Bethlehemitico stabulo, in monte Calvariæ, omniaque oculis suis spectaret, auribus audiret, resque illæ nunc actu fierent.

Si vero res meditanda oculis proprie videri nequeat, v. g. peccatum, vel virtus, vel aliud quid non corporeum, non tanti solet esse adjumenti hoc præludium, nisi quis vivam valde imaginationem habeat. Aliqua tamen compositio loci adhiberi poterit; et v. g. de peccato meditaturi, poterimus, ut ait S. P. Ignatius, per imaginationem cernere animam nostram in corpore isto velut in carcere constrictam, hominem quoque ipsum inter bruta animalia exsulantem; vel v. g. peccatum nobis proponere sub figura alicujus teterrimi et horribilis monstri; vel ejus effectus, ut inferni ignes peccatori paratos, hominem sub dæmonis potestate,



catenis constrictum ac jamjam in illud tormentorum barathrum præcipitandum, etc. Ita aliæ, atque aliæ possunt adhiberi imagines, pro ratione materiæ. — Determinandæ autem sunt hujusmodi imagines seu præludia pridie in præparatione meditationis, nec diversæ simul imagines assumendæ, nec multum in illis quærendis seu excogitandis laborandum. Si nihil facile occurrat, præludium hoc primum in sola recordatione materiæ, de qua meditandum erit, consistet.

Denique si materia meditationis est aliqua sententia Christi Domini, præludium primum erit, sistere se inter discipulos Christi aliosve auditores, et sententiam illam tamquam ex ore Divini Magistri excipere. Pariter, si alia aliqua verba Scripturæ Sacræ meditanda fuerint, oportebit primo præludio audire ea, quasi ex ore illius sacri Scriptoris, cujus illa sunt; vel audire ea, quasi cœlitus ad meditantem delapsa, et ad ipsum peculiari modo directa. Et sic de ceteris.

*Secundum Præludium* nil aliud est, nisi postulatio gratiæ, non jam generaliter ad bene faciendam meditationem (id enim in oratione præparatoria petitur); sed in particulari ad obtinendum illum fructum, qui in illa meditatione propositus est. Petenda fere duo, *illustratio intel-*

lectus, et *motio* voluntatis, ut et cognoscamus et velimus; v. g. si de peccato meditatio est futura, petemus gratiam, qua et cognoscamus quantum malum sit peccatum, et voluntate illud serio detestemur ac horreamus. Habetur passim aliqua formula petitionis ad tres Personas Divinas in hoc præludio secundo adhibendæ; addendum tantum in quavis meditatione id, quod illi meditationi singulariter convenit.

In meditando de aliqua historia, præscribit S. P., ut ante duo prædicta præludia primum breviter tota historiæ meditandæ series in memoriam revocetur; tum fiat compositio loci; ac tandem petitio gratiæ. — Itaque erunt tunc præludia tria.

Ceterum totus hic ingressus meditationis, nempe: adoratio, oratio præparatoria, præludia, regulariter non plus temporis occupare debent, quam minuta quatuor aut quinque ad summum.

## § 2.

### De medio seu progressu.

Medium seu progressus complectitur ipsum veluti corpus meditationis, nempe ipsa puncta, quorum communiter bina vel terna, aut etiam plura parata habere oportet.

tet. In his itaque punctis perpendendis, ruminandis, et in quærendo in illis fructu spirituali, proprie ipsa consistit meditatio. De divisione punctorum nihil hic dico, cum aliunde proponantur semper puncta, vel ex libro aut scripto determinata habeantur. Sed qua ratione materia meditationis sit dilatanda, quomodo animus circa veritatem, in punctis meditationis propositam, occupari, ac in illa detineri debeat, quomodo quærendus sit ac decerpendus ex quolibet puncto fructus, quomodo sit res applicanda ad præsentem animæ statum; de his scilicet aliquid jam hoc loco dicendum.

Ergo ex mente ac doctrina S. P. N. Ignatii meditatio consistit in applicatione trium potentiarum, videlicet: *memoriæ, intellectus, ac voluntatis*; quæ facultates animæ si rite omnes applicentur, bona fiet meditatio. Applicandæ autem sunt omnes tres in quovis puncto; et unum etiam punctum potest esse materia sufficiens meditationis.

### I. Quomodo memoria exercenda.

Primo ergo memoria sibi denuo revocat rem meditationi propositam, ita fere, prout in præludio primo fieri debuit; cum hoc tamen discrimine: 1. Quod non jam



universa materia, ut in præludio, sed illa solum pars, quæ in puncto isto proponitur, est revocanda. 2. Quod fieri debet hæc repræsentatio multo accuratius et fusius plerumque, quam in præludio: v. g. si meditationi proposita est sententia; in præludio proponebamus nobis solum, ac si hanc sententiam ex ore Domini vel cœlitus nobis ipsis dici audiremus. — At vero hic in meditatione, ita applicanda erit memoria, ut et audiam illam sententiam mihi dici, et attente mihi proponam, quisnam ille sit, qui hoc dicat? et quidnam dicat? attenta bene cujuslibet vocis significatione. Ita demum hæc prima applicatio memoriæ parabit viam reflexionibus, quas mox intellectus facere debet. Item, si meditationis materia sit res gesta; non totam illam, ut in præludio, sed partem ejus unam in isto puncto tractandam, revocare in memoriam debet: neque solum revocare, sed etiam circumstantias, quæ illi parti insunt, attente considerare, mihi que proponere, quæstiones mihi faciendo: *quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?* etc. Hæ enim quæstiones hoc loco potius agitandæ; cum intellectus applicatio magis ratiocinari debeat ad practicum ex hujusmodi circumstantiis, prius bene observatis, fructum colligendum.

Exemplum in utroque genere, in sententia scilicet, et in re gesta, subjicio.

Sit meditationis materia illa sententia Domini Jesu: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

*Præludium primum.* „Proponam mihi „ob oculos Dominum meum, turba discipulorum circumdatum, ac statuam me „ipsum inter illos, ac si Dominum audirem dicentem etiam ad me: *Quid prodest etc.*

*Memoria* vero sic applicabitur:

Dicit ergo Christus Jesus . . . qui est æterna sapientia, et æterna veritas . . . missus de cœlo Magister salutis . . . qui non vult me „frustra terrere aut angere, „sed salvare . . . Hic ergo Jesus dicit: „*Quid prodest*, idest, nihil prodest . . . „homini cuicumque . . . *si mundum universum lucretur* . . . etiamsi solus totum „mundum, et omnes ejus divitias . . . honores . . . voluptates . . . etiamsi hæc omnia solus obtineat . . . *si animæ suæ* . . . „immortalis et æternæ . . . *detrimentum patiatur* . . . si animam suam perdat per „peccatum in damnationem æternam? Ita „est . . . ita dicit Jesus Christus: credo, „quia est ille æterna, infallibilis veritas . . . „nihil prosunt . . . nihil proderunt homini

„omnia mundi bona . . . omnis ejus glo-  
 „ria . . . omnes ejus deliciæ . . . nihil ho-  
 „mini proderunt, si animam perdat . . .  
 „Ita dicit Jesus Christus. Et certe! Nam  
 „totus mundus transit . . . sed anima non  
 „transit . . . anima æternum manet, ut sit  
 „felix . . . vel infelix in æternum . . .  
 „Transit mundus . . . et omnis ejus glo-  
 „ria . . . et omnes ejus jucunditates . . .  
 „et omnes ejus divitiæ . . . transeunt ista  
 „omnia . . . veniet aliquando horum om-  
 „nium finis: et certe tunc nihil proderit  
 „his aliquando fuisse fruitum . . . cum jam  
 „ultra non durabunt . . . Quod si quis  
 „fortuna in mundo gaudeat prosperrima . . .  
 „per annos 10 . . . 30 . . . 40! Rara hæc  
 „felicitas . . . paucissimis contingit! . . .  
 „Et tamen etiamsi alicui ita contingat . . .  
 „quid prodest si animam perdat? . . .  
 „Transibunt isti anni omnes . . . veniet  
 „finis . . . Sed anima erit semper . . . vel  
 „salus ei obtinget . . . vel damnatio . . .  
 „Sed huic felicitati vel infelicitati ani-  
 „mæ . . . nunquam . . . nunquam veniet  
 „finis . . . Ergo . . . vere . . . quid prodest  
 „homini, si mundum universum lucretur,  
 „animæ vero suæ detrimentum patiatur?“

Fateor equidem, quæ ultimo loco po-  
 sita sunt (in inquirenda aliqua ratione  
 dicti) posse videri potius pertinere ad  
 exercitium intellectus. — Sed parum



refert. — Hic ita positum est, ut intellectui remaneat sola applicatio veritatis generalis ad se suumque statum. — Certe applicationem memoriæ cum applicatione intellectus quodammodo commisceri, nihil vetat. — Quin etiam ipsa voluntas sese hic exercere in affectus aliquos potest.

Exemplum applicandæ memoriæ in re gesta sit sequens. Apponam etiam hic primum Præludium, ut utriusque discrimen appareat.

Sit meditandus Christus crucifixus. P. 1. Quid patiat in corpore. P. 2. Quid patiat in honore. P. 3. Quid patiat in anima. — Hic patet, præludium fore, quod totam rem breviter complectatur; contra vero memoriæ applicationem esse restringendam ad illud punctum quod meditandum veniet. Itaque

*Præludium primum.* „Sistam me præsentem in monte Calvariæ, et ponam mihi ob oculos Christum Dominum, penitentem in cruce, viventem adhuc, inter duos latrones medium, defluente copioso sanguine. Videbo etiam innumerabilis populi multitudinem, qui fere omnes Dominum derident ac blasphemant, quorum furibundos vultus aspiciam, ac murmura et clamores audiam. Inter hæc agonizans Jesus clamat: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?“

Hoc præludium, ut patet, omnia tria puncta compendio complectitur.

Jam vero in applicatione memoriæ, unum solum sumetur, omissis iis, quæ ad illud punctum non pertinent: v. g.

P. 1. *Quid patiatur Dominus in corpore.* „Pendet Dominus in cruce. O „quantos patitur dolores . . . quam atrocia „tormenta! . . . Totum corpus vulneribus „et sanguine est obsitum . . . Vere non „est ei species, neque decor . . . a planta „pedis usque ad verticem capitis non „est in eo sanitas . . . omnia membra, „heu! quam acerbe cruciantur! Caput „spinis perforatum . . . aculei frontem „penetrarunt . . ., totumque caput cinxe- „runt . . . . Oculi suffusi sanguine . . . . „tota facies contusa ac livida . . . . Os cru- „ciatum felle . . . . pectus, dorsum, latera, „brachia, crura, flagris horrendum in mo- „dum dilacerata . . . . pluribus in locis, „avulsa carne, nuda ossa conspiciuntur . . . „manus ac pedes clavis tremendo cruciatu „confixi . . . et ex istis horrendis vulne- „ribus . . . ex læsis ac pertusis nervis, „pendet jam una, altera, tertia hora, vi- „vus! . . . Quam immania tormenta! . . . „Hæc talia ac tanta patitur Jesus Chri- „stus . . . innocens, sanctus; impollutus, „bonus . . . quin immo innocentia, sanc- „titas, bonitas ipsa . . . Deus et homo . . .

„Salvator generis humani . . . infinito  
„amore dignus! . . . Ille, qui gaudium est  
„Angelorum, et in quem cœlestes illi  
„spiritus desiderant prospicere . . . hic  
„ita tractatur ab hominibus . . . sic per-  
„mittente ac disponente æterno Patre! . . .  
„Cur autem ista? Non utique pro suis pec-  
„catis . . . quia nulla habet, qui nunquam  
„peccavit, sed neque peccare potuit; sed  
„pro peccatis totius generis humani . . .  
„pro meis . . . pro meis (etiam istis et istis)  
„peccatis . . . hic tanta Jesus patitur! . . .  
„Patitur autem tanta, licet et innocens  
„ipse . . . tamen in silentio, sine querela,  
„et non solum sine odio in eos, qui tan-  
„torum cruciatuum ipsi sunt causa et auc-  
„tores, sed cum summo eorum amore . . .  
„Hæc omnia ita revera se habent: ita  
„docet fides Divina; ita ego credo, credo  
„indubitanter; quia sic docet fides, innixa  
„revelationi ac verbo Dei, infallibilis et  
„æternæ veritatis.“

Hoc fere modo applicabitur memoria.  
In qua quidem re applicanda diutius im-  
morari non est necesse, cum fere, quid-  
quid ad memoriam pertinet, in libris me-  
ditationum proponi soleat; licet a medi-  
tante extendendum semper et accurate  
recolendum, non obiter: nam hæc me-  
moriæ applicatio est quasi fundamentum,  
in quo reflexiones et affectus reliquæ



meditationis fundantur; vel quasi semen et radix, unde reflexiones et affectus orientur necesse est. Nisi vero hæc applicatio memoriæ attente fiat, multæ etiam reflexiones salutares interibunt. — Illud etiam merito hic observandum, quod passim commendari solet; ut scilicet, ubi fieri potest, in hac memoriæ applicatione exerceatur actus fidei circa veritatem vel historiam propositam. Sic enim reflexiones deinceps fient solidiores; majoremque vim habebunt ad voluntatis motionem. Itaque in utroque exemplo, quod modo adferebam, actum fidei subjunxi vel interposui.

## II. Quomodo applicandus Intellectus.

Postquam res meditanda, per *Memoriam*, eo fere modo quo diximus, menti proposita fuerit, sequentur actus *Intellectus*, cujus partes nimirum sunt: varias facere reflexiones super iis veritatibus, quas memoria proposuit; applicare illas ad se suamque necessitatem; conclusiones practicas inde deducere; earum motiva ponderare: et considerare quomodo secundum istas veritates, aut hactenus se gesserit, aut gerere in posterum debeat. Hæc omnia præstabit intellectus, neque magna ad hæc doctrina opus est:

quilibet, etiam simplex et indoctus, nullo negotio de his omnibus ratiocinari secum ipse poterit, Divina gratia adspirante. Non enim requiruntur hic extraordinarii conceptus, doctæ animadversiones; sed practicæ applicationes ac simplices discursus. Commodissimum est, quod passim suadetur, et omnium etiam simplicissimorum captui accommodatum; percurrere scilicet sibi que ipsi proponere simplices quasdam quæstiones, ad quas respondere facile quivis poterit, modo mentem applicare serio voluerit. Hæ quæstiones proponi fere solent sequentes: *Quid de hoc* (quod meditandum proponitur, vel quod memoria pertractavi) *est considerandum? Quæ conclusio practica inde deducenda? Quænam motiva ad hanc servandam inducunt? Quomodo hanc doctrinam ego hactenus observavi? Quid mihi in posterum faciendum? Quale impedimentum removendum? Quale medium eligendum?* — De singulis harum quæstionum seu reflexionum aliquid dicamus.

### 1. *Quid de hoc est considerandum?*

Ad hanc quæstionem, insistendum est uni alicui veritati, quæ in puncto illo continetur. Non unam, sed plures veritates offert non raro unum idemque punc-

tum. Harum itaque veritatum primo unam, dein alteram, et si quæ plures insunt, quasque singillatim meditans sumet discutiendas, sibi que applicabit. Sic v. g. in sententia, quam supra posuimus: *Quid prodest homini* etc., saltem duo consideranda se offerunt: nempe, 1. universum mundum lucrari, vanum esse ac nullum solidum bonum; 2. animæ detrimentum vel lucrum esse momenti vere summi, in quo sita omnis hominis felicitas vel infelicitas. — Pariter in puncto illo de Christi crucifixi doloribus, plura occurrunt ponderanda, et applicanda, tot certe, quot fuere quæstiones in memoriæ applicatione tractatæ: v. g. *Quis? Quid? Quare? Quomodo?* etc. Singulæ enim singulas continent reflexiones, quas meditans salutariter facere, sibi que applicare potest. Itaque primam ex illis reflexionibus assumens, faciet super illas sibi ipsi quæstiones reliquas: *Quæ conclusio practica hinc deducenda?* etc. . . . Idem postea faciet in secunda reflexione, idem in tertia, et sic deinceps.

## 2. *Quæ conclusio practica inde deducenda?*

Hic inspicit meditans, quid ergo sibi faciendum sit, cum res, quam considerat, ita se habeat? Quomodo ergo mores



juxta hanc veritatem instituere debeat? v. g. ex sententia illa: *Quid prodest homini, prima reflexio erat: universum mundum lucrari, vanum est ac nullum solidum bonum.* Si jam quæro: *Quæ conclusio practica hinc deducenda?* Unusquisque certe facile responsum inveniet, nempe: „Ergo universus mundus con-  
 „temnendus est cum omnibus suis divi-  
 „tiis, et honoribus, et deliciis; siquidem  
 „universum mundum cum omnibus his  
 „lucraturum esse quemquam, nihil proderit!  
 „Ergo nec pro universo mundo obti-  
 „nendo, nec pro omnibus ejus divitiis,  
 „honoribus, deliciis, quidquam detrimenti  
 „in anima suscipere debeo. Multo vero  
 „minus pro parvo aliquo bono temporali,  
 „pro vana aliqua gloriola, aut humanæ  
 „laudis appetentia, pro aliqua sensuum  
 „voluptate Deum offendere, et animam  
 „periculo exponere debeo.“

Hoc vero loco illud summi momenti observandum documentum est, ut quisque meditans singillatim hoc loco illam deducat conclusionem, quæ ipsius statui sit accommodata. *Primo* enim, generalis conclusio communiter manet absque effectu. Ut si quis in exemplo proposito hanc solum deducat conclusionem: Ergo totus mundus contemnendus est, et ad particularia non descendat. Hujusmodi

conclusiones non immerito comparantur explosionibus tormentorum, in nullum certum scopum directis, quæ hostem non lædunt, muros non subruunt. Sic etiam generales conclusiones, sine applicatione ad particularia, hostes animæ non infringunt, passiones in ordinem non redigunt, difficultatum muros non applanant, sed vere, ut ita dicam, aërem verberant. *Deinde* non sufficit etiam ad particularia descendere: sed quisque ei particulari conclusioni insistere debet, quæ sibi conveniat, et applicare veritatem practicam ad rem illam, quæ sibi vel peccatorum ac defectuum causa, vel impedimentum in servitio Divino sit: v. g. in exemplo, quod tractamus, conclusionem generalem: *Ergo universus mundus contemnendus est; Ergo nec pro universo mundo quidquam faciendum, quod animæ noceat; Ergo potius totius mundi facienda est jactura, quam anima periculo exponenda;* hanc, inquam, conclusionem generalem, alii aliter statui suo suæque necessitati applicare debent. Qui vanæ gloriæ cupiditate laborat, ita debet concludere: „Si universus mundus contemnendus est; quanto magis ego vanam illam „gloriam, quæ mea bona opera corrumpit, et gravissimum mihi damnum „in anima affert, contemnere debeo. Si

„haberem omnem totius mundi gloriam,  
„si laudarer ac summe prædicarer ab  
„omnibus hominibus, nil mihi prodesset,  
„quanto minus proderit, si unus aut alter,  
„si pauci illi, quibuscum vivo, me lau-  
„dent, magni faciant, etc.;" et descen-  
dendum hic etiam ad illas actiones, quas  
vana gloria ipsi sæpius inficit, ad illa  
peccata ac defectus, quæ ex vanæ glo-  
riæ cupiditate committit, ut: si propter  
eam aliquando simulat, si defectus suos  
tegit, excusat, prætextis etiam menda-  
ciolis elevat, etc. Hisce particularibus  
rebus applicare debet illud: *quid prod-  
est?* — Qui vero sensualitate laborat,  
gulositate, commodorum quæsitioe sæ-  
pius labitur, ita secum ratiocinetur: „Si  
„nec universus mundus tantum valet, ut  
„quis pro illo detrimentum suscipiat in  
„anima, et si nec pro toto mundo cum  
„omnibus suis voluptatibus peccandum  
„est; multo certe minus pro uno alterove  
„commodo, pro bolo aliquo, qui momento  
„guttur pertransit, violandæ sunt regulæ,  
„ac damnum in anima suscipiendum: et  
„si nil mihi prodesset, etsi omnibus frue-  
„rer mundi deliciis; quanto minus prod-  
„erit in tantula voluptate sibi indulgere:  
„et si totus contemnendus est mundus,  
„et omnes ejus deliciæ; quanto magis  
„illa miserabilis satisfactio gulæ ac sen-



„sualitatis, etc.“ descendendo hic etiam ad eas res in particulari, in quibus per sensualitatem, gulam, etc. peccata ac defectus committere frequentius accidit. Qui aliquam invenit in vita religiosa difficultatem, cui aliqua res nimis videtur gravis, nimis repugnans, nimis molesta, ita ut fors etiam vita Religiosa propter illam videatur insipida etc., eandem veritatem ita sibi applicare debebit. „Un-  
„versi etiam mundi jactura potius faci-  
„enda est, ex sententia Jesu Christi, quam  
„anima periculo exponenda; quanto ma-  
„gis hæc et illa difficultas potius sub-  
„eunda mihi alacriter est, quam ut pre-  
„tiosissimum donum vocationis meæ, et  
„assecuracionem meæ beatitudinis per-  
„dam? Quid enim mihi proderit, hanc  
„et illam molestiam fugisse, hanc et il-  
„lam crucem evitasse, hanc et illam rem,  
„quæ meæ naturæ displicet, evasisse; si  
„in anima detrimentum capiam, si voca-  
„tionem, si salutem perdam, ac postea  
„per totam æternitatem ferre cogar acer-  
„bissima etc.“ descendendo pariter ad eas in particulari difficultates, quæ sæpius occurrunt, sæpius ipsum turbant, ac displicentiam movent. — Sic itaque unam eandemque veritatem, alii aliter sibi pro sua necessitate applicare debent; et ex una eademque generali conclusione, con-

clusiones particulares suo statui accommodatas deducere. — Porro, hoc monitum tanti est momenti, ut asseveranter dici possit, ab hujus observatione vel neglectu maxime omnium fructum meditationis pendere.

### 3. *Quænam motiva ad conclusionem servandam inducunt?*

*Motiva* seu incitamenta ad faciendum id, quod in meditatione cognoscimus esse faciendum, hic consideranda sunt ac ruminanda, ut solida fiant melioris vitæ proposita. Voluntas nostra sequitur intellectum. Si intellectus motiva rei non capit, voluntas parum ad illam afficitur.

Jam vero motiva seu incitamenta ad fugiendum vitium, ad sectandam virtutem, ad difficultates ac molestias genere superandas, sunt *decens, utile, jucundum, facile, necessarium*, et si qua sunt alia, quæ ad aliquid movere atque incitare animum possunt. Hæc motiva, vel omnia, vel certe eorum aliqua ad materiam, quam meditamur, ad conclusionem practicam, quam deduximus, sunt applicanda.

*Decens*, significat rem esse honestam et convenientem. Cogitet hic meditans, quid *hominem* ratione præditum, quid *Christianum*, quid *Religiosum*, quid *So-*

*cium Jesu* facere deceat? amplissima hic et fortissima inveniet motiva. Nostris volvendus quotidie, imo assidue, esset titulus *Socii Jesu*, qui solus titulus gravissimum habet ad movendum pondus. Nam quod vitium, quem defectum etiam levem, non decet fugere eum, qui *Socius Jesu* velit dici et esse? Quam virtutem, imo vero quam perfectionem ac sanctitatem non decet sectari eum, qui *Socius Jesu* esse velit, Jesu, inquam, exemplaris omnis virtutis et sanctitatis? Quam item difficultatem, quam molestiam, imo vero quam afflictionem, etiam gravissimam, quæ tormenta, quos contemptus non decet generose superare ac tolerare eum, qui *Socius sit Jesu*, ejusque *Crucifixi*? Vere hic titulus *Socii Jesu*, vel solus rite ponderatus, sufficere potest ad animam convincendam, ac vehementissime, Dei adspirante gratia, impellendam. Præbebit semper hic titulus uberrimum fontem piarum cogitationum, et affectuum humilitatis, ac desiderii ad meliora adspirandi.

*Utile*, complectitur commoda spiritualia, quæ observatio doctrinæ illius practicæ mihi afferet. Spiritualia, inquam, commoda, quæ animæ bonum spectant et æternitatem; nam alia non sunt supernaturalia, adeoque vana motiva. Itaque non ista hic perpendenda sunt commoda:



v. g. pœnitentias evitabo, superioribus satisfaciam, fratribus placebo, et alia similia; nam talia motiva, et per se vitiosa sunt, et ad vitia æque ac ad virtutes inducere possunt; hypocritas certe efformabunt potius, quam veræ virtutis studiosos. Posset fors aliquando aliquid horum adjungi ad alia motiva supernaturalia, sed semper valde hoc parce, ne tam levibus fundamentis nostra virtus innitatur. Commoda ergo supernaturalia ponderanda sunt: v. g. Si hanc doctrinam observavero, vitabo multa peccata ac defectus, cavebo multos morsus conscientiæ ac perturbationes, et pœnas tam multas in purgatorio olim luendas non contraham; habebō pacem conscientiæ, multos actus virtutis faciam, pro quorum singulis gratiam mihi apud Deum augebo, et merita pro futura vita, ita ut dives fiam coram Domino; attraham benedictionem Divinam etiam super munera mea; fiam aptum gloriæ Divinæ instrumentum etc. Innumera possunt hic cogitari commoda, vera, solida, supernaturalia, quæ in omni practica conclusione inesse solent, et ex quibus quisque iis potest magis insistere, quibus se sentit magis moveri. Duo illa generalia teneantur semper: quæ mala spiritualia evitabo? quæ bona consequar mihi, et aliis? — Nam, ut dicit

Scriptura: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Timentis vero Dominum beata est anima ejus . . . et omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur.*

*Jucundum* illud est: Quantum gaudebo, si hanc doctrinam observabo? Neque enim tristis est vita, ad normam Divinæ voluntatis exacta; imo, si est in hac lacrimarum valle aliqua veri gaudii pars, est certe in anima, quæ Deo studiose famulatur. *Israel, si attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et jucunditas tua sicut gurgites maris.* De impiis vero: *contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt.* Hæc et similia, quæ omnium etiam Sanctorum experientia comprobantur, tamquam solida motiva ad virtutem ac perfectionem sectandam, animæ suæ proponere quisque poterit.

*Facile.* Cum Dominus Jesus jugum suum suave esse, et onus suum leve dicat, et universaliter promittat requiem animæ illis, qui jugum suum tollant super se; est hoc certe verum, et verum esse etiam ego sentiam, si tollam jugum Domini super me, totam videlicet ejus legem Evangelicam conando observare quam exactissime: nam hoc est *tollere jugum illud* super se, et veluti humeris suis imponere. Qui vero aliqua tantum ser-

vare, et non omnia intendit, hic jugum Domini una veluti manu volens portare, gravabitur, et non erit illi onus leve. Si quis itaque onus hoc Domini grave sentit, non aliunde hoc est, nisi quia totum illud super se non tollit, et quia non est mitis et humilis corde; nam hæc duo requirit Dominus. *Mandata ejus gravia non sunt.* — *Ambulavimus vias difficiles,* ajunt impii, *lassati sumus in via iniquitatis.* Quæ etiam cum proportione verissima sunt in Religiosis, qui non habent spiritum vocationis suæ, spiritum humilitatis, obedientiæ, etc. Gravius multo est, superbiam in corde fovere, propriam voluntatem mordicus tenere, etc., quam hæc ipsa vitia abnegare; quæ dum abnegamus, debilitamus et occidimus illos serpentes, qui in nobis vivunt, et omnium tristitiarum, et pœnarum interiorum causæ sunt, dum ad primam occasionem adversitatis alicujus mordent et cruciant. — Quid vero, si consideretur gloria cœlestis? quam facilia debent nobis videri omnia, quæ mercedem æternam duraturam obtinebunt. *Leve est mihi omne onus, quod fero, propter magnum illud bonum, quod spero,* ajebat S. Franciscus Seraphicus. — Hæc ergo et similia nobis proponamus, si terreri nos difficultatibus contingat. Quamquam ge-



nerosis animis potius ipsa difficultas motivum est, ad libenter rem aliquam aggrendendam, gaudentibus, si quid difficilioris operæ facere aut gravioris molestiæ ferre possint pro Eo, qui tanta pro ipsis fecit, et passus est, quique infinito amore dignus est; pro quo si milles mortem acerbissimam subeant, parum se facturos merito existimarent.

*Necessarium*, complectitur graves illas causas, ob quas debeo omnino practicam illam doctrinam observare, etiamsi nec utilis alias, nec jucunda esset, etiamsi vel difficillima mihi videretur. Scilicet, si non observem hanc doctrinam, infelix ero, vel saltem gravissimis me periculis exponam. Neque enim est res indifferens, facere vel non facere ea, quæ facienda cognovi; sed est omnino necesse facere. S. Paulo necesse erat, esse zelosum Apostolum, ut ipse dicit: *necessitas enim mihi incumbit; vœ enim mihi est, si non evangelizavero*. Pari modo ego mihi dicere debeo: *Vœ mihi, si non fiam humilis; vœ mihi, si non fiam perfecte obediens; vœ mihi, si non contemnam res hujus mundi; vœ mihi, si non fiam mortificatus; vœ mihi, si non serio tendam ad perfectionem, etc.*: quia hæ sunt obligationes status et vocationis meæ, quas si non coner explere, non

salvabor, vel certe gravissimo periculo me exponam. Non relinquitur mihi ad libitum, si vivere volo Jesuita, esse bonum religiosum, vel non: ut bene quidem faciam, si servem Regulas, et vocationem meam expleam; nihil autem mali sit, si non servem, et non expleam; sed omnino *necessitas mihi incumbit* servare, et implere; alioqui non possum esse securus, et *væ mihi!* Non faciam gratiam Deo, si ipsi religiose ac fideliter serviam; adhuc etiam tum servus inutilis ero, et quod debeo facere, faciam: sed injuriam ipsi facio, si non religiose, si non fideliter ipsi serviam. — Hoc necessitatis motivum verissimam habet rationem etiam in iis, quæ tantum videntur esse majoris perfectionis; si illa cognosco, et Deus me ad illa impellit: nam etiam in his infidelitas, et inobedientia erga Deum vocantem potest mihi gravissima attrahere mala: præsertim illud maximum; ut me Deus, tamquam infidelem, et inobedientem, deserat et abjiciat.

Hoc porro motivum, cum semper vim habet magnam ad determinandam voluntatem nostram, tum præsertim adhibendum est in rebus, quæ nobis difficiliiores videntur, et quando animus præ ignavia ac difficultatum horrore torpet. Tunc vel maxime his veluti calcaribus pungendus

ac stimulandus est, propositis pœnis Divinis, pœnis purgatorii, inferni; propositis minis Dei contra tepidos, quos ex ore suo evomere minitatur etc.; mortis item ac judicii horrore, etc.

Sic ergo tractatur illa quæstio: *Quæ motiva ad doctrinam illam practicam servandam inducunt?* Accurate autem hæc quæstio agitanda, ut virtus nostra non sit quasi fortuita et casualis, dependens a circumstantiis variis; sed solida, in solidis motivis supernaturalibus, ab intellectu bene ponderatis fundata. — Exemplis porro hic subjungendis supersedeo. Satis enim fuse explicata videntur, quæ huc pertinebunt, ut facile possint ad varias materias applicari. — Sequitur itaque discutienda quæstio.

#### 4. *Quomodo hanc doctrinam ego hactenus observavi?*

Hoc loco instituitur veluti examen, et requirimus a conscientia nostra, quomodo nos circa illam veritatem, quam meditamus, hactenus gesserimus; ut si secundum illam hactenus egimus, Deo gratias agamus; sin autem, confundamur intime et erubescamus, ac prospiciamus nobis in futurum. Nequaquam vero facile credendum, si videamur nobis illam doctrinam bene observasse; nam in hoc nos



amor proprius, et exigua nostri cognitio decipere aliquando solent, ut videamur nobis jam aliquam virtutem consecuti: placet enim valde talis cogitatio. Accidit hoc præsertim incipientibus, qui dum aliquod sibi lumen circa aliquam doctrinam practicam habere videntur, et rationes ac motiva perspexerunt, dum occasio exercendæ illius virtutis nulla occurrit, credunt se illam jam assecutos, cum longissime absint; id quod ipsi sæpe postmodum magno suo damno experientia discunt. Tendendum ergo semper hic ad nostram humiliationem et confusionem, condemnando nos ipsos, quod illam doctrinam non observaverimus; vel si aliquando observavimus, quod valde imperfecte; neque ita, ut a nobis gratiæ Divinæ exigebant. — Descendendum etiam hic ad casus et occasiones particulares, ex quibus maxime virtutis nostræ, vel vitiorum habitus cognoscitur. Si quis enim ita generaliter ex se quærat: *an ego contempsi mundum? vel saltem nunc illum contemno?* Forsan de præsentī facile sibi respondere posse videbitur: *contemno*. Sed quærat in particulari: „Quomodo sit affectus, si rideatur, si humilietur, si contemnatur, si minus affabiliter ab aliquo tractetur, si de defectibus deferatur, vel reprehendatur?“ fors

aliter longe judicabit de se, ac vere vanum se adhuc et mundanum, adeoque non esse mundi contemptorem fateri debet. Idemque fors censebit, ubi ex se quæsierit contrarium: v. g. „quomodo „se gerat in bonis successibus; quid sentiat, cum laudatur, cum æstimationis „signa sibi exhibentur? etc.“ in quibus occasionibus si adhuc gaudet, sibique placet, certe mundum nondum contemnit. — Eodem plane modo circa sensualitatem et carnis commoda; eodem circa divitias vel bona temporalia ratiocinandum; eodem denique circa omnes virtutes et vitia. De quibus si nos tantum generaliter, et quasi speculative examinemus, videmur nobis facile vitia superasse, vel virtutes consecuti; at vero ad particularia descendentes, longe nos ab utroque illo bono abesse deprehendimus. Fructus ergo in hac quæstione ille potissimum quærendus, ut ex vera nostri ipsorum cognitione, sincere coram Deo nos, et quam profundissime humiliemus, reprehendentes, et condemnantes nosmetipsos.

### 5. *Quid mihi in posterum faciendum?*

Hic futuris prospicitur, et bona proposita, a voluntate dein amplectenda, intellectus inquirat. Descendendum pariter hic ad particulares casus, præsertim eos, qui

majorem difficultatem facere videntur, quique sæpius occurrunt; et ante omnia, qui hoc ipso die occurrent, vel certe occurrere possunt: ut nimirum dispiciamus nobiscum, quomodo nos in illis gerere debeamus, ut juxta veritatem cognitam agamus. Neque erit abs re, motiva prius considerata denuo sibi proponere, ut facilius sese voluntas ad generosam victoriam offerat. Non est, quod hic exemplum ponam, cum ex superius dictis satis ista clara esse debeant.

6. *Quale impedimentum removendum?  
Quale medium eligendum?*

Scilicet, quid me hactenus impedivit, quominus hanc doctrinam observarem? Quid me juvare poterit ad eandem abhinc melius servandam? Difficile est hic aliquid generaliter præcipere, cum hæc impedimenta et media varia esse possint pro varietate materiæ, de qua aliquis meditatur, et magis etiam pro varia constitutione personæ meditantis. Uniuscujusque igitur erit, inspectis occasionibus, in quibus solet defectus aut peccata, de quibus meditatur, committere, tum secum diligenter inquirere: Unde tandem hoc proveniat? Quid ipsum ad ea committenda impellat? — Caveat porro, ne totum occasionibus adscribat. In subrep-



titiis quidem ac indeliberatis peccatis potissimum observandæ sunt occasiones, eæque vitandæ: ac propterea monemur, ut proposita nostra de vitandis peccatis indeliberatis, et quæ ex subreptione committi solent, versentur præsertim circa vitandas occasiones. Sed in aliis peccatis, quæ ex passionibus nostris oriuntur (exceptis peccatis carnis, quæ fuga sunt vitanda), non tam fuga occasionum, quam vigilantia super se, et generosa sui victoria opus est: v. g. iracundus, non debet existimare, impedimentum sibi ad mansuetudinem servandam esse hunc vel illum, qui sibi molestus sit, vel hunc et illum casum; nequaquam enim sic est: sed ipse sibi est causa, in se, in animo suo passionem portat; hanc mortificare debet, non occasiones fugere.

Ceterum, impedimenta generalia sunt ista tria præsertim: superbia, sensualitas, dissipatio animi. — His contraria sunt tria media generalia: humilitas, victoria sui seu mortificatio, recollectio animi; quibus, appendicis loco, addi possunt, memoria Dei præsentis, actuum jaculatoriorum usus, frequens item recordatio motivorum, quæ in meditatione perspeximus, item communire animum singulari cura ante occasiones, in quibus novimus nos sæpe solere labi etc.; quæ omnia

tamen ad unum ex illis tribus generalibus mediis referri possunt.

Hæc in genere dicta de impedimentis ac mediis sufficiant. Uniuscujusque meditantis erit, se ipsum attente considerare, et invocato lumine cœlesti, videre: quid sibi in particulari sit impedimento? Quid remedii adhibere possit? Cognoscet hæc, si verum proficiendi desiderium habuerit; illustrabit illum Dei gratia, consilium dabunt superiores et confessarii, ipsa etiam sana ratio, fide illustrata, docebit.

Per has igitur quæstiones, quas exposuimus, intellectus exercendus est: qui, si ad istas serio applicabitur, materia solida vix poterit deesse. — Postquam vero de una aliqua veritate, ex materia meditationis deducta, sic ratiocinatus fuerit, transibit ad alteram; et hac similiter absoluta, ad tertiam, et sic deinceps: ubique hasce quæstiones, vel omnes, vel certe aliquas earum agitando. — Jam de voluntatis exercitio.

### III. Quomodo voluntas applicanda?

*Voluntatis* officium in meditatione duplex distingui potest: nempe *affectus* pios excitare, et resolutiones bonas seu *proposita* formare voluntas debet. Atque

hæc duo sunt ita essentialia meditationi, ut sine his meditatio non sit futura oratio mentalis, quemadmodum esse debet, sed mera speculatio vel studium.

### 1. *Affectus.*

Primum itaque, quod agere voluntas debet, est excitare *affectus* pios, seu quosdam internos motus, internos actus variarum virtutum exercere. Hi affectus debent esse per totam meditationem sparsi, certe debent esse quam frequentissimi; nam hi potissimum faciunt, ut meditatio vera oratio fiat. Ignis enim gratiæ et amoris Divini, qui ardere in cordibus nostris, vel certe adesse necessario semper debet, in meditatione, per varias considerationes variam veluti materiam nacta, in flammam prorumpere pro ratione oblatae materiæ debet: *In meditatione mea exardescet ignis.* — Occurrit in rei meditandæ consideratione mirabile aliquid, qualia vere sunt omnia opera Divina; prorumpat voluntas in *admirationis* affectum: occurrit beneficium divinum; affectus erit *laudis, gratiarum actionis, amoris*: occurrit effectus iræ divinæ, vel ejusdem minæ; affectus erumpet *timoris*, et sic alii atque alii pro ratione materiæ. Versabit meditans sua peccata, suas miseras, non potest non oriri affectus hu-



*miliationis, confusionis sui, doloris, deprecationis etc.*

Si vero modus quærat<sup>r</sup> excitandi hujusmodi affectus; illud ante omnia sibi quisque persuadeat, non esse hic opus verbis pulchre compositis. Affectus non a lingua sunt, sed a corde; neque est nobis necesse agere cum Deo, sicut cum hominibus, qui sensa cordis nostri non intelligunt nisi verbis ea exponamus: *Orantes, dicit Dominus Jesus, nolite multum loqui, sicut ethnici: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Videtur hoc monitum Domini Jesu vel maxime orationi mentali convenire. Sunt enim, qui putent, non esse posse affectus bonos, nisi pulchre et eloquenter compositis verbis efferantur; quasi vero Deum, ita ut homines, verborum pondere in suam partem pertrahere necesse esset. Qui certe gravissimus est error. *Hoc negotium, inquit S. Augustinus, plus gemitibus, quam sermonibus peragitur.* Et, si frequenter in Psalmis ac reliqua Scriptura mentio fit de *clamore* ad Deum, non oris plerumque, sed cordis clamor per affectus ardentiores intelligitur. Sed hac de re multa præclare, more suo, P. Rodericius P. 1. T. 5. C. 12. — Illud sufficiat hic monuisse, non esse cur solliciti simus, quibus verbis affectus nostros

exprimamus, cum etiam solo corde, nullis adhibitis verbis, optime exprimi possint. — Fateor equidem affectus cordis juvari multum solere, si aliqua adhibeantur verba, in quibus ille affectus exprimatur. Sed non est necesse, ut ista verba sint aut exquisita aut multa: præstat imo, ut mihi quidem videtur, ut verba illa sint simplicia et brevia, at frequentius repetantur, volvuntur mente diutius. — Si qua occurrunt verba, ad exprimendum affectum, desumpta vel ex Scriptura sacra, vel ex orationibus quibus uti solet Ecclesia, vel quibus Sanctum aliquem usum fuisse novimus, illa certe essent optima; cum peculiarem habeant unctionem, et gratiora Deo esse necesse sit. — Fors aliquod exemplum adduxisse non erit abs re. Itaque:

Ad considerationem Divinorum beneficiorum excitandus affectus *gratitudinis*; quid simplicius, quam ut dicas cum Psalmista: *O! quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Jam si inter hæc animo volvas, quis tu sis, et quis Deus, qui tibi benefacit: *Quid . . (ego) retribuam Domino . . (tanto) . . pro omnibus, quæ retribuit mihi;* et ipsius etiam beneficii, vel beneficiorum Ejus revolvās magnitudinem, facile erit, diutius etiam eundem affectum fovere,

repetendo identidem eadem verba attente ac sedate: *Quid retribuam (ego) Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Eidem affectui *gratitudinis* possunt etiam optime inservire illa verba patriarchæ Jacob, quæ pulcherrimam continent gratiarum actionem: *Minor ego sum, Domine, cunctis miserationibus tuis.* Continent enim intimam agnitionem propriæ vilitatis, ob quam homo indignus est quem Deus tantus vel respiciat; et agnitionem impotentiae, in qua sumus, vel pro minima Dei miseratione debitas agendi gratias: *Minor sum cunctis miserationibus tuis.*

Sic alia atque alia possunt adhiberi verba. Et si nullum aliud occurrat, dic.: *O Deus meus, ago tibi gratias.* Sed dic ex corde, et bonus hic erit affectus *gratitudinis*. Non verba Deus respicit, sed cor. Similiter, ad considerationem propriæ vilitatis, excitandus affectus *humilitatis*; quid simplicius, quam ut dicas: *O vere ego undecumque Divino conspectu tuo, Domine, indignissimus?* quid facilius, quam hæc verbavolvendo, ego . . . *undecumque Divino tuo conspectu,* recogitare causas, ob quas talis cum sis, vere Divinis oculis sis *indignissimus*, et humilitatis affectum hac ratione etiam diutius fovere?



Eidem affectui *humilitatis* servire possunt illa etiam ad mentem S. P. N. Ignatii: *Quid sum nisi saccus stercorum et esca vermium*, quoad corpus; quoad animam vero, *fædissimum ulcus et apostema unde tanta sanies peccatorum profluxit*, et adhuc profluere non cessat, quas sordes Divini oculi semper intueri coguntur?

Vel ex Apocalypsi: *O vere ego miser, et miserabilis et pauper, et cæcus, et nudus*. Vel etiam si dicas nil aliud nisi: *O quam vilis sum et abominabilis!* habes affectum humilitatis. De verbis noli esse sollicitus, corde tantum istum sensum volve.

Possent nullo negotio plurimæ breves sententiæ vel ex Scripturis, vel ex precibus in Ecclesia usitatis, vel ex Sanctorum dictis colligi pro variis affectibus. Posset imo unusquisque sibi tales sententias affectuosas colligere, sibi que familiares reddere,volvendo eas frequenter in oratione, dum affectus aliquis, qui per talem sententiam exprimitur, excitandus est. Et profecto melius quisque sibi talia colligeret, quam ab aliis collecta acciperet; quia non omnia omnes æque movent, et alii in aliis sententiis majorem inveniunt affectum et gustum. Qui preces vocales attente dicunt, et attente legunt

spiritualia, iis facillimum erit, sententias tales pro affectibus variis colligere, quas in meditatione suis locis volvant. — Sed sint sententiæ breves, vis earum bene ponderetur, ac familiares reddantur. Multorum Sanctorum exemplis hæc praxis confirmatur.

Illa observatio hoc loco non est omit-tenda, quæ omnino est ad mentem S. P. N., ut si affectum aliquem in nobis excitatum sentimus, eundem diutius foveamus, sine anxietate pergendi ad alia, quæ in eadem meditatione adhuc tractanda sunt; sed in eodem pergamus affectu, donec nobis satisfaciamus: v. g. in affectu *humilitatis* et agnitionis tuæ vilitatis, tamdiu illud: *ego vere undecumque Divino conspectu indignissimus*, aut aliam in hanc rem sententiam tamdiu volve animo, quamdiu cum intimo sensu aut gustu aliquo spiri-tuali tua ista vilitas tibi ante oculos manet, et affectus ille ardet: etiamsi nil aliud tota meditationis hora faceres; op-tima esset meditatio. — Ubi senseris re-frigescere affectum tuum, transibis ad ul-teriore considerationem materiæ medi-tandæ. — In affectibus tamen iis, qui non adeo humilitatem spectant ac sui depres-sionem: v. g. in affectibus *gaudii*, *fidu-cię*, etc., quamvis sancti possint esse, quia tamen magis sunt illusioni obnoxii,

si in illis diutius hærere, aut etiam totam meditationis horam impendere contingeret, idque sæpius, res esset pro majori securitate cum P. spirituali communicanda.

Affectus ergo, ut diximus, per totam meditationem sparsi esse debent. Idque intelligendum tam de memoriæ, quam de intellectus applicatione: ubique enim convenire posse, imo naturaliter quasi oriri debere aliquos affectus, quisque facile sentiet, si attente consideret ea, quæ de utriusque potentiæ applicatione supra ordine dicta sunt. Ab ipso statim initio saltem affectus fidei elici potest, et vero etiam deberet, ut suo loco notavimus; v. g. dicendo intimo sensu: *Credo, quia docet fides*; — vel: *Credo quia tu, o æterna veritas, dixisti*; — vel: *Credo, quia tu dixisti, Domine, qui non es, quasi homo, ut mentiaris. Cælum et terra transibunt, verba autem tua non transibunt*. Ultimus modus, ut patet, serviet maxime, si meditanda sunt verba Domini Jesu, aut alia Dei dicta ex Scripturis deprompta.

## 2. *Proposita.*

Alterum, quod voluntas præstare debet in meditatione, est *proposita* bona formare in futurum. Id quod adeo essen-



tiale est meditationi, præsertim in Societate nostra, cujus vita est activa, ut sine formatione bonorum propositorum meditatio non sit satisfactura fini suo. Nam finis ejus, præsertim in Societate, est non tantum unam horam impendere Deo per orationem; sed meditando animum purgare a vitiis, exornare virtutibus, vitam omnem emendare ac perficere, confirmare se in Divino famulatu, munire se contra difficultates ac tentationes, actiones suas rite disponere ad eas perfecte obeundas etc.; quæ omnia non aliter fiunt in meditatione, nisi per *proposita* rite facta. Quia vero hæc res, ut vel ex iis, quæ modo diximus, patet, momenti est summi, necesse est aliqua hac super re accurate, quantum Divina Bonitas dederit, notare documenta.

1. Ubinam in meditatione proposita facienda sint, satis patet: nempe, sub finem considerationis cujusque doctrinæ practicæ ex meditationis materia deductæ, prout supra de applicatione intellectus dictum est. Inter quæstiones enim, quas meditans sibi facere debet, habetur etiam illa: *Quid mihi in posterum faciendum?* Responsum ad hanc quæstionem continebit facienda proposita. Et eodem pertinet etiam quæstio sequens: *Quale impedimentum removendum? Quale medium*

*eligendum?* — Ubi se voluntas resolvit ad ea facienda, quæ intellectus ad istas quæstiones facienda esse cognovit, hæc ipsa resolutio est *propositum*. Ceterum, hoc non impedit, quominus etiam in decursu meditationis, ubicumque se aliquid vel faciendum vel vitandum offerat, obiter etiam de hoc *propositum* concipi possit. Sed proprius locus propositorum, quæ tamquam solidus fructus meditationis quæruntur, est certe, uti diximus, sub finem quæstionum, quas sibi meditans in applicatione intellectus facere debet. — Fiunt autem istæ quæstiones, ut suo loco dictum est, in quolibet puncto: et si in primo puncto plures considerationes practicæ continentur, fiunt quæstiones ac proin etiam *proposita* circa quamlibet talem considerationem practicam. — Res in exemplis ibidem positis unicuique facile patebit.

2. *Proposita* vero sint *practica*, scilicet talia, quæ vere ad vitæ emendationem, et ad perfectionem efficacia sint. Intelligi hoc loco illud maxime velim, ne *proposita* sint de aliqua tantum devotiuncula exercenda: ut, si ex meditatione de morte non aliud *propositum* conciperes, nisi v. g.: *dicam quotidie pro agonizantibus 1 Pater et Ave, et pro obtinenda mihi felici morte, quotidie talem vel talem*

*orationem faciam ad B. V.* Bona quidem sunt et ista proposita, at sola non sufficiunt: sed ut proposita, vere ac solide sint practica, statue, quid tibi maxime vitandum sit, quod peccatum, qui defectus emendandi; et pariter, quæ virtus maxime comparanda, ut ad felicem mortem te disponas; quæ item passio mortificanda, et quomodo. — Talia proposita voco *practica*.

3. Non sint proposita *universalialia*, sed *particularialia*. Videri possunt, quæ supra dicta sunt ad quæstionem secundam: *Quæ doctrina practica inde concludenda?* et ad quartam: *Quomodo hanc doctrinam ego hactenus observavi?* Quæ enim ibi sunt posita, huc vel maxime conveniunt. — Illud hic addendum circa proposita, scilicet proposita duplici fere modo fieri particularialia. 1. Si versentur circa particulariales casus. 2. Si aliquid particulare statuatur faciendum in casibus universalibus. — Exemplo rem breviter declaro. Facis propositum: *patiens ero in omnibus adversis*. Hoc propositum est universale, adeoque nil valet, nisi forte pro hominibus valde spiritualibus et perfectis. Fac ergo ex universali proposito particulare: id quod duplici modo fieri potest: 1. Si dicas: *Patiens ero in his et in illis occasionibus*, exprimendo eas



occasiones, in quibus sæpius te commoveri ad impatientiam nosti. 2. Si dicas ita: *Si quid mihi adversi occurrerit, cogitabo: hoc parum est ad infernum, quem merui; vel: hoc libenter feram pro amore Jesu crucifixi.* — Utrovis modo, propositum erit particulare, adeoque bonum: optimum vero erit, si unum idemque propositum utroque modo reddas particulare; v. g.: *Patiens ero in his vel illis circumstantiis, cogitando: hoc parum est ad infernum, quem merui, etc.* — Sic enim in ipso proposito habebis medium illud observandi.

4. Sint proposita *præsenti statui accommodata.* Vide, quæ dicta sunt ad quæstionem 5.: *Quid mihi in posterum faciendum?* Quibus addendum hoc loco illud est; ne scilicet proposita nostra se extendant ad tempus adhuc longe remotum: ut si Novitius vel Scholasticus juvenis faceret propositum. *Quando sacerdos ero, faciam hoc vel illud.* Talia enim proposita communiter sunt inutilia, quin etiam illusioni haud parum obnoxia. Spectent ergo proposita præsentem, aut saltem proxime instantem necessitatem.

5. Imo, quotidie *aliquid* statuatur *eo ipso die exsequendum* circa vitæ emendationem aut majorem perfectionem. Facile hoc fieri potest ab iis, qui bene ex-

cutiunt conscientiam suam in examinibus, et defectus suos, quos vel ipsi observarunt, vel de quibus eos superior admonuit, serio cupiunt emendare. — Quæ quis vere cordi habet, ea ipsi occurrunt per se, et ad eorum emendationem serviet ipsi omnis meditatio, qualiscumque fuerit meditationis materia. Sive enim de amore Dei, seu de minis ejus in peccatores; seu de passione Christi, seu de mysteriis ejus gloriosis meditetur; seu de peccatis suis, seu de Sanctorum virtutibus; semper illum conclusio practica deducet ad suum vitium debellandum. — Id vero vel maxime faciendum, si aliquo vitio vehementius urgemur, vel aliqua difficultate magis retardamur in famulatu Divino: tunc enim omnes quasi machinæ, ut ita dicam, omnia tormenta bellica eo, tamquam ad scopum, erunt dirigenda, ut victores evadamus. — Hinc satis etiam illud patet, meditationem frequenter debere coincidere cum materia examinis particularis; ipsumque examen particulare plurimum debere juvari meditatione.

6. Sint proposita bene *fundata*, firmata motivis solidis. Erunt certe talia, si accurate tractetur illa quæstio tertia: *Quænam motiva ad hanc conclusionem practicam servandam inducunt?* Vide, quæ ad hanc quæstionem supra dicta sunt. —

Erratur sæpe in hoc, quod ubi primum videmus quid nobis faciendum sit, statim illud facere statuamus: laudabilis quidem hæc est voluntatis promptitudo; sed sunt sæpe talia proposita, veluti domus sine fundamento super arenam positæ, quæ quovis vento tentationis aut difficultatis ingruentis convelluntur. Itaque, ut proposita sint solida, necesse est firma quædam eorum fundamenta ponere in veritatibus æternis sita, intellectum scilicet quam plenissime convincere de *necessitate, utilitate, æquitate etc.* faciendæ vel vitandæ rei, de qua agitur. Nec semel tantum, aut raro talia motiva considerare oportet, quasi persuadendo sibi quod jam satis sciat motiva, cur ita facere necesse sit; sed sæpe hoc idem in meditatione revolvere, præsertim circa illam rem in qua maxime laboramus, ut in superbia nostra expugnanda, aut humilitate assequenda, aut alio quocumque vitio, quo magis premimur, aut virtute, qua magis indigemus. Frequenti eorundem motivorum meditatione descendunt illa profunde in cor, et si ad hæc dein accedunt frequentes actus, habitus virtutis acquiritur.

7. Sint proposita *humillima*; plena diffidentia de se ipso. Defectus humilitatis in propositis primaria causa est, cur non serventur, præsertim in illis qui serio



proposita faciunt, et veram habent voluntatem Deo serviendi. In meditatione firmiter statuunt, se ita et ita acturos, in his et illis occasionibus; ac dum ita statuunt, perspectis præsertim motivis ita agendi, occulta quadam præsumptione putant certo se jam ita facturos; quin adeo impossibile ipsis videtur, aliter agere: et tamen ubi se primum occasio offert, plerumque deficiunt. Causa hujus rei est, non quod proposita non fuerint sincera, sed quod non humilia, quod sine diffidentia de se ipso suisque viribus; Deo scilicet et juste et misericorditer superbiam nostram humiliante. Oportet itaque, ut proposita facientes, simul timeamus nostram propriam inconstantiam et infirmitatem, totamque fiduciam ponamus in gratia et auxilio Divino, quod humillime in propositis implorandum est, adhibita etiam et invocata intercessione B. V. Matris, Sanctorum Patronorum, S. Angeli Custodis etc. dicendo v. g.: „Ita nunc quidem statuo, o mi Deus! . . . „ita volo facere . . . sed tamen nil horum „faciam, Domine, nisi tu adjuveris . . . „Novi jam satis, jam nimis sæpe expertus „sum meam propriam perversitatem et „inconstantiam, quam ut propositis meis „fidere possim. — In te, Domine, speravi, „non confundar in æternum. — Adjuva

„me gratia tua, ubi se hujus propositi  
 „exsequendi occasio obtulerit; tunc mihi,  
 „Domine, revoca in mentem veritatem,  
 „quam nunc per gratiam tuam perspexi  
 „— confirma tunc voluntatem meam. —  
 „Quid juvaret, Domine, quod me hac tua  
 „luce illustraveris, ut cognoscam quid  
 „mihi faciendum sit, si illam secutus non  
 „fui! — O ergo adjuva me, Domine,  
 „propter nomen sanctum tuum; per me-  
 „rita Jesu Christi — per sanguinem ejus  
 „— per ejus sacratissimum Cor supplico.  
 „— Adeste mihi o SS. mei Patroni, —  
 „tu præsertim o Virgo SS. Mater Dei,  
 „et mea etiam Mater, quæ me jam tantis  
 „misericordiis tuis prævenisti — adesto  
 „mihi — impetra mihi. — Sancte mi An-  
 „gele Custos, loquere mihi ad cor, cum  
 „illa se occasio obtulerit, et adjuva me . . .  
 „etc.“ — Porro hoc summi momenti mo-  
 nitum tanto accuratius discamus servare,  
 quanto frequentius nostram infirmitatem  
 et in bonis propositis inconstantiam ex-  
 perti sumus.

Ceterum si voluntas ad bona propo-  
 sita torpet, cogenda est, pugnando, vim  
 inferendo, insistendo motivis, præsertim  
*necessitatis*, ut dictum est supra ad quæ-  
 stionem 3. *Quænam motiva etc.*, et fer-  
 ventius orandus Deus, ut animum humi  
 jacentem erigat.

## § 3.

**De fine sive egressu.**

Finiri solet meditatio, dicendo semel *Pater* et *Ave*. Verum non de isto egressu hic solum agimus. Ante hoc extremum debet aliquid præcedere, quod meditationem concludat.

I. Esset valde consultum, ut si plura, ut communiter fit, proposita in decursu meditationis concepta essent, ea simul omnia sub finem colligerentur et confirmarentur. Quamquam enim hoc postea etiam in reflexione faciendum est, juvaret tamen multum hoc loco, ante ipsum meditationis finem in oratione illud facere. — Fructus inde, præter alios, hic existeret, ut ultima minuta meditationis essent ardentiora; cum contra frequenter accidat, ut finis ille, ubi maxime fervere deberemus, misere frigeat. Tunc igitur certe, cum nos materia sub finem meditationis destituit, tunc, inquam, saltem hac quasi recapitulatione totius meditationis, omniumque propositorum utamur.

II. Saltem debet ante *Pater* et *Ave* præcedere oratio, qualem S. P. N. vocare solet *Colloquium* directum ad Deum, vel ad Jesum Christum, vel ad B. V. aut alium



Sanctum, prout fert meditationis materia. — In hoc colloquio:

1. Observa, quod supra dictum est de affectibus, non agi scilicet de verbis, sed de sensu cordis. Noli sollicitus esse, quibus modis, aut quibus vocibus tuum hoc colloquium instituas. Loquatur cor, affectus.

2. Petenda in hoc colloquio gratia, ad proposita facta exsequenda suo tempore. (Exemplar habes *notato 7. ad proposita, ut sint humilia*). Complectetur autem omnia proposita, per decursum orationis facta, etiamsi singula non enumeres.

III. Loco consueti *Pater* et *Ave* potest etiam alia quævis oratio vocalis dici pro conclusione meditationis, quod videtur omnino ad mentem S. P. N. Ignatii. Et interponi quidem inter *Pater* et *Ave* sæpe solet *Anima Christi*, quod certe faciendum, ubi de mysteriis Domini Jesu fuerit meditatio. — Si de Spiritu Sancto fuisset meditatio, conveniret concludere per *Veni Creator*, vel *Veni Sancte Spiritus*. — Si de beneficiis Divinis, per *Te Deum laudamus*. — Si de aliquo Sancto per orationem de Sancto illo vel ad Sanctum illum, si est aliqua ad manum. — Tamen *Pater* et *Ave* communiter de more subjungendum.

IV. Potest ultima illa oratio vocalis, si multiplex est, apte distribui intermixtis colloquiis. Modum non semel dat S. P. N. in *Pater, Anima Christi, et Ave*. —

1. Petitur a B. V. Maria ut gratiam, quam optamus, petat nobis a Filio suo D. N. J. C.; et subjungitur *Ave Maria*.
2. Rogatur D. N. J. C. clementia, ut tamquam summus Mediator noster eandem gratiam nobis petat a Patre suo, donetque eam ipse, siquidem *Ei data est omnis potestas in cælo et in terra*; et subjungitur *Anima Christi*.
3. Supplicatur Patri Æterno, per Jesum Christum et propter illum, ut illam gratiam concedat; et dicitur *Pater noster*: et sic meditatio concluditur.

Denique surgitur reverenter a consortio Domini, in ejusdem conspectu manendo. Cavenda vel maxime omnis dissipatio immediate post meditationem finitam. Si exeundum statim, summa habenda est cura modestiæ, ni fructum tota hora collectum momento velimus perdere. — Transeundum mox ad reflexionem, de qua pauca supersunt dicenda.

---

## Caput 3.

**De servandis post Meditationem.**

Post meditationem sequitur de more ex præscripto S. P. N. Ignatii examen, seu ut dicere solemus, *Reflexio*. De qua prænotandum illud est, esse non modo utilissimam, sed omnino necessariam, tum ad artem meditandi addiscendam, tum ad fructum e meditatione facta colligendum. Vivitur quandoque diu in Religione, fit quotidie meditatio, et tamen adhuc ignoratur ars meditandi; quia aut omnino non fit reflexio, aut male fit. Fit etiam quotidie meditatio, considerantur veritates æternæ, et ad illarum lumen concipiuntur proposita vitæ melioris; et tamen vivunt semper in animo eædem passiones, hæretur in iisdem vitiis ac defectibus; et hoc sæpe originem habet magna ex parte in neglectu reflexionis. Quæcumque S. P. N. ad fructuose meditandum præscripsit, horum sciamus nihil esse superfluum; omnia ita secum invicem cohærent, ut annuli unius catenæ, quorum si vel unus eximatur aut rumpatur, catena vel omnino inepta fit ad usus suos, vel certe minus apta. — Nos vero, quibus utpote filiis Societatis, præcepta S. Patris non modo instructio-



nis, sed etiam obligationis majoris vim habent, multo minus possumus sperare Divinæ gratiæ in hac Sanctorum arte auxilium, si hac in parte officio nostro desimus; officio inquam, quod nobis et S. P. N. auctoritas, et instituti ratio, et consuetudo religiosa, verbo obedientia ipsa imponit. — Principium itaque nostrum sit, alte ab ipsis religiosæ vitæ exordiis animo impressum, reflexionem post meditationem non esse omittendam, sed etiamsi fors immediate post meditationem impediti fuerimus, serius licet, illam tamen omnino faciendam semper; omissis potius aliis precibus ac devotionibus, quas fors pro suo lubitu quis adsciverit, laudabiles quidem, sed minus necessarias, quam *Reflexionem*.

*Reflexio* hæc, licet a S. P. nostro ad solum examen de peracta meditatione videatur determinari, vix tamen ipsum hoc examen fieri posse videtur sine aliqua recapitulatione; quare statui solent duæ veluti partes reflexionis, nempe *examen* proprie dictum; et repetitio seu *recapitulatio* meditationis.

### I. Examen.

Igitur absoluta meditatione examine-  
tur, quonam modo illa successerit. —  
Huc pertinebit inquirere, quomodo se

gesserit tam circa *præparationem*, quam circa *meditationem* ipsam.

*Circa præparationem*: v. g. an attente lecta vel audita puncta vespere? An dein servata animi collectio? An materia meditationis revocata in memoriam post cubitum, ante somnum? An mane eadem materia primum revocata, exclusis aliis cogitationibus? An affectus materiæ huic conformis excitatus, tum sub tempus lotionis faciei ac manuum, tum sub transitum v. g. ad Sacellum, vel alio? An quies animi habita, præsertim immediate ante meditationem? An puncta si minus relecta, saltem revocata in mentem? An stando paulisper ante ipsum meditationis ingressum, cogitaverit, quid esset factururus, cum memoria præsentia Divinæ? — Hæc fere circa *præparationem*.

*Circa meditationem ipsam*, examinandus *ingressus, progressus, egressus*.

*Ingressus*: v. g. qua reverentia, attentione, devotione facta oratio præparatoria? An præludia observata, præsertim secundum, petendo lumen et gratiam peculiarem pro materia meditationis?

2. *Progressus*: v. g. an bene applicatæ animi facultates? *Memoria*, materiam attente ponderando? *Intellectus*,

rationando per quæstiones: *Quid de hoc est considerandum? . . . Quæ doctrina practica? etc.* An motiva, *necessarium, utile, decens etc.* bene perpensa? — *Voluntas*, an affectibus excitandis per meditationis decursum? an propositis vitæ melioris ac perfectionis serio exercitata? An propositis adjuncta humilis petitio auxilii? etc.

In his omnibus, an distractiones invadentes superatæ, vel certe non admissæ? An tædium, quod fors surgebat, devictum vel saltem contemptum? nec propterea cessatum ab applicando animo, ut melius poterat? An recursum ad præludium primum, si illud tale fuit, ut imaginationem vagam figere ac firmare in proposita materia potuisset? An ita applicatus animus, serio, in omnibus ac singulis punctis? etc.

3. *Egressus*: v. g. an colloquium factum ardentem, cum petitione gratiæ? An torpor, quandoque in fine maxime invadens, excussus? An reverenter finis meditationi impositus?

Denique, an ab initio ad finem usque pro viribus curaverit, ut responderet gratiæ Divinæ? animus serio applicatus? corporis servatus debitus situs? reverentia interna et externa? non in-



interrupta aut abrupta meditatio sine necessitate? aut si fuit talis necessitas, an servata saltem mentis quies et animi collectio? etc.

Neque est, quod quisquam terreatur hac tanta quæstionum pro examine multitudine, quæ etiam augeri adhuc multum possent. Modo sciat, quomodo sit meditandum, facile mox videbit in quo defecerit, propria conscientia indicante et accusante. Percurrendo meditationem per partes, ut diximus, *præparationem, ingressum, progressum, egressum*, vix poterit ipsum quidquam latere defectum, quos commiserit.

Si *male successerit* meditatio, ait S. P. N., inquiram *causas* cum *pœnitudine* et *emendationis* proposito. Causæ facileprehendentur ex illis quæ modo diximus. Si tamen in his non inveniretur causa ulla mali successus, cogitetur de præparatione remota, de animi collectione per diem, de observatione regularum, de cordis munditie, de mortificationis studio, etc. Nam certum est, Deum sæpe defectus nostros extra orationem commissos in oratione punire; ut contra, fervorem in aliis rebus ad suum famulatum pertinentibus, in oratione sæpe largissime remuneratur. — Si nullam causam invenit mali successus, humiliet se tamen, putet esse

causam occultam; sed ita tamen se humiliet, ut non sit propterea nimis anxius, resignata voluntate sua in Divinam. Ceterum observanda bene verba Sancti Patris: *inquiram causas cum pœnitudine, et emendationis proposito*. Hic scilicet primarius finis reflexionis, ut discamus meditari, et assuescamus bene meditari. Si hoc ergo faceremus quotidie, quod Sanctus Pater noster hic præscribit, facile artem illam, Divina opitulante gratia, acquireremus. — *Si bene successerit meditatio*, ait porro S. P., *gratias Deo agam, eundem modum postea observaturus*, ut scilicet semper, ordine eodem, eadem mentis applicatione meditationem peragam.

## 2. Recapitulatio.

Hæc *Recapitulatio* est alterum, quod in reflexione faciendum est præter examen meditationis, seu potius cum et in examine.

Repetitur scilicet animo tota meditationis peractæ series; quid 1. quid 2. quid 3. puncto fuerit propositum. Et dum hoc ordine defectus commissi inquiruntur, imo per se in memoriam recurrunt, revocatur simul: quæ in singulis punctis conclusiones practicæ deductæ sint; quibus motivis confirmatæ; quibus affectibus in ani-

num receptæ; quæ proposita concepta sint. — Sicubi peculiarem illustrationem habuit, si veritatem aliquam solito clarius perspexit, si qua veritas, aut dictum, aut motivum aliquod magis animum percussit; hæc recolat, regustet, ruminet, ac sæpe deinceps recolenda, regustanda, ruminanda proponat; proposita per decursum meditationis facta confirmet, et executionem pro tempore statuat, prævisis iterum, si fieri potest, occasionibus. Denique invocatur breviter auxilium Divinum, pro fideli propositorum executione.

Hæc porro omnia, licet toto quadrante communiter non indigeant (nam et S. Pater dicit: *per quartam circiter horæ partem*); tamen aliquod temporis spatium dari sibi postulant, ut bene fiant: saltem medium quadrantem vel minuta 10. Bina vel terna minuta certe non sufficiunt. — Qui vero profectus spiritualis ac perfectionis vere studiosi sunt, eos utilitas summa talis *Reflexionis*, propria experientia comprobata, ad illam accurate faciendam excitabit. Erit ipsis *Reflexio* quasi messis fructuum, quos meditatio produxit, et qui sine reflexione frustra interiissent. Quin adeo non raro accidet, ut gustum devotionis, quem frustra in ipsa meditatione quæsierint, reperiant in reflexione: et, si



in meditatione aridi, ac sine bonis desiderii ac propositis, seu culpa propria seu sine culpa permanserint, reflexio omnia, Deo dante, suppleat; et ibi bona proposita forment, non minus efficacia quam si in ipsa meditatione fecissent. Verum in hac tota re plus datur experiri, quam dicere aut scribere. Incredibilis est, et omnem captum superat Divina Bonitas, quæ aliquam serio adhibentibus curam adest gratiis suis, ut ad majorem in dies curam adhibendam animum sumant, et majoribus a Domino gratiis vicissim liberalius cumulentur.

Addi potest ad reflexionem *Industria*, qua multi magno cum fructu utuntur ad propositorum executionem; scilicet eligunt conformem materiæ meditationis, suisque propositis, orationem aliquam jaculatoriam, quam sæpius per diem repetendo, et meditationem in memoriam revocant, et factorum propositorum convenienter reminiscuntur. Et si, ut suo loco dictum est, meditationis fructus ad examinis particularis materiam deductus fuit, patet facile, quantum hinc lucris spiritualis sit proventurum. Proposita nostra sæpe violamus, quia veritates, ad quarum lumen ea conceperamus, in mente nostra obscurantur vel evanescent. Hoc ergo medium aliquod erit, ad conservandum

hoc lumen in anima. Neque vero aliunde Sancti erant sancti, nisi quod lumina veritatum æternarum semper habentes sibi in mente præsentia, efficaciter his, Divina opitulante gratia, excitarentur semper ad vitam juxta illas veritates in omnibus rebus instituendam.

Denique negligendum non est illud monitum, quod passim dari solet, et perfectionis studiosis est familiare: ut nimirum notentur scripto aliqua e meditationibus, deinceps identidem relegenda. — Notanda porro et *lumina* et *proposita*. Si sola notantur proposita, non addito aliquo ex motivis ob quæ concepta sint, communiter omni vi carebunt ad sui observationem urgendam. Notentur itaque in primis lumina, idest, illæ veritates bene perspectæ, illæ illustrationes, illæ bonæ cogitationes, illa motiva, quæ animum impulerunt ad talia formanda proposita. Hæc enim, ubi dein simul cum propositis suis temporibus quisque perleget, efficacius ad fidelem eorum observationem excitabitur. Communiter tamen hæc omnia non multis verbis, sed breviter et clare notanda sunt. Neque omnia proposita sunt notanda, sed notabiliora, aut quorum se occasio non adeo quotidie offert. Quæ enim quotidianas actiones vel quotidianos defectus respi-

ciunt, multo melius prompta statim executione, et quotidiana praxi retinenda sunt, quam annotatione in scriptis. — Ceterum annotatio luminum et propositorum maxime omnium facienda Exercitiorum spiritualium tempore: siquidem in illis, non unius dumtaxat alteriusve diei actiones disponendæ sunt, sed tota vitæ ratio, in totum annum, et in quibusdam rebus in totam vitam est componenda. Sed hoc veluti per transennam attigisse sufficiat.

Nil jam superest, nisi ut illud repetam unde incepti, artem Meditandi esse scientiam Sanctorum, ac multo minus præceptis hominum constare, quam Spiritus Sancti unctione, ac piæ voluntatis desiderio. — Omnia hic tradita documenta etiamsi optime quis noverit, nil utique juvabit, nisi cum vero desiderio proficiendi adhibeantur, ut per se patet. Sed neque hoc ipsum proficiendi desiderium, omniumque documentorum observatio proderit, nisi Spiritus Sancti accedat gratia.

Non enim est opus humanum, sed divinum. Nihil tamen dubitandum, quin misericors et infinite bonus Deus volentibus sit adfuturus; nam et ipsa hæc pia voluntas proficiendi in spiritu, magnum est Dei donum. — Utamur itaque



industriis, prout possumus, cum Divinæ gratiæ auxilio, et simul petamus frequenter a Domino: *Domine, doce me orare, doce meditari: da donum orationis.* — *Venient nobis omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius . . . Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinæ dona commendati.*



# INDICES.



## I.

### INDEX IN EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. IGNATII.



pag.

#### A.

#### CONSPECTUS.

|                                                                                                                                                                             |         |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------|
| Litteræ Encyclicæ R. P. Joannis Roothaan, Præpositi Generalis Societatis Jesu, ad Patres ac Fratres ejusdem Societatis de Spiritualium Exercitiorum S. P. N. studio et usu. | V       |
| Prologus in hanc novam Libri S. P. N. editionem.                                                                                                                            | XXVI    |
| Litteræ Apostolicæ Pauli III. Pont. Max., quibus Exercitia S. Patris approbantur, et commendantur.                                                                          | XXXIII  |
| Testimonia eorum, quibus Libri censura a Paulo III. commissa fuerat.                                                                                                        | XXXVI   |
| Monitum primæ Libri S. Patris editioni præmissum.                                                                                                                           | XXXVIII |
| Alterum monitum de emendationibus in nova editione anno 1596. textui vulgato subjectis.                                                                                     | XXXIX   |



## EXERCITIA SPIRITUALIA

## SANCTI PATRIS IGNATII DE LOYOLA.

|                                                                                                        |    |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| Oratio Anima Christi.                                                                                  | 3  |
| Annotationes XX.                                                                                       | 4  |
| Annotationis I. Quid nomine Exercitiorum spiritualium intelligatur.                                    | 4  |
| II. Quomodo proponenda sint puncta ab eo, qui Exercitia tradit.                                        | 11 |
| III. De majori reverentia in affectibus, et colloquiis adhibenda.                                      | 13 |
| IV. De hebdomadis contrahendis vel protrahendis juxta circumstantias.                                  | 16 |
| V. Quo animo debeat intrare in Exercitia, qui ea vult facere.                                          | 18 |
| VI. Quid faciendum ab eo, qui Exercitia tradit, cum is qui exercetur, nullas animi motiones experitur. | 20 |
| VII. Quid, si, qui exercetur, sit desolatus vel tentatus.                                              | 20 |
| VIII. De tradendis Regulis ad varios spiritus sentientes et dignoscendos.                              | 22 |



|                                                                                                                 | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| Annotatio IX. Quando ex dictis Regulis tradendæ sint eæ, quæ sunt pro 1. hebdomada.                             | 23   |
| X. Quando tradendæ sint, quæ sunt pro 2. hebdomada.                                                             | 23   |
| XI. Quomodo, qui exercetur, attendere debeat ad præsentia Exercitia, quin sciat quæ alia postea sit factururus. | 25   |
| XII. De una hora integra fideliter insumenda in quolibet Exercitio.                                             | 25   |
| XIII. De hora producenda cuiuslibet Exercitio assignata tempore desolationis, et tentationis.                   | 25   |
| XIV. Tempore consolationis et fervoris nullum votum vel promissum emittendum.                                   | 26   |
| XV. Is, qui Exercitia tradit, nullum impellat aut moveat ad paupertatem, nec ad ullum vendi statum.             | 27   |
| XVI. Quid faciendum sit ei, qui ad aliquid minus recte afficitur.                                               | 29   |

|                                                                                                                                                                                             | Pag. |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>Annotatio XVII.</b> Quomodo et quare, qui<br>Exercitia tradit, cer-<br>tior fieri debeat de<br>variis agitationibus<br>et motionibus ejus,<br>qui exercetur.                             | 30   |
| <b>XVIII.</b> Quomodo Exercitia ac-<br>commodanda sint et<br>attemperanda ei, qui<br>suscipit: 1. pro ru-<br>dioribus; 2. pro iis,<br>qui sunt parum ca-<br>pacia aut debilis na-<br>turae. | 31   |
| <b>XIX.</b> Quomodo tradenda<br>sint homini publicis<br>negotiis occupato,<br>sive litteris sive in-<br>genio polleat.                                                                      | 35   |
| <b>XX.</b> Quomodo tradenda ei,<br>qui liber a negotiis<br>desiderat, quantum<br>potest, proficere: et<br>solitudinis utilitates.                                                           | 37   |
| <b>Exercitiorum titulus.</b>                                                                                                                                                                | 39   |
| <b>Admonitio.</b> Quomodo accipienda alte-<br>rius cujusvis sententia.                                                                                                                      | 39   |

### PRIMA HEBDOMADA.

|                                                                       |    |
|-----------------------------------------------------------------------|----|
| <b>Principium et fundamentum.</b>                                     | 43 |
| <b>*Fundamenti explanatio.</b>                                        | 49 |
| <b>Examen particulare et quotidianum,<br/>tria tempora continens.</b> | 74 |

|                                                                                    | Pag. |
|------------------------------------------------------------------------------------|------|
| I. Tempus matutinum ad proponendam emendationem.                                   | 74   |
| II. Tempus pomeridianum ad inquirendos notandosque lapsus cum dolore et proposito. | 75   |
| III. Tempus vespertinum ad idem faciendum.                                         | 77   |
| <b>Additiones quatuor Examinis particularis.</b>                                   | 77   |
| I. Dolere statim de lapsu, manu pectori admota.                                    | 77   |
| II. Inspicere, an sit emendatio a primo examine ad secundum.                       | 78   |
| III. Inspicere, an sit emendatio ab uno die ad alterum, eos conferendo.            | 78   |
| IV. Inspicere item, an sit emendatio ab una hebdomada ad alteram.                  | 78   |
| <b>Notandum circa figuram linearum pro adnotatione lapsuum.</b>                    | 78   |
| Figura dictarum linearum.                                                          | 79   |
| <b>Examen conscientiæ generale.</b>                                                | 80   |
| Duplex utilitas hujus Examinis.                                                    | 80   |
| De Cogitatione. Modi merendi, vel peccandi in mala cogitatione.                    | 81   |
| De Verbo. Præcipua linguæ peccata.                                                 | 82   |
| De Opere. Operis peccata.                                                          | 85   |
| <b>Modus faciendi Examen generale, quinque punctis distinctus.</b>                 | 86   |
| I. Punctum. Gratias agere pro beneficiis.                                          | 86   |
| II. Punctum. Gratiam petere ad cognoscenda et expellenda peccata.                  | 86   |



|                                                                                                     | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| III. Punctum. Rationem exigere ab<br>anima de singulis.                                             | 86   |
| IV. Punctum. Veniam petere.                                                                         | 86   |
| V. Punctum. Emendationem propo-<br>nere.                                                            | 86   |
| <b>Confessio generalis cum commu-<br/>nitione.</b>                                                  | 87   |
| Confessionis generalis utilitates<br>tres.                                                          | 87   |
| Communione tria emolumenta.                                                                         | 87   |
| Quando sit facienda generalis<br>confessio.                                                         | 87   |
| <b>Primum exercitium circa primum, se-<br/>cundum, et tertium peccatum.</b>                         | 88   |
| I. Oratio præparatoria quomodo fiat.                                                                | 88   |
| II. Quomodo fiat primum præambu-<br>lum.                                                            | 89   |
| III. Quomodo secundum.                                                                              | 91   |
| IV. Oratio præparatoria, et præam-<br>bula omni Exercitio præmit-<br>tenda, et quomodo.             | 92   |
| V. Quomodo fiat colloquium.                                                                         | 96   |
| <b>Secundum exercitium. De peccatis<br/>propriis.</b>                                               | 98   |
| <b>Tertium exercitium. Repetitio primi,<br/>et secundi.</b>                                         | 102  |
| Quomodo fiat repetitio.                                                                             | 102  |
| Triplex colloquium pro triplici<br>gratia.                                                          | 103  |
| <b>Quartum exercitium. Fit resumendo<br/>ipsum tertium. De utilitate hujus-<br/>modi Exercitii.</b> | 105  |
| <b>Quintum exercitium. De Inferno per<br/>sensus imaginationis.</b>                                 | 105  |

|                                                                                                                    | Pag. |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>Monitum.</b> De aliis Exercitiis adjiciendis præter quinque prædicta.                                           | 109  |
| <b>Monitum.</b> De horarum distributione, et de quinque vel paucioribus Exercitiis faciendis juxta circumstantias. | 109  |
| <b>Additiones decem ad melius facienda Exercitia optato cum fructu.</b>                                            | 110  |
| I. Additio. De Exercitio post cubitum resumendo.                                                                   | 110  |
| II. Additio. Quid sit cogitandum, cum quis expergiscitur.                                                          | 111  |
| III. Additio. Ante meditationem paululum standum.                                                                  | 113  |
| IV. Additio. Quo corporis situ Exercitium faciendum, et quomodo punctis immorandum.                                | 113  |
| V. Additio. De Examine post finitum Exercitium.                                                                    | 114  |
| VI. Additio. De rebus jucundis ac lætis non cogitandum.                                                            | 114  |
| VII. Additio. De cubiculi obscuritate adhibenda.                                                                   | 115  |
| VIII. Additio. A risu temperandum et a verbis jocosis.                                                             | 115  |
| IX. Additio. De oculorum custodia.                                                                                 | 115  |
| X. Additio. De pœnitentia.                                                                                         | 115  |
| Quotuplex pœnitentia sit.                                                                                          | 115  |
| Quæ interior.                                                                                                      | 115  |
| Quæ exterior.                                                                                                      | 115  |
| Quot modis hæc fiat.                                                                                               | 115  |
| 1. Circa victum.                                                                                                   | 115  |
| 2. Circa modum somni.                                                                                              | 115  |
| 3. Circa carnis afflictionem.                                                                                      | 116  |

|                                                                                         | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>Notanda quatuor.</b>                                                                 | 116  |
| I. De triplici fine pœnitentiæ eternæ.                                                  | 116  |
| II. De praxi 1., 2. et 4. Additionis.                                                   | 118  |
| III. De mutandis pœnitentiis ad inveniendum optatum fructum et justum pœnitentiæ modum. | 118  |
| IV. De examinis particularis materia.                                                   | 119  |

## SECUNDA HEBDOMADA.

|                                                                                |     |
|--------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Contemplatio de regno Christi.</b>                                          | 121 |
| Hoc Exercitium in die bis faciendum.                                           | 131 |
| <b>Lectio in hac et sequentibus hebdomadis facienda, et qui libri legendi.</b> | 132 |

### Prima dies.

|                                                                                               |     |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Prima contemplatio. De Incarnatione.</b>                                                   | 132 |
| <b>Notandum circa orationem præparatoriam, et præambula tria pro hac et aliis hebdomadis.</b> | 135 |
| Hic incipit altera meditandi ratio, per personas, verba, et opera.                            | 135 |
| <b>Secunda contemplatio. De Nativitate.</b>                                                   | 143 |
| <b>Tertia contemplatio. Repetitio primæ, et secundæ. Quomodo hæc repetitio fiat.</b>          | 147 |
| <b>Notandum. De ordine in repetitionibus deinceps servando.</b>                               | 147 |
| <b>Quarta contemplatio. Repetitio altera primæ et secundæ.</b>                                | 148 |



|                                                                                                         | Pag. |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>Quinta contemplatio.</b> Applicatio sensuum ad primam, et secundam Contemplationem.                  | 148  |
| <b>Notanda quinque.</b>                                                                                 | 150  |
| I. Nullum Mysterium legendum nisi assignatum.                                                           | 150  |
| II. De horarum distributione in hac et aliis hebdomadis pro quinque Exercitiis.                         | 151  |
| III. De mutanda horarum distributione pro senibus, vel debilibus, vel aliquo modo defatigatis.          | 151  |
| IV. De mutatione facienda in Additionibus 2., 6., 7. et 10. ex parte.                                   | 152  |
| V. Quid assumendum pro 2. Additione in aliis Exercitiis præter ea, quæ media nocte, et in aurora fiunt. | 153  |

### Secunda dies.

|                                                                                                 |     |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Prima contemplatio.</b> De Christi præsentatione in templo.                                  | 154 |
| <b>Secunda contemplatio.</b> De Fuga in Ægyptum.                                                | 154 |
| Repetitio duplex super prædictas.                                                               | 154 |
| Applicatio sensuum super easdem.                                                                | 154 |
| <b>Notandum.</b> De numero Exercitiorum minuendo ab hac secunda die usque ad quartam inclusive. | 154 |

### Tertia dies.

|                                                                             |     |
|-----------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Prima contemplatio.</b> De vita Christi in Nazareth ab anno XII. ad XXX. | 155 |
|-----------------------------------------------------------------------------|-----|

|                                                                                         | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>Secunda contemplatio.</b> De ascensu<br>Christi in Templum.                          | 155  |
| Repetitio duplex ut supra.                                                              | 155  |
| Applicatio sensuum ut supra.                                                            | 155  |
| <b>Præambulum</b> ad considerandos status.                                              | 155  |
| Exemplum duplicis status in Christi.                                                    | 155  |
| Admonitio circa sequens Exercitium.                                                     | 157  |
| <b>Quarta dies.</b>                                                                     |      |
| <b>Meditatio de duobus Vexillis.</b>                                                    | 160  |
| Qui sint tentationum gradus præcipui.                                                   | 167  |
| Qui sint præcipui perfectionis gradus.                                                  | 171  |
| Triplex colloquium magni momenti.                                                       | 172  |
| Hoc Exercitium bis faciendum.                                                           | 173  |
| Idem bis repetendum.                                                                    | 173  |
| <b>Meditatio de tribus binariis seu classibus.</b>                                      | 174  |
| Triplex colloquium ut supra.                                                            | 179  |
| <b>Notandum.</b> Quomodo exstinguendus affectus inordinatus, et ad meliora inclinandus. | 179  |
| <b>Quinta dies.</b>                                                                     |      |
| <b>Contemplatio</b> de Christi transitu a Nazareth ad Jordanem, et ejus Baptismo.       | 180  |
| Repetitio duplex et applicatio sensuum: et sic per hanc totam hebdomadam.               | 180  |

|                                                                                             | Pag. |
|---------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| Unum tantum Mysterium in die<br>contemplandum.                                              | 180  |
| Triplex colloquium in unoquoque<br>ex quinque diurnis Exercitiis<br>usurpandum, et ad quid. | 180  |
| Materia Examinis particularis pro<br>hac et sequentibus hebdomadis.                         | 181  |
| <b>Sexta dies.</b>                                                                          |      |
| Contemplatio de Christo in deserto.                                                         | 181  |
| <b>Septima dies.</b>                                                                        |      |
| Contemplatio de Apostolorum voca-<br>tione.                                                 | 182  |
| <b>Octava dies.</b>                                                                         |      |
| Contemplatio de Christi sermone in<br>monte.                                                | 182  |
| <b>Nona dies.</b>                                                                           |      |
| Contemplatio de Christi ambulatione<br>super aquas.                                         | 182  |
| <b>Decima dies.</b>                                                                         |      |
| Contemplatio de Christo docente in<br>Templo.                                               | 182  |
| <b>Undecima dies.</b>                                                                       |      |
| Contemplatio de Lazari suscitatione.                                                        | 182  |
| <b>Duodecima dies.</b>                                                                      |      |
| Contemplatio de die Palmarum.                                                               | 182  |
| Notanda tria.                                                                               | 182  |
| I. De Mysteriis Vitæ Christi D. N.<br>pluribus vel paucioribus con-                         |      |



|                                                                                                                    | Pag. |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| templandis, prout quis voluerit hanc hebdomadam extendere vel contrahere.                                          | 182  |
| II. Quando inchoanda sit Electionum discussio.                                                                     | 184  |
| III. De tribus Humilitatis Modis, ut quis afficiatur ad veram Christi doctrinam.                                   | 184  |
| Quomodo hi Modi sint considerandi.                                                                                 | 185  |
| Ad id colloquia facienda.                                                                                          | 185  |
| <b>Modus primus Humilitatis.</b>                                                                                   | 185  |
| <b>Modus secundus Humilitatis.</b>                                                                                 | 186  |
| <b>Modus tertius Humilitatis.</b>                                                                                  | 187  |
| De tribus colloquiis de Binariis seu Classibus faciendis ad tertium Humilitatis Modum assequendum.                 | 189  |
| <b>Præambulum ad Electionem, continens requisita in subjecto ad eam recte faciendam, ordinando media ad finem.</b> | 191  |
| <b>Introductio ad eligendarum rerum notitiam, continens in se puncta quatuor, et notam unam.</b>                   | 192  |
| I. Punctum. Quæ res cadant sub Electionem.                                                                         | 192  |
| II. Punctum. Quot sint genera Electionis.                                                                          | 192  |
| III. Punctum. Quid de Electione immutabili jam facta.                                                              | 193  |
| IV. Punctum. Quid de Electione mutabili recte facta.                                                               | 193  |
| Nota circa Electionem mutabilem non recte factam.                                                                  | 193  |

|                                                                                                   | Pag. |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| <b>De tribus temporibus ad faciendam bonam Electionem.</b>                                        | 195  |
| <b>Tempus primum.</b> Quando per Dei motionem nullum est dubium, nec esse potest de re eligenda.  | 195  |
| <b>Tempus secundum.</b> Quando constat per experientiam diversorum spirituum.                     | 195  |
| <b>Tempus tertium.</b> Quando constat per tranquillam ratiocinationem. Quæ sit hæc tranquillitas. | 196  |
| <b>Modi duo circa tertium tempus pro ratiocinatione ad faciendam Electionem.</b>                  | 196  |
| <b>Modus I. continens sex puncta.</b>                                                             | 196  |
| I. Punctum. Proponere sibi rem, de qua est deliberandum.                                          | 196  |
| II. Punctum. Præsentem habere creationis finem, et omnino indifferentem esse.                     | 197  |
| III. Punctum. Petere a Deo gratiam ad bene ratiocinandum et eligendum.                            | 198  |
| IV. Punctum. Commoda et incommoda in utramque partem considerare.                                 | 200  |
| V. Punctum. Deliberare juxta majorem rationis motionem, non juxta sensualem.                      | 200  |
| VI. Punctum. Electionem factam Deo offerre, ut ipsam confirmet, si ei placeat.                    | 201  |
| <b>Modus II. continens quatuor regulas et notam unam.</b>                                         | 201  |

|                                                                                                                       | Pag. |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| I. Regula. Puritatem affectus sentire proveniente unice ex amore Dei.                                                 | 201  |
| II. Regula. Facere, quod alteri ignoto faciendum suaderem ad Dei gloriam, etc.                                        | 201  |
| III. Regula. Considerare et tenere formam et mensuram, quam in Morte tenuisse me vellem in modo præsentis Electionis. | 202  |
| IV. Regula. Considerare, et assumere regulam, quam in die Judicii tenuisse me vellem.                                 | 202  |
| Nota. Facere ita Electionem, et Deo offerre probandam, si ei placeat.                                                 | 203  |
| <b>De Emendatione et Reformatione vitæ et status.</b>                                                                 | 203  |
| Quomodo et quibus in rebus emendatio ac reformatio facienda.                                                          | 203  |
| <b>Monitum summi momenti ad spiritua-<br/>lem profectum in omnibus.</b>                                               | 204  |

## TERTIA HEBDOMADA.

### Prima dies.

|                                                                                                               |     |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| <b>Prima Contemplatio. De Cœna ultima.</b>                                                                    | 207 |
| In hujus hebdomadæ contemplationibus tria puncta adduntur magni momenti ad compatendum Christo, considerando: |     |
| I. Quid Christus in humanitate patiat, vel pati velit.                                                        | 208 |



|                                                                                                             | Pag. |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------|
| II. Quomodo ejus divinitas se abscondat, et humanitatem talia et tanta pati sinat.                          | 209  |
| III. Quomodo hæc omnia pro me ipse patiat, et quid ego debeam pro illo facere et pati.                      | 209  |
| Notandum circa colloquia pro hac hebdomada, de eorum materia, et numero.                                    | 209  |
| <b>Secunda Contemplatio.</b> De Mysteriis post Cœnam et in Horto gestis.                                    | 211  |
